This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

N
ii
194

Stack

bld
57

Vol I (all pub)
7/6



Digitized by Google

Desideratissimo

Mauricio Seebeckio

testificandi amoris caussa

d. d.

F. R.

Bonnae a. CIↃIↃCCCXLIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PARERGA

ZU

PLAUTUS UND TERENZ.

ERSTER BAND.

VON

FRIEDRICH RITSCHL.

LEIPZIG,

WEIDMANNSCHE BUCHHANDLUNG.

1845.

Digitized by Google

PARERGON

PLAVTINORVM TERENTIANORVMQVE

VOLVMEN I.

SCRIPSIT

FRIDERICVS RITSCHELIVS.

LIPSIAE

APVD WEIDMANNOS.

A. MDCCCXLV.

Digitized by Google

ASHMOLEAN MUSEUM
LIBRARY
OF
CLASSICAL
LITERATURE
OXFORD

7 JUL 1949

Digitized by Google

VIRO · IN · PAVCIS · COLENDO

IOANNI · SCHVLZIO

TH · ET · PH · D · EQV · ILL ·

REG · BOR · A · CONS · INT · REG · R · P ·

ANTIQVITATIS · GRAECAE · ET · LATINAE

CVM · ALVMNO · TVM · PATRONO

DOCTO · STRENVO · LIBERALI

QVEM · OMNES · BONI · CONSENTIVNT

E · PRIMARIIS · ESSE · VIRIS · PATRIAE

VIRTVTISQ · ET · SAPIENTIAE · EXEMPLV̄

ETIAM · EXTERAE · GENTES · SVSPICIVNT

PROPENSAE · IN · SE · VOLVNTATIS

MVNERIBVS · SANCTE · DEVINCTVS

D · D.

FRIDERICVS · RITSCHELIVS

VENERABVNDVS

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRIS · SIBI · VNICE · CARIS

S · S · GVTTENTAG
MED · CHIR · Q · D ·

G · C · B · RITSCHL
TH · D · EQ · ILL ·

MEDICAM · ARTEM · CVM
HVMANITATIS · STVDIIS
FELICISSIMO · CON
SORTIO · SOCIANTI
SOCERO · SVO

EVANGELICORVM
EPISCOPO · ECCLESIA
RVM · IN · POMMERANIA
SVMMO · ANTISTITI
PARENTI · SVO

INFINITIS · PATERNI · AMORIS · DOCVMENTIS
DE · SE · BENE · MERITIS · MERENTIBVSQVE

D · D ·

FRIDERICVS · RITSCHELIVS
PIENTISSIMVS

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Iunxi his voluminibus, quae, uti olim iungerentur, per variarum occasionum opportunitatem seorsum et scripta et magna ex parte edita sunt. Quae res etsi quaedam sane incommoda habuit: quorum illud parvi pendo, quod latinae vernacula lingua mixta librum bilinguem feci: tamen etiam commodi hoc peperit, quod propemodum nulla harum commentationum nunc iteratur, quin secundis curis pertractata et saepe singulis paginis vel aucta vel correctâ prodeat. Quo in genere plerumque satis habui rectiora reprobatorum in locum tacito substituisse, nec fere de novis, quae sive annotando sive inserendo recens accesserunt, a veteribus diligenter discernendis sollicitus fui: nisi quod certis id rationibus aliquoties vel suadentibus vel iubentibus temporum diversitates leviter significavi.

Atque praeter haec, de quibus his versiculis monui, profecto nihil quod praefarer haberem, nisi quaedam suis locis praetermissa esse intellexissem, sive id meo vitio factum est: si modo vitium est γηράσκειν αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενον: sive aliorum virtute, qui de iisdem rebus post impressas meas chartulas aliquid publice prodiderunt. Velut quae his ipsis diebus ad me allata est altera editio Bruti Ellendtiani, in ea de Lagomarsini codicibus tum praefat. p. VII sqq. tum p. 184 sq. ea vel narrata vel non narrata reperiri, quae in illa, quae de iisdem codicibus ego p. 56 et

Digitized by Google

66 sq. testatus sum, non omni ex parte conveniant. Fidem igitur meam ut iis, si qui in suspicionem vocare animum induxerint, expurgem, hoc loco integram scripturae discrepantiam cum ad Bruti §§ 71. 72. 73 tum ad Tuscul. Qu. I, 1 extr. pertinentem proponam, qualem ex eo exemplo, quod penes Patres Collegii Romani est, meum in usum transscribi Braunii mei amicitia iussit. Quo facto liberum unicuique iudicium esto.

Brut. § 71.] *62.* Nam. — *63.* at. — om. 70. — *64.* Odyssea. — odissia 89. 43. 39. — odyssia. 8. 41. 93. 70. 58. 68. — odyxia — 46 — odissa 85. — *65.* latina — om. — 58. — *66.* latina — om. — 58. — *66.* est — est. 26. — *67.* Sic — Sic in. 85. — sic. 37. 38. — sic enim. 93. 20. — *68.* tanquam — in tanquam. 89. 39. 53. 70. 58. 68. 35. — tanq.. 93. — in tamq.. 51. 8. — intanq.. 56. — tamq.. 98. — *69.* opus — opud. 51. — aliquod opus Dedali etc. 68. — *70.* aliquod — hoc. 93. — aliquid. 20. — *71.* Dandali — dele (exp.) Dedali 89. — Bedali 39. 93. 56. 70. 85. 35. 20. — *72.* et. — *73.* Livianae — Leviane 70. — *74.* fabulae. — *75.* non. — *76.* satis — *77.* dignae — digne 8. — *78.* quae. — *79.* iterum. — *80.* legantur.

§ 72.] *1.* Atque. *2.* hic. *3.* Livius — est Livius 102. — *4.* qui. *5.* primus. *6.* fabulam. *7.* C. *8.* Clodio — Claudio 93. (: c. 35.) *9.* Caeci — Ceci 53. 93. 56. 70. 58. 68. 35. — *10.* filio — F. 38. — *11.* et. — *12.* M. — *13.* Tuditano. — *14.* consulibus — cons. 89. 8. 37. 51. 56. 20. 92. — cos. 53. 98. — consul:: 93. — coss. 26. 38. 87. 99. 102. 101. — *15.* docuit. — om. 39. — *16.* anno. — *17.* ipso — i.. docuit. 39. — *18.* Antequam — ante q.. 39. 53. 38. 37. 87. 102. 8: 92. 101. — ante quam 56. 98. — conc. 26. *19.* natus. — *20.* — est. — *21.* Ennius — Ennius 89. — *22.* post. — *23.* Romam — R. 87. — conc. 37. *24.* conditam — autem cond.. XIIII. et etc. 85. — C. 87. — autem cond.. quartodecimo etc. 20. — conc. 37. — *25.* autem — anno. 56. 26. quartodecimo — quartodecumo 39. 51. 8. 53. 34. — CCCC. X. ut etc. 102. — quatuordecumo 58. — quadringentesimo decimo, ut etc. 26: c.) 37. 87. 92. — *27.* et. — *28.* quingentesimo — quinquagentesimo 85. — quingentesimo 8. — *29.* ut. — *30.* hic. — his. 53. — *31.* alt. — *32.* quem. — *33.* nos — *34.* sequimur — *35.* est. — *36.* enim. — *37.* inter. — *38.* scriptores. — *39.* de. — *40.* numero. — *41.* annorum. — *42.* controversia. — *43.* Attius — Accius. 89. 4: 20. 37. 53. 51. 56. 26. 38. 58. 81. 87. 99. 102. 92. 101. — Actius. 93. 68. — Acticus 39. — Actitius 70. — Atticus. 35. — *44.* autem. — *45.* a. — *46.* Q. — *47.* Maximo — Maxumo 4: 51. — *48.* Quintúm (sic) — Quintum 37. — Q. (inscr. = um =) 56. — quinct. 98. — *49.* consule — cons. 89. — conc 37. — consulem 39. 58. 68. c.) cos. 51. 26. 38. 87. 8: consule 93: — *50.* captum — et capto 56. 84. — *51.* Tarento — tarentum 39.

Digitized by Google

53. 70. 68. 87. 20. 1. C. 35.) — conc. 37. — *52.* scripsit — *53.* liviam — *54.* annis. — *55.* XXX. — tringinta. 93. — *56.* postquàm — post 53. 70. 68. 20. 87. 9. — post. q.. 98. 99. 8: 101. — conc. 37. — p. — (c. = postq. =) 31. — *57.* enm — eam 53. 70. 56. 68. 87. conc. 37. — *58.* fabulam. — *59.* docuisse. docuisset 51. 8: — *60.* et. — om. 8: 51. 56. — *61.* Atticus — Act. 39.. — *62.* scribit. — *63.* et. *64.* nos. — *65.* in — om. 39. — *66.* antiquis. — *67.* commentariis — comment.. 89. c.) — coment. 58. — *68.* invenimus.

§ 73.] *1.* docuisse — *2.* autem — *3.* fabulam — *4.* annis — *5.* post — *6.* XI — undecim 93. — X. 68. — *7.* C. — Cn. 98. 99. 101. — 8. Cornelio. — *9.* Q. — Qu. 37. — *10.* Minucio — munucio 39. c.) — Minutio 93. 26: 58. 85. 20. 35. 37. 87. 99. 102. 92. 101. — *11.* consulibus. 24. — coss. 26: 38: 87. 99. 102. 101. — cons. 89 (sic) — cos. 53. 46. 98. — consul:: 93. — cons. 51. 85. 20. 37. 8. 92. — *12.* ludis. — *13.* Iuventatis — iventatis 89. — Luctatiis 37. 26: c.) 87. 92. — Luentatis 4: 53. 56. 58. 68. 85. — Iuentatis 51. — Luentanis 39. Iuventutis 98. — Liuianis 20. marg. = Liuius salinator, et Nero cos. Asdrubalem apud Senegaliam cum toto exercitu deleverunt. =) tuentalis 35. 70. 93. — *14.* quos. — *15.* Salinator 25. — *16.* Senensi — Senesi 89. 39. 51. 53. 58. 68. c.) 85. 8: — sen.. (c. — senonensi =) 20 — seriensi 93. — *17.* proelio — praelio 89. 26: 38. 58. 37. 127. 99. 101. — prelio 53. 97. 56. 70. 68. 85. 20. 35. — prelio 39. — *18.* voverat. — noverat. 39. 98. 58. — *19.* In. — *20.* quo. — *21.* tantus. — *22.* error. — *23.* Attii — Accii 89. 56. 26. 38: 20. 37. 87. 99. 102. 92. 101. — Actii 93. — Acci 39. 51. 53. 70. 58. 68. 35. 8: — Acii 85. — *24.* fuit. — *25.* ut. — *26.* his — iis 20. — *27.* consulibus — Cos. 53. — cons. 51. 85. 37. 20. 8: — coss. 26: 38: 87. 102. — 28. XL. — XXXX. 89. 51. 56. 38: 20. — (c. 26:) 8: — XXX. 85. — quadraginta 93. — *29.* annos — natus annos Ennius etc. 93. — *30.* natus. — *31.* Ennius — Emmius. 89: 70. — *32.* fuerit — fuerat 85. — *33.* cui — om. ad = Livius = 89. 70. — quod equalis etc. 53. 39. 51. 56. 58. 68. 85. 20. 35. — *34.* cum — om. 8: — si 93. 98. 99. 101. — *35.* aequalis. — *36.* fuerit — fuerit: Livius minor etc. 58. 8: — *37.* Livius — *38.* Minor — *39.* fuit — aliquanto fuit is etc. 39. — *40.* aliquanto — *41.* is — primus q.. fabulam etc. 58. — *43.* primus — *44.* fabulam. — *45.* dedit, — *46.* quàm — *47.* ii — hi 39. 51. 53. 70. 58. 68. 8: — ā ii 56. c.) — *48.* qui. — *49.* multas — multa 51. 85. — *50.* docuerant — docuerat 89 — docuernnt. 56. — *51.* ante — *52.* hos. — *53.* Consules — cos. 51. 56. 8: — coss. 26: 38: 87. 102. — cons. 37. 20. 92. — *54.* et. — *55.* Plautus. — *56.* et. — *57.* Naevius. — Nevius 89. 39. 53. 93. 56. 70. 58. 68. 85. 34. 8: c.) — Ennius 20. c. 4. 39.)

Tusc. Quaest. I, 1 fin.] *42.* annis. 3. — ann. 31. — *43.* enim — om. 23. 33. 34. 31. 61. 64. 69. 107. 120. 93. 119. 2. — *44.* ferè —

Digitized by Google

vere. 3. fere.... 2. — 45. CCCCX. 114. — trecenti decem. 3. CCCX. 23. CCCCXVIII. 64. 69. 103. c.) 107. 61.) sup. = o = quadringentis decem. 33. 34. 93. CCCCX. 120. 48. c. a rec. man. = D. X. (CCCCX = DX. 123. 125. CCCCC. X. 50. conc. 121. om. 2. — 46. post — posto. 2. c.) — 47. Romam. — 48. conditam. — 49. Livius — 50. fabulam. — 51. dedit. — 52. C. — Gaudio 31 (sic) Gayo. 60. Appio 120. G. 61. 64. 69. 103. 114. (93. c.) Gajo 43. 23. 107. 100. 2. — 53. Claudio 107. — Claudii. 103. c.) — 54. Caeci - 107. 114. 100. 2. ceci. 33. 3. 39. 54. 60. 31. 69. 61. Coeci 119. — 55. filio — F. 53. — filio ceci filio. 31. c. — 56. M. — et M. 3. 33. 34. 114. 103. 93. — 57. Tuditano — Tudetano. 31. Tudiano. 69. tu — ditano. 43. — 58. consulibus. — consul. 23. cons. 121. 93 cos. 33. 54. 123. 125. — con. 34. — coss. 48. 49. — 59. anno — non. 43. — a... (inser. = s. uno =) 103. — 60. arte — artem. 3. — 61. natum — notum. 43. — 62. Ennium: — Emnium. 60. — ānium: 2. c.) 63. qui. — 64. fuit.

Sed persequar reliqua: sequar autem paginarum ordinem.

P. 27 sq. annot. in transcursu tractatos Liviі ex Odyssea versus in Hermanni Epit. doctr. metr. p. 223 nov. ed. sic video non improbabiliter sive ab Hermanno sive a M. Hauptio scribi:

ibi manens sedeto, dónicum videbis
me cárpento vehentem in domum venisse.

Levidense est, quod non vere dicitur Charisius *non nominato auctore* afferre.

P. 95 commemoratum Plautium unquam vixisse negantibus licebat alium perobscurae memoriae poetam opponere, iungendum eum ut videtur iis comoediae scriptoribus, quorum nomina p. 196 sq. composuimus. Est is Quintipor ille Clodianus, cuius strictim mentio iniecta p. 267. De quo non ambiguum, si quid video, ipsius Varronis iu satira testimonium exstat apud Nonium p. 448: *cum Quintipor Clodianus* (*Clodius* libri) *tot comoedias sine ulla fecerit Musa, ego unum libellum non edolem*? Non sane honorificentius de eodem idem sensit in epistola ad Fufium apud Non. p. 117 (cf. p. 144. 425), verbis quidem non satis expeditis, plana sententia.

P. 105 quod miram esse dixi Dossenni vel Dorsenni alicuius poetae cum ipso Plauto consociationem, idem mecum sensisse plerosque coniicio. Quod autem

Digitized by Google

non magis ego quam alius quisquam contra gravissimorum, ut videbatur, testimoniorum auctoritatem ausi eramus, ut prorsus de medio tolleremus poetae Dossenni memoriam, id nunc ut faciendum putem propemodum persuasit Bergkii nostri facunda ratiocinatio privatim nuper mecum communicata. Et Horatiani quidem versus (Epist. II, 1, 173) quam ille interpretationem commendabat: *quantus dossennus in inducendis edacibus parasitis Plautus sit:* eandem iam video C. O. Muellero tribui ab Orellio, cuius dubitationi aliquo modo licet comparato *bucco* nominis usu (cf. nos p. 32) occurrere. Nam quod ita non sane urbanus Plauti obtrectator Horatius existit: talis quidem inurbanitas non potest ab eius in hoc genere morositate aliena videri. Commemorata autem apud Senecam Epist. 89 *dossenni monumentum* atque *sophian dossenni* non necessario ad poetam Dossennum spectare, verum liberius genus interpretandi nullo negotio admittere, satis iam Munkius disputavit de fab. Atell. p. 35. Restat Plinii testimonium N. H. XIV, 13, 92, quod perscripsimus p. 370 sq. Ibi igitur cum haec exstent: *Sed Fabius Dossennus his versibus decernit..... et in Acharistione.....*: eis quidem verbis Bergkius sagaciter putat non Dossenni versus dici, sed Plautinos, quibus quidem controversam quaestionem dirimere aliquis sive litteratus sive iureconsultus Fabius Dorsennus perhibeatur: quemadmodum eandem sententiam item Plautino versu comprobasse Scaevola, Aelius et Atteius Icti a Plinio statim post narrantur. Quo et de Acharistione Plautina fabula testimonium Nonianum convenire, et illud aliqua ex parte videri accommodari posse, quod Fabiae gentis cognomentum, si minus ipsum *Dorsennus*, at saltem *Dorso* vel fortasse *Dorsuo* exstet apud Livium et Valerium Maximum. — Quae si non sine aliqua probabilitate disputata sunt, Dossenni nomen etiam p. 110 et 196 nobis omittendum erat. — Illud autem fieri nullo modo potest, quod placuisse Muellero video, ut *dorsennum* Horatianum interpretemur *manducum:* quod ille ut faceret motus est puto *edacibus* epi-

Digitized by Google

theto. Atellanarum persona ludicra dorsennus (haud dubie a dorsi gibbere dicta) non est helluo lurcove, sed hariolus quidam: de quo Munkius exposuit p. 35. Itaque non peculiarem propriamque dorsenni indolem, qua is ab aliis Atellanarum personis, macco, pappo, buccone, distabat, spectari ab Horatio credo, sed communem omnium scurrilitatem: nec edacitatem solam parasitorum, sed edacium parasitorum item scurrilitatem, plurimis eam exemplis Plautinarum fabularum illustrem, ex ipsaque fame consectariam atque coniunctissimam cum edacitate. Hoc ut dicat poeta: *quantus ipse scurra sit in scurris parasitis describendis.* Vides quattuor personas primarias fabulae palliatae perstringi: amantis ephebi, patris attenti, lenonis insidiosi, edacis parasiti: huius autem plus etiam quam reliquarum tractationem Plautinam stomachum Horatio movere.

P. 135. 141. 144 de Caecilii Hypobolimaeo et Hypobolimaea rastraria dicentem fugit Grauerti disputatio Analect. hist. et phil. p. 75 sqq., cuius nunc tanquam longinquae memoriae recordatione admoneor. Ostendere ille sat probabilibus argumentis studuit, nec Hypobolimaeam nec Hypobolimaeam rastrariam Caecilii unquam exstitisse, sed unam *Hypobolimaeum*, eamque altero nomine *Rastrariam* dictam esse ut Asinariam, Mostellariam ceterasque huius generis fabulas Plautinas. Et de librorum mss. fide certius etiam iudicare nunc licet. Qui quidem ipsa *Hypobolimaea rastraria* nomina semel tantum testantur Nonii p. 16, ac semel praeterea femininam formam ibid. p. 89: *Periboea rastraria.* Reliquis quinque Nonii exemplis aut non plena terminatione perscriptum prius nomen est, sed *Hippobolimen* p. 178, *Hypoboli* p. 176, *Hypovoli* (*ristraria*) p. 147, *Hypob.* p. 505, aut ipsa forma masculina servata: *Hypobolimaeo rastrabia* p. 40. Geminam autem inscriptionem *Hypobolimaeus* et *Rastraria* quod in unius indicis continuitatem iunctam videmus, id soli inscitiae Nonii tribuendum: nec magis *Hypobolimaeus sive Rastraria* dici potuit, quod visum est Grauerto. Duas, nisi fallimur, Ὑποβολιμαίους verterat.

Digitized by Google

Caecilius: alteram Menandriam Ὑποβολιμαῖον ἢ Ἀγροικον, alteram sive Philemonis sive Alexidis Ὑποβολιμαῖον. Hae ut inter se fabulae recte discriminarentur, addita sunt subditiciorum nomina adulescentium: *Hypobolimaeus Chaerestratus* et *Hypobolimaeus Aeschinus.* Ac de illo satis constat Ciceronis pro Rosc. Am. 16 testimonio, quocum percommode conciliatur Festi p. 174 M. memoria; de hoc immerito Gellianam fidem (XV, 14), e qua pependit Nonius p. 106, Grauertus p. 79 addubitavit. Vertebat autem Caecilius etiam Νόθον Philemonis, eique νόθῳ nomen fuisse Nicasioni apparet. Itaque ipsa rationis communitas effecit, ut ad Hypobolimaeorum similitudinem etiam *Nothus Nicasio* diceretur pro simplici Notho. — Sed Menandriam Hypobolimaeum ut a cognomine fabula discernerent, etiam alteram viam quandam ingressi grammatici, antiquioris aetatis exemplo Plautinique moris recordatione a *rastro,* cuius in illa mentionem sive iniectam sive frequentatam esse consentaneum est, traducto nomine *Rastrariam* dixerunt: nam ab ipso poeta haec ratio inscribendi indicis non potest non aliena videri. Id nomen forte a se repertum cum altero temere conglutinavit Nonius. — Breviter, quid mihi videretur, significavi, uberius sententiae meae rationes, si opus fuerit, alio tempore explicaturus.

P. 166 v. 11 a fine pro *oder auch* corrige *aber nicht*

P.187 (ubi v. 6 a fine adde *p. 165*) quod glossemata Opiliana et eum librum, qui inscribebatur *Pinax,* discrevi, id aliunde ducta argumentatione magis etiam videtur confirmari posse. Sic enim, cui *tabulae* illius notitiam soli debemus, Suetonius Gramm. c. 6 de Opilio: *Huius cognomen in plerisque indicibus et titulis per unam l litteram scriptum animadverto: verum ipse id per duas effert in parastichide libelli qui inscribitur Pinax.* Quae Grysarem moverunt, ut de duplici genere παραστιχίδων vel παραστιχιδίων vel ἀκροστιχίδων sic commentaretur de Doriens. com. p. 98: *Parastichides aut aliquot versiculis constabant, quorum litteris initialibus nomen auctoris continebatur:*

Digitized by Google

aut positae erant in titulis sive indicibus, qui ad diversas libelli partes pertinebant, ita ut singuli singulas ex auctoris nomine vel cognomine litteras haberent. Huic quidem generi adnumerabis acrostichon illud, de quo loquitur Suetonius. Atqui talis quidem parastichidis, si modo recte verba obscuriora interpretor, nec ullum usquam exstat exemplum nec sat commode cogitari potest. Illud compertum habemus, sed uno solo exemplo infimae aetatis, singulorum alicuius scripti librorum initiis h. e. litteris initialibus (non *titulis sive indicibus*) effectam esse acrostichidem: qualem Philostorgii Historiae ecclesiasticae Photius Bibl. cod. 40 tribuit: *ἐν λόγοις ιβ', ὧν αἱ ἀπαρχαὶ συντιθέμεναι τὸ τοῦ συγγεγραφότος ἀπαρτίζουσι Φιλοστοργίου ὄνομα.* Verum in Opilium vel propterea neutrum cadere artificium potest, quod iste *libellus* non fuit profecto tot libris divisus, quot litteris opus est ad Opillii (vel adeo Aurelii Opillii) nomen efferendum: quo accedit, quod de Philostorgio loquens nec utitur Photius *παραστιχίς* nomine, nec satis recte, si vim vocis compositae propriam spectamus, potuisse uti videtur. Immo *versibus* metro astrictis, ut est consentaneum, fieri solitas parastichidas, id vero tota antiquitas clamat. Testantur hoc exempla Epicharmi (vel Epicharmiorum potius) apud Diogenem Laert. VIII, 78, Dionysiique *τοῦ Μεταθεμένου* apud eundem V, 93: (ubi allatos duos senarios noli putare in ipsa tragoedia Sophocli supposita lectos esse, sed potius sexaginta versuum continuis initiis effectos;) testantur Sibyllina vaticinia cum a Dionysio Halic. Antiq. IV, 62 commemorata, tum imprimis notabili eorum versuum exemplo, quorum initiis compositis ΙΧΘΤΣ nomina fiunt, apud Gallaeum p. 723; testatur de Ennio Cicero de divin. II, 54, ubi tamen Aurati coniecturam vix audemus contra Wolfium in Muret. Var. lect. I, p. 272 tueri cum Orellio. Item ad poetarum versus eae parastichides pertinent, in quibus aucupandis exquirendisque multos fuisse veteres grammaticos et Gellius docet XIV, 6 et ipse Eustathius in Iliad. Ω p. 1462. Quo autem consilio acrostichis Ennius et Opilius et

Digitized by Google

anthologiorum ex Epicharmo excerptorum (cf. Welckeri Opuscul. I, p. 347) sive conditor sive conditores usi sunt, nomen scriptoris ut posteritati ludibunda manu traderetur, idem consilium duobus nuper Ἀναγραφῆς τῆς Ἑλλάδος et epigrammatis Catiliani luculentis exemplis patefactum est felicissima Lehrsii Franziique sagacitate in Mus. philol. II, p. 354 et III, p. 292. Haec igitur omnia cum ita sint, vix dubitari a quoquam putamus, quin Opilianae quoque parastichidis memoria coniuncta sit cum metri notione: sive ille prosa oratione perscripto Πίναξι praelusit aliquot versiculis nomen suum operto artificio aperientibus, sive Porcio Licinio, Volcatio Sedigito, L. Attio, Lucilio (non item Servio Claudio, v. p. 243 sq.) sociandus est, quos suppari aetate simile genus litterarum versibus tractasse vidimus p. 91. 320 sq. Hoc si verius sit, ut Lerschio visum est in Diar. antiq. stud. a. 1839 p. 340, eximendus fuerit Opilius ex eorum numero, quos posse de ipsis actionibus scenicis accurate finitaque annorum notatione egisse disputavimus p. 321.

P. 195 (et 378 annot.) vituperatis Vectii *et* Philocomi patronis licet I. Beckerum addere in Diar. antiq. stud. a. 1843 p. 243. Recte unum Vectium Philocomum Van-Heusdius posuit Stud. crit. in Lucil. p. 46. 137, quem librum abhinc duobus annis editum his demum diebus nactus sum. Sed multo etiam prius verum et vidit Gronovius et probavit Wolfius, quorum tum non in promptu erant Suetonii editiones, accuratius autem H. Meyerus explicavit in eisdem illis Diariis a. 1836 p. 376. — A Quintiliano autem commemoratum Vectium, quem insectatus esse Lucilius dicitur, Titinium autem Vectium esse Beckerus quoque p. 244 perperam statuit, rectius ut videtur, quam nos eundem illum Philocomum, Van-Heusdius p. 197 coniecit Vectium vel Vettium Vettianum esse, laudatum Ciceronis Brut. §. 169 Marsorum oratorem: quanquam id quoque praeivit Meyerus in Brut. p. 146, qui item de Philocomo olim ipse cogitaverat. — Nec vero *familiarem* Lucilii iam satis tuto dicere Vectium Philocomum licebit:

* *

Digitized by Google

quando subtili profecto disputatione *familiaribus suis* pro *familiaris sui* Suetonio restitui Van-Heusdius iussit Stud. crit. p. 46 sq. et Epist. ad C. F. Hermannum p. 15 sqq.

P. 199 annot. commemoratam Ladewigii de actae Casinae tempore sententiam confirmare ille supplemento argumentorum in Mus. philol. III, p. 537 sqq. studuit: quorum tamen, nisi fallimur, nullum est, quin ei tanquam praesensione aliqua ipsa nostra disputatione occurrerimus.

P. 207 annot. improbatam Visseringi de basilica Plautina opinionem video etiam a Beckero Antiq. Rom. II, p. 398 reiici.

P. 210 v. 2 legendum *Folgerungen* pro *Folgen*

P. 214. 216 sqq. quod certa ratiocinatione usus contendi sexto V. C. saeculo spectatores in theatro stetisse aut saltem non consedisse in gradibus, ei rei grave licet e Ciceronis de amicit. c. 7 argumentum addere, ubi Laelii haec sunt verba: *Qui clamores tota cavea in hospitis et amici mei M. Pacuvi nova fabula, quom ignorante rege, uter esset Orestes, Pylades Orestem se esse diceret, ut pro illo necaretur, Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseveraret. Stantes plaudebant in re ficta.* Quae verba non mediocri et negotio et fraudi fuerunt interpretibus. Nam cum praeiudicata opinione sibi persuasissent gradus theatrales iam Plautina aetate exstitisse, id quod aliquanto calidius e prologis quibusdam concluserant, *stantes* prorsus insolenter interpretati sunt *assurgentes:* quantum quidem e C. Beieri annotatione perspicio, cuius nunc solus in promptu est commentarius. At vero diligentissime et ad rerum veritatem accommodatissime Cicero *stantes* dixit pro *spectantibus*, multoque adeo maiore iure, quam hoc loco, illis potius exemplis, quae p. 209. *) 216 commemoravimus (quibus quidem, ut etiam de divin. I, 26, de *consessu* loquitur), videri poterat tempora miscuisse: si modo miscere tempora dicendus

*) Vbi *Asconius I, S. 69* erratum est pro *Asconius II, S. 69.*

Digitized by Google

est, qui in re secundaria loquendi usum suae aetatis sat excusabili incuria sequatur. Quanquam illa exempla si ita uti fecimus interpretamur, ut de subselliis domo apportatis et in horam paratis cogitetur, nec in negligentiae temporumque permutatorum vel levissimum crimen Cicero incurrit, nec nos statuimus quod non in contestatam rei universae memoriam apprime conveniat. Eique rei mox novum documentum afferemus p. XX.

P. 225 cum de servis fabularum spectatoribus vel potius non spectatoribus dicebam, non oblitus eram orationis de haruspicum responsis (c. 11. 12), sed nolebam iis uti, quae ad tempora diversissima spectarent. Quanquam, quae quidem illinc colligi possunt, a nobis disputatis non modo non repugnant, sed fidem potius addunt. Nam quod ludis Megalensibus anni 697 *collecta ex omnibus vicis vis innumerabilis servorum a P. Clodio aedile* dicitur *repente fornicibus ostiisque omnibus in scenam immissa irrupisse*: — *servorum et ludiorum multitudini Clodius senatum populumque Romanum, vinctum ipso consessu et constrictum spectaculis atque impeditum turba et angustiis, tradidisse*: — *nulla* hos ludos *matrona adisse propter vim consessumque servorum*: — *servi* eos *fecisse, servi spectasse*: *tota denique servorum Megalesia fuisse*: — hoc omne prorsus singularem rei inauditae atrocisque praeter morem facinoris insolentiam testatur. Contra quod *Caius et Appius Claudii* dicuntur, *cum ludos facerent, servos de cavea exire iussisse*, eo duo simul docemur: legitimum quidem et quavis offensione vacuum ad caveam aditum servis non fuisse, sed eundem usu tamen, sive abusum dicere malueris, invaluisse atque id licentiae servis indulsisse magistratus: alioqui nec ius fuisset aedilibus exturbandorum servorum, nec praeter ceteros Claudii potissimum illi commemorarentur tanquam praecipuam laudem meriti. — Ceterum quod et §. 22 verbis ante allatis et §. 25 his verbis: *omne servitium, permissu magistratus liberatum, in alteram scenam immissum, alteri praepositum, ut alter consessus potestati servorum obiiceretur, alter servorum totus esset*: scena est

Digitized by Google

pro cavea dicta, id prorsus sine exemplo esse iure suo Marklandus et Wolfius annotarunt. Rectius, sed molesta loquacitate, scriptor illius orationis, quem non esse Ciceronem certum est, sic §. 26: *Illi servos de cavea exire iubebant: tu in alteram servos immisisti, ex altera liberos eiecisti.*

P. 228 a nobis defensae sententiae, qua *curatius editos* ludos, quos Tacitus dicit, interpretati sumus accuratius *graeco more* factos, graecum autem morem praeter cetera ad gradus theatrales tum primum exstructos rettulimus, non mediocriter ipsa Augustini verba favent, quibus destructi Nasica auctore theatri memoriam (a nobis p. 213 sqq. explicatam) sic comprehendit: *caveam theatri senatum construere molientem ab hac dispositione et cupiditate compescuit, persuasitque oratione gravissima, ne graecam luxuriam virilibus patriae moribus paterentur obrepere et ad virtutem labefactandam enervandamque Romanam peregrinae consentire nequitiae: tantumque auctoritate valuit, ut eius verbis commota senatoria providentia etiam subsellia, quibus ad horam congestis in ludorum spectaculo iam uti civitas coeperat, deinceps prohiberet apponi.* Quae nescio an ex ipsius Livii libro XLVIII. petita sint. Vide autem, quam egregie nostram de scena, cavea, gradibus, subselliis, consessu disputationem illa confirment: *caveam theatri* —, et *subsellia, quibus ad horam congestis.* e. q. s., *apponi*: item quam prorsus idem, atque nos p. 218, de caussis et rationibus illius severitatis Augustinus senserit, his ille verbis pergens: *Quanto studio iste ab urbe Roma ludos ipsos scenicos abstulisset, si auctoritati eorum, quos deos putabat, resistere auderet, quos esse noxios daemones non intelligebat, aut si intelligebat, placandos etiam ipse potius quam contemnendos deos existimabat.* — — Ceterum Mummii de Corintho triumphum ad annum 607 Capit. referenti p. 227 sq. haerebant in memoria Eutropii verba IV, 14: *Tres Romae simul celeberrimi triumphi fuerunt, Africani ex Africa .... Metelli ex Macedonia .... Mummii ex Corintho.* Lo-

Digitized by Google

cupletiorum fidem auctorum si sequimur, capta est Corinthus a. 607, triumphatum proximo anno.

P. 239 proposito argumento, quo Aelii Stilonis natales initio saeculi septimi ascripsi, quod circa hoc ipsum tempus natus Lucilius librum aliquem Aelio dedicasset, non debebam tantum tribuere. Nam, ut uno exemplo utar, uno et viginti annis minori Bruto suum de oratoribus librum Cicero dedicavit. Quo tamen non infringitur reliqua argumentatio nostra ad Aelium pertinens. — Aelianas autem fabulas Plauti XXV (licet enim Varronianarum exemplo appellare) ostendi p. 126 (cf. annot. p. 239) praeter quattuor, de quibus non constet, easdem esse atque ipsas Varronianas XXI. Sed etiam illarum quattuor saltem una etiamnunc videtur investigari posse, si eandem ratiocinationem, quam annot. p. 242 sq. Servio Opilioque adhibuimus, transtulerimus ad Aelium. Nam si consentaneum est a Plautinis grammaticis eas potissimum fabulas tractatas esse, de quarum fide ipsis persuasum esset, non temere videbimur pro Aeliana Faeneratricem habere propter Festi ea verba quae perscripsimus p. 366. — Festi autem in illo genere universo, quod persecuti sumus p. 149, eo graviorem apparet auctoritatem esse, quo certiore argumento (vid. annot. p. 367) intellectum est Plautinarum glossarum scriptoribus Verrium esse usum. — Ceterum satius duxi silentio et illic et p. 358. 367 praetermittere, quod Aelio non tantum *commentarios de fabulis Plautinis*, sed etiam *libros de lingua latina* vel adeo *de grammatica latina* H. Meyerus et eius vestigia premens Ellendtius tribuerunt in Cic. Brut. §. 169.

P. 251 et p. 257 quos posui annorum 645 et 609 aediles C. Cosconium et D. Iunium Silanum Luciumque Hostilium Tubulum, eos sero intellexi commenticios esse ut alios longe plurimos a Pighio fidenter effictos. Cuius etsi eo in genere valde temerariam licentiam minime ignorabam, tamen non putaram similem liberalitatem eius fore, qui Pighianae fidei acer exagitator exorsus haec de se professus esset consolita orationis elegantia: *Itaque nomina in Aedilium non notatorum*

Digitized by Google

loco a Pighio iam collata his quoque duobus capitibus inserentes, semper accuratam eadem uncis includendi diligentiam, nisi omnis dubitationis species de addito anno evanuisset, observavimus. Verba sunt F. G. Schuberti de Roman. aedil. p. 277. Scilicet uncis inclusit, quorum ne mentio quidem fit apud rerum scriptores: vacare dubitationis nota voluit, quae, etsi cum ipsa aedilitate nusquam coniuncta, tamen aliquo in loco magistratuum Romanorum referuntur. Velut Iunium et Hostilium illos non alia de caussa et in aedilibus rettulit et certis annis ascripsit, nisi quod praetores fuisse constat: ut taceam de Cosconio. Apparet meritam acrimoniam esse, qua de tali opera iudicasse Niebuhrium video in scholis de hist. Rom. habitis, vol. I, p. 111 ed. Ien.

P. 292, item p. 348 dubitavi, num Apollinares ludi statim ab initio scenici necne fuissent: quos quidem a. 584 fuisse scenicos Thyestae Ennianae exemplo constaret. Omnis tollitur dubitatio longe luculentissimo testimonio, quod docti adulescentis Iacobi Bernays Hamburgensis indicio debeo. Festi enim p. 326 Muell. haec verba sunt: „*Salva res est dum cantat senex*" *quare parasiti Apollinis in scaena dictitent, causam Verrius in l. V. quorum prima est P littera, reddidit, quod P. Sulpicio Cn. Fulvio Cos., M. Calpurnio Pisone Pr. Vrb. faciente ludos subito ad arma exierint nuntiato adventu hostium victoresque in theatrum redierint solliciti ne intermissi religionem afferrent instaurandique essent: inventum esse ibi C. Pomponium libertinum mimum magno natu, qui ad tibicinem saltaret: itaque gaudio non interruptae religionis editam vocem nunc quoque celebrari. At in hoc libro refert Sinni Capitonis verba, quibus eos ludos Apollinares Claudio et Fulvio Cos. factos dicit ex libris Sibyllinis et vaticinio Marcii vatis institutos, nec nominatur ullus Pomponius: ridiculeque de ipsa appellatione parasitorum Apollinis hic causam reddit, cum in eo praeterisset. ait enim ita appellari, quod C. Voumnius, qui ad tibicinem saltarit, secundarum*

Digitized by Google

partium fuerit, qui fere omnibus mimis parasitus inducatur. E quibus evidentissime apparet iam a. 542, vel si Capitonem sequimur, adeo a. 541 h. e. ipso primum institutorum Apollinarium ludorum anno fabulas in scena actas esse. Secundum haec corrigendum, quod p. 218 coniecimus; item p. 299 v. 20 pro *nicht vor 541* confidentius loqui licebat *seit 541*. — Ceterum cum Festo convenit Servio in Aen. VIII, 110: cuius in Aen. III, 279 annotatione eadem videtur narratiuncula ad Megalenses ludos referri. Cui similem inconstantiam tetigimus p. 231, de qua cf. Wolfium in Cic. oratt. IV. p. 340 Madvigiumque Opusc. I, p. 103 sq., recte ut videtur Megalensium memoriam reiicientes.

P. 311 sqq. (ubi v. 13 ab operis peccatum *in der Rede* pro *die Rede*) quam explicavimus instauratorum ludorum notionem, eam planissime confirmat etiam Festi illud, quod modo perscripsimus testimonium. — Ibidem cum brevius significaverim pertinere narratiunculam illam, cuius auctores satis habebam Ciceronem Livium, Dionysium commemorare, ad ludos votivos, id ita esse paullo nunc plenius demonstrabo propter Merkelii potissimum dissensum, Dionysium aliosque rem non accurate scripsisse dicentis Proleg. in Ovid. Fast. p. CLIX. Non sane accurate Macrobius Saturn. I, 11, Lactantius divin. instit. II, 7 et Plutarchus Coriolani c. 25 prodiderunt: quorum illi tantum de *circensibus* loquuntur, hic nullos omnino certos ludos dicit. Sed multo etiam minus accurate ii, quibus plus fidei quam Dionysio habere Merkelius videtur, Valerius Maximus I, 7, Rom. 4 et Augustinus de civit. dei IV, 26, quocum convenire Livio sibi persuasit. Atqui Livium, cum ludos magnos dicit, nunquam velle Romanos intelligi, sed ipsos votivos ludos, p. 290 docui. Id autem eodem erroris genere, quod Merkelio cum aliis commune est, falso interpretatus Augustinus *Romanos* commemoravit *).

*) Ex eodem fonte, quod *ludi magni* (vel *maximi*) *votivi* cum *ludis magnis* (vel *maximis*, ut Liv. VI, 42) *Romanis* miscerentur, nescio an duorum praeterea scriptorum errores repetendi sint, qui quidem in contrariam partem valent Primum eius (uam

Digitized by Google

Et praeclare in votivos convenit, quod Iovis potissimum placandi caussa instaurati esse illi ludi narrantur. Nam cum sane Romani ludi etiam ad Iovem pertineant, tamen ad eum solum votivi spectant: ut non videatur nullius momenti esse, quod, quem ceteri Iovem simpliciter, τὸν Καπιτωλῖνον Δία Dionysius c. 68 dicit, atque adeo *ludis circensibus qui Iovi maximo fierent* Arnobius rem accidisse scribit adv. gent. VII, 36 Or. (39.) Quocum coniunctum est, quod de *ludis Capitolinis* semel a Livio memoratis conieci p. 290. Huic autem Iovi Capitolino quid tandem societatis intercessisse cum *ludis plebeis circoque Flaminio* dicamus, quos hac in caussa solus Valerius affert? Cuius planius etiam error patebit, simulac caussam errandi probabiliter indagaverimus. Recordandum est autem, Q. Sulpicio Sp. Lartio Cos. instauratos illos ludos testari Dionysium h. e. anno V. C. 263: a quo fortasse ne Livius quidem discrepat, qui etsi rem narrat sub consulibus superioris anni (262) M. Minucio A. Sempronio, tamen nullam hoc vim habet propterea, quod ille nullos omnino consules nec anni 263 nec adeo 264 commemorat, sed Minucio Sempronioque (c. 34) continuat anni 265 consules Sp. Nautium Sex. Furium (c. 39): ut non immerito ad Sulpicii Lartiique annum ipsum initium capitis 37 (*Ludi quam amplissimi ut fierent senatus decrevit. Ad eos ludos* e. q. s.) Sigonius, Perizonius, Pighius, alii rettulerint. Iam vero proximo ante 263 anno facta est secessio illa plebis, cuius cum patriciis reconciliatae caussa *ludi plebei* instituti: quam rem, personati Asconii testimonio proditam (vid. p. 306 sq.), miro silentio Livius et Dionysius praetermiserunt. Eos igitur ludos, exiguo ut apparet tem-

nomen apud Asconium II, p. 69 Or. excidisse rectissime Madvigius vidit), qui senatorum a populi consessu secretionem non Romanis (nec Megalensibus) ludis aedilium, sed ludis votivis a consulibus eodem anno (559) factis tribuit: de qua re paullo ante monebamus p. XXIII. Consimilis, nisi fallor, alter error fuit Attii, cum votivorum ludorum a Livio Salinatore factorum memoria primam actionem scenicam Livii Andronici sociantis, quae ad Romanos potius pertinuit: id quod tegitimus p. 288. 299 annott. 318. 628 annot.

Digitized by Google

poris intervallo a votivis illis distantes, prorsus non dubito quin cum his ipsis satis proclivi errore Valerius miscuerit. Quodsi non ad primam secessionem plebis interpretis Tulliani verba rettuleris cum Goettlingio, sed ad alteram, quae fuit a. 304 (de quo hic disserere nihil attinet): multo etiam apertior error est Valerii. — Quanquam quid longus sum coniiciendo interpretandoque, cum gravissima praesto sit Ciceronis auctoritas, planissimis verbis *ludos votivos maximos* memorantis *omnesque historicos, Fabios, Gellios, sed proxime Caelium*, antestantis, remque universam longe omnium diligentissime perscribentis. Et praeter ceteros quidem Cicero, ut ipse ait, Caelium est auctorem secutus: (§. enim 56 pergit *ut scriptum apud eundem Caelium est*:) quod contra Dionysius, ut e cap. 71 videtur colligi posse, e Q. Fabii fide pependit. Vide autem, quam inter se Cicero et Dionysius consentiant, quorum hic non tantum ut ille *votivos* ludos simpliciter, sed accuratius etiam ab A. Postumio dictatore votos l. c. perhibet, eos quidem ludos, quos cur et quando Postumius vovisset, ipse VI, 10 narraverat. Maior autem Ciceronis quam reliquorum testium, etiam Dionysii, diligentia in eo conspicitur, quod illos ludos non semel, sed bis instauratos esse docet. Nam primum intermissos dicit simillima de caussa atque ea fuit, quam Festus p. XXII a nobis allatus prodidit de Apollinaribus: *civitas ad armu repente est excitata*. Propter id *instaurativi constituti sunt*: *qui antequam fierent*, incidit somnium illud: e quo consequens fuit, ut *ludi illi iterum instaurarentur*, ut est apud Ciceronem. Vnde intelligitur quantum errarint, qui propter prima Ciceronis haec verba: *Cum bello latino ludi votivi maximi primum fierent*, Postumii illos ludos omnium votivorum primos fuisse arbitrati, omnino exstitisse votivos ante a. 263 negarent. In quorum numero video etiam Wertherum esse, cuius commentationem de circensibus nuper editam tetigi p. 286 sq. 291. annott. Immo opponuntur *primum facti instaurativis* h. e. primum instauratis, his autem *iterum instaurati*. Quod autem instauratos esse totos e Dionysii

Digitized by Google

verbis effeci annot. p. 312 sq. allatis, eodem etiam aliorum verba vel aperte spectant vel commode referuntur: *τὴν πομπὴν καὶ τὰς θέας αὖθις ἐξ ἀρχῆς ἐπετέλουν* Plutarchi; *nisi magnifice instaurarentur* et *ludi quam amplissimi ut fierent* Livii; *quae res nisi attenta ludorum instauratione expiaretur* Valerii; *senatus quadruplicata pecunia ludos censuit instaurari* Augustini, duplicata is quidem ea pecunia quae est apud Dionysium. E quibus omnibus consequens esse hoc volumus, ut nulla fides habeatur Macrobii memoriae, quam ex Varronis Antiquitatibus repetendam esse Merkelius sibi persuasit, coniectura ut opinor minime probabili. Sic enim ille: *ex senatus itaque consulto et Maevia lege* (de qua non habeo quod dicam) *ad propitiandum Iovem additus est illis circensibus dies is, qui instauraticius dictus est, non a patibulo, ut quidam putant, Graeco nomine ἀπὸ τοῦ σταυροῦ, sed a redintegratione, ut Varroni placet, qui instaurare ait esse instar novare.* Horum e Varrone nihil sumptum nisi una *instaurare* verbi originatio, et fortasse *diei instauraticii* mentio. De hoc legerat Macrobius; legerat item de instauratis propter Atinii (hoc enim nomen restituendum pro *Annio*) insomnium ludis circensibus: utriusque igitur rei memoria temere confusa unum diem instauraticium circensibus illis additum scripsit. — Vno exemplo monstravi, quam non temere dixerim p. 290 non pauca restare in hoc genere, quod ad ludos votivos spectat, accuratius quam adhuc factum esset definienda et cum fructu uberius explicanda. Sed ad rem scenicam Musamque Plautinam haec nihil pertinent.

P. 317, ubi de incredibili instaurandi et cupiditate et frequentia minimisque de caussis facta instauratione dixi, poteram eam in rem ipsorum veterum testimoniis uti. Velut Plutarchi vit. Coriol. c. 25: *θυσίας δὲ καὶ πομπὰς καὶ θέας οὐ μόνον ἐξ αἰτίας τηλικαύτης, ἀλλὰ καὶ διὰ μικρὰς Ῥωμαίοις ἔθος ἐστὶν ἀναλαμβάνειν. ἵππου τε γὰρ ἑνὸς τῶν ἀγόντων τὰς καλουμένας θήσσας ἀτονήσαντος καὶ πάλιν τοῦ ἡνι-*

Digitized by Google

ὀχου τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ τὰς ἡνίας συλλαβόντος αὖθις ἐψηφίσαντο τὴν πομπὴν ἐπιτελεῖν. ἐν δὲ τοῖς κάτω χρόνοις μίαν θυσίαν τριακοντάκις ἐποίησαν, ἀεί τινος ἐλλείμματος ἢ προσκρούσματος γίνεσθαι δοκοῦντος. Dionis LX, 6: εἰθισμένου τε εἰ καὶ ὁτιοῦν περὶ τὰς παννυχίδας ἔξω τοῦ νενομισμένου πραχθὲν ἔτυχεν, αὖθις αὐτὰς γίγνεσθαι, καὶ πολλάκις τοῦτο καὶ τρίτον καὶ τέταρτον πέμπτον τε καὶ δέκατον ἔστιν ὅτε, τὸ μέν τι κατὰ τύχην, τὸ δὲ δὴ πλεῖστον ἐκ παρασκευῆς τῶν ὠφελουμένων ἀπ' αὐτοῦ συμβαίνοντος e. q. s. Arnobii adv. gent. IV, 31: *In caerimoniis vestris rebusque divinis postulionibus locus est et piaculi dicitur contracta esse commissio, si per imprudentiae lapsum aut in verbo quispiam aut simpuvio deerrarit; aut si cursu in solennibus ludis curriculisque divinis commissum omnes statim in religiones clamatis sacras, si ludius constitit aut tibicen repente conticuit, aut si patrimus ille qui vocitatur puer omisit per ignorantiam lorum aut terram tenere non potuit.* Quorum pars ex orat. de harusp. resp. c. 11 transcripta est.

P. 320 allata Servii verba: *ut etiam Varro in ludis theatralibus docet* (nec enim iusta esse caussa videtur, cur *libris* scribatur pro *ludis*), fortasse nec ad libros *de originibus scenicis* Varronis, nec ad eos quos *de actionibus scenicis* scripsit, sed ad *Antiquitates rerum divinarum* spectant, quarum libro X. servatum a Servio fragmentum tribuit Merkelius Proleg. in Ovid. Fast. p. CLXII. Cui tamen credere noli Varronem non tantum *de actionibus scenicis*, sed etiam *de actione scenica* commentatum esse: quod vitium Charisii Putschianî (p. 74, 39) novissimus editor diligentius sustulit quam p. 119, 47 exstans *de actionibus scenis.* — Ceterum Varro si Rerum divinarum libro IX. de circensibus ludis, de scenicis l. X. egisse creditur tamen Plautum his quidem libris vix attigit: ut merito praetermiserimus p. 179 sq.

Ibidem e Varrone commemorata Appii Claudii Pulcri aedilitas videtur sane ad a. 536 pertinere, v. Liv. XXII, 53: quando is Appius Claudius

Digitized by Google

Pulcer, cuius in orat. de harusp. resp. c. 12 mentio fit, P. Clodii pater, propter or. Plancianae c. 21 verba dubium est num aedilis unquam factus sit: tametsi eum anno 661 Pighius et Schubertus ascripserunt sine testimonio, Wolfii autem dubitationem illam ratiocinando tollere Garatonus studuit. Sed ad horum neutrum Valerii Maximi II, 4, 6 verba spectant, verum ad P. Clodii patruum (ut est in or. de har. resp.) Caium Claudium Pulcrum Ap. F., aedilem a. 654 (cf. Orell. Onom. Tull. II, p. 148 sq.); cuius magnificam in ipso scenico genere aedilitatem testantur Cicero de offic. II, c. 16, Verrin. II, 4, 59, Paulus Festi breviator p. 57 M. et ipsius picturae artificium iuxta cum Valerio commemorans Plinius N. H. XXXV, 4, (7) 23: cuius confer praeterea VIII, 7, (7) 19. — Ceterum Appii Claudii Pulcri aedilis mentionem non nego in Varronis libro tantum in transcursu iniici potuisse et per earum rerum occasionem, quae ad ipsas origines scenicae artis revera pertinerent. — Hos autem de originibus scenicis libros Varronianos quod protracto Servii testimonio ibidem docui Scauro inscriptos fuisse, id quam vim ac rationem habeat, paucis nunc significabo. Namque Scaurus ille non est alius nisi M. Aemilius Scaurus, de cuius celeberrima sumptuosissimaque aedilitate, quae fuit a. 695, in vulgus constat: hoc autem ipsum cum reliquorum ludorum tum scenicorum studium Scaurianum Varronem movit, ut illi potissimum eos libros dedicaret, qui ad rem scenicam eiusque origines, quippe cum ludis coniunctissimas, spectarent. Atque hoc, tametsi est in coniectura positum, tamen sat certa esse coniectura inventum apparebit, ubi librorum logistoricorum Varronis, quorum partem fuisse *de scenicis originibus* libros contendimus, rationes cum aliqua diligentia exploraverimus. Quod cum non videatur huius loci esse, curabimus ut propediem fiat in Museo philologico nostro.

P. 374 quam rationem inii expediendorum, quae apud Plinium perperam sociantur, nominum *L. Ateio Capitone*, eam ipse me Bergkius nuper certiorem fecit

Digitized by Google

eandem esse atque a semet inventam, a me autem etiamtum insciente p. 40 significatam.

P. 403 Tirabosci de Antonii Panormitae studiis Plautinis testimonio addere licet quae e libro: *Vita di Antonio Beccadelli soprannominato il Panormita. Napoli* 1820 (p. 71) excerpta infra posui: *Intanto rivestito egli del carattere di professore di belle lettere* (Patavii) *volle dare a' suoi discepoli un comentario sulle Commedie di Plauto. „Sarà della tua umanità, e mansuetudine, se non ti sdegni per lo nostro contumace silenzio", scriveva egli al Cremona* (*Epist. Gall. p.* 19), *„giacchè mentre voglio soddisfare, e rendermi utile a questi miei giovani, mi veggo anche contra mia voglia strappato da te. Imperciocchè io mi trovo aver loro promesso i Comentarj sulle Commedie di Plauto, che da me ora dimandano con ogni diritto; e tu ben sai la massima de' giureconsulti, che chi è primo nel tempo, è maggiore nel diritto. Pernotterò io adunque con gli asini* [?] *plautini."*

P. 520 nescio an severius senserim de iterata contignis versibus duobus *sed* particula (Trin. I, 2, 55 sq.):

Sunt quos scio amicos esse: sunt quos suspicor,
Set quorum ingenia atque animos nequeo noscere.
Set tu ex amicis certis mi es certissumus.

Multum abest, hanc ut formam orationis talibus exemplis defendi credam, qualia haec sunt: Pseuduli II, 4, 46:

Di immortales, non Charinus mi hic quidem est,
set Copia.
Set istic servos, ex Carysto qui huc advenit, quid sapit?

Mercatoris II, 1, 45 (de vulgata certe ratione collocandorum versuum):

Set simia illa atque haedus timeo quid velint.
Set conticescam. vicinum eccum, exit foras.

Eiusdem IV, 2, 8:

Set eum demiror non venire ut iusseram.
Set qui hinc nam a nobis exit?

Trinumm. II, 4, 144:

Credo ego istuc, Stasime, ita esse: set Campas genus
Multo Syrorum iam antidit patientiam.

Digitized by Google

Set iste est ager profecto, ut te audivi loqui,
Malos in quem omnis publice mitti decet.

Nam his locis omnibus alterum sed non refertur ad priora, sed ab iis avocans potius animum ad novam rem transitum parat. Contra non inepte licebit hoc comparare in Menaechmis exemplum IV, 2, 94:

Set ego illam non condonavi, set sic utendum dedi.

Etsi enim ne id quidem omni ex parte par est, tamen a loquendi duritie quadam tam simile facile videbitur, eo ut offensio Trinummi versuum illorum satis fortasse leniatur.

P. 595 addere potueram, in iis quoque codicibus Terentianis, quos per Batavas, Belgicas, Gallicas bibliothecas dispersos inspeximus, nihil repertum esse illius scenae, quam et Andriae et antiquitati vindicavimus. Ceterum Doederlino benevole intercedente certior factus sum et Altorfinum codicem et Ebnerianum membraneos esse ac nunc una cum aliis duobus chartaceis in bibliotheca Erlangensi academica servari numerisque 67 et 236 notari; praeterea antiquiorem eorum valde mutilum esse multisque fabularum Terentianarum partibus (Andr. III, 3, 8 — 4, 15. IV, 2, 21 — 5, 21. V, 2, 28 — 5 extr. Eun. II, 1, 4 — 3, 16. III, 1, 52 — 4 init. IV, 6, init. — 7, 3. V, 2, 22 — 3, 4. Heaut. II, 3, 3 — Adelph. V, 4, 3. Phorm. I, 1, 82 — 4, 8. IV, 3, 28 — fin. fab.) truncatum: in recentiore autem additiciam secuam non extremae Andriae subiectam esse, sed in prima scheda codicis seorsum perscriptam. Ex hoc autem meum in usum excerpta scripturae discrepantia nihil habet quo is codex praeter vulgare genus librorum mss. commendetur.

P. 623 sqq. quae de Hieronymi Canone chronico disputavi, iis percommode uti VanHeusdius in Epistola de Lucilio ad C. F. Hermannum data poterat, ubi p. 7 sqq. diligenter conquisitis Hieronymianae indiligentiae exemplis fidem eius scriptoris infirmare contra Hermannianam reverentiam studuit. Sed nec pauculorum annorum discrepantiae, qualem ab ipsis Hieronymi codicibus

Digitized by Google

minime alienam esse p. 624 ann. significavimus, Heusdius debebat nimium tribuere, nec vero eo se irretiri errore pati, quem p. 9 commissum non possumus satis mirari. Vbi Hieronymum cum ipso Eusebio comparans, utpote cuius fides penes Armeniacum sit interpretem, exemplis utitur Furii Bibaculi, Lucretii, Messalae Corvini: quorum Eusebium vix fando audisse nomina puto, nedum ut Canoni insereret.

Praeterea p. 41 annot. oblitus sum monere, locutionem *mortem apisci*, quam valde inconsiderate nullo quantumvis insubido scriptore, nedum Plauto dignam dixerat Acidalius, exemplis quibusdam iam Gronovium tutatum esse. Mitto quae tantum similia sunt, quibus quidem *nancisci* verbo boni scriptores usi sunt de rebus malis, velut *morbum, febrim, languorem nactus;* parilia haec habes: *crimen adeptus* Ovidii Trist. II, 92, ipsumque *mortem adeptus* Hygini Astron. II, 14 et *in adipiscenda morte* Sueton. Domit. 14. Quae si quis ambigua dixerit propterea, quod grata atque exoptata et Ophiucho apud Hyginum et Neroni apud Suetonium mors cogitetur, ut *in* bonis ipsum malum habeatur: id quod a Plautino epigrammate alienum esse apparet: vix ambiguum est, quod praeteriit Gronovium, ipsius Plauti *dolorem indipiscor* Trinummi II, 1, 2.

Postremo etsi possum tanquam corollario Dissertationis IX. respicere secundas curas Lindemanni, quibus trium Plauti fabularum, in his Trinummi, editionem scilicet emendatam nuper iteravit, tamen et chartis et operae parcere satius duco. Nam et eo omnis propemodum mentio ista Lindemanni reditura sit, ut non vidisse illum, quod videndum erat, annotetur: nec sine acerbitate dici de eo critico possit, qui postquam piaculum invecto Piraeo Cumano (cf. nos p. 546) olim commissum vix eluit in nupera editione, ne nova deesset expiandi caussa eo providit, ut argumenti acrostichi Militi glorioso praemissi quintum versum sic constitueret praef. p. LVI: *Arcessit servus suum herum Athenis, ecforat* —. Et hoc unum est e multis.

Digitized by Google

Restat ut me curaturum profitear, ut quam brevissimo temporis intervallo alterum volumen horum Parergon prodeat, quibus viam muniri ad ipsum ἔργον volui, quod ipsius instauratione Plauti continebitur. Scripsi Bonnae m. Nov. a. CIↃIↃCCCXXXIIII.

Digitized by Google

Index dissertationum

primi voluminis.

		Pag.
Dissertatio I.	De Plauti poetae nominibus	3
Dissertatio II.	De aetate Plauti	45
Dissertatio III.	Die fabulae Varronianae des Plautus. (Verlauf der Palliata. Theaterbaue. Prologe.)	71
Dissertatio IV.	Die Plautinischen Didaskalien. (Theaterfeste. Verhältniss der Dichter, Festgeber und Schauspieldirectoren.)	247
Dissertatio V.	De actae Trinummi tempore	337
Dissertatio VI.	De veteribus Plauti interpretibus	355
Dissertatio VII.	De Plauti Bacchidibus	389
Dissertatio VIII.	De turbato scenarum ordine Mostellariae Plautinae	431
Dissertatio IX.	De interpolatione Trinummi Plautinae	509
Dissertatio X.	De gemino exitu Andriae Terentianae	581
Appendix.	Suetonius de viris illustribus. (Chronikon des Hieronymus. Polentonus. Vita Terentii.) . . .	607

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIO I.

DE

PLAVTI POETAE NOMINIBVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE PLAVTI POETAE NOMINIBVS.

CAPVT I. *)

Cum sescentis exemplis intellectum sit, e quantillis librariorum erroribus quantarum rerum fides pendere soleat, tum novo illud documento declarare licet imprimis apposito ad persuadendum, quod quidem ad ipsum Plautum spectat. Hunc enim poetam constat in multis libris mss. et aliquot impressis non Plautum dici simpliciter, sed Plautum Asinium. Cuius rei testes nolumus ambitiosius congerere cunctos: sed tamen ut aliquanto plures esse appareat quam quos olim hac in caussa memoravimus Mus. philol. Rhen., IV, p. 163, addimus nunc Langianis codicibus et Parei Palatino I (n. 1616) alterum Palatinum n. 1617, Vindobonensem $\frac{110}{q.\ 91}$, Vaticanum 2831, Vrbinatem 655, Alexandrinum 1680, Angelicanum T. 6. 11, Barberinianum 1442. XVI. B. 1, Marcianum XII. 30, Ambrosianos H. 203. sup., I. 62. sup. Sat profecto mirum nomen in eo, qui nec fuerit de Asinia gente, nec Asinius Plautus vocetur, sed inverso ordine Plautus Asinius. Et cum altera ex parte moneri possit, in nullo unquam codice

*) Editum a. CIↃIↃCCCXXXXI.

Digitized by Google

Accius et *Asinius* nomina iuncta extare, tamen nullam hoc vim habet propterea, quod ne *M. Accii Plauti* quidem inscriptae esse Plautinae fabulae in codicibus solent, sed *Plauti* simpliciter vel *Plauti Comici, Plauti Comici Poetae,* et si quando ludibunda manu similiter variatum est. Fuerunt igitur qui de duplici cognomine poetae cogitarent. Et Meursius quidem, quem praeter alios secutus est Pareus, illud de quo quaerimus cognomen ex eo ductum coniecit, quod ob quaerendum victum ad circumagendas molas, quae trusatiles appellantur, operam suam Plautus pistori locasset, ut testantur Gellius III, 3 et Hieronymus Eusebii interpres. Nam cum, qui molas circumagerent, asinorum in locum homines successissent: quemadmodum trusatilibus revera opponuntur asinariae molae: contemptim illos ipsos dictos esse asinos. Hinc igitur factum esse, ut Plauto Asinus cognomen adhaereret: idque librariorum culpa in *Asinius* transisse. Frigent haec mehercule non mediocriter, et frigere sensit Lessingius in Vita Plauti. Qui etsi e librariorum temeritate additamentum illud repetendum putavit, tamen nec quae eius origo esset expediit, et vero ei dubitationi aliquem locum relictum voluit, num forte ipsius aetate Plauti sive ab adversariis inventum sive ab infima plebe usurpatum istiusmodi convicium fuisset. Vnum ille hoc contendit iure suo, quod, si constanter tali nomine celeberrimus poeta ornatus esset, non esse credibile ait nullum eius rei apud ipsos scriptores vestigium extiturum. Accedit autem singularis condicio eorum librorum, quibus ad nostram memoriam iste proditus est Asinius. Quorum plurimi XV demum saeculo scripti sunt, pauci quidam ut videtur XIV: nullus autem (si ab uno, qui olim Vgoleti fuit *),

*) De hoc Mus Rh. l. c. et p. 161 dictum est. Vgoleti cum haec verba sint: *et Asinium quoque* (appellatum fuisse Plautum), *si co-*

Digitized by Google

recesseris) de illorum genere est, qui aut XX fabulas Plautinas cunctas aut XII certe posteriores tenent. Quare accuratius sic est hic locus omnis definiendus, ut *Asinius* nomen reperiri dicatur in parte recentiore eius partis librorum Plautinorum, quae ad VIII tantum fabulas priores spectat. Atqui eos ipsos libros satis constat a fide sua parum commendationis habere.

Restat igitur ut, si modo possit, fons indagetur illius liberalitatis, quae tam lepida accessione honestissimi poetae nomen ditavit. Ac de *Accius* vel *Attius* nominis similitudine cur non possit commode cogitari, antea significatum est: nec est sane ista litterarum similitudo tanta, cui cum aliqua confidentia quicquam tribuas. Verum aliud praesto est nomen, gentilicium illud quidem h. e. ἐθνικόν, quod frequenti usu *Plautus* nomini adhaesit. Namque Sarsinas ille fuit ex Vmbria: unde saepissime *Plauti Sarsinatis* eius fabulae inscribuntur, nonnunquam *Plauti Sarsinatae*, ut in Angelicano et nostro quodam codice in Etruria empto, semel adeo *Sarrae* in eodem illo libro, *Plauti Comicis ex Vmbria Sarsenatis* in Perusino 250, (quemadmodum *Farsenates* exhibet cod. Snakenburgianus Plinii N. H. III, 14, 19 s. 114), *Plauti Comedi Sarsinensis Poetae Clarissimi* in Perusino 139. Quodsi e *Sarsinatis* natum esse *Asinii* dixerimus simpliciter, non miremur si hoc audaculum plerisque videatur et abhorrens a probabilitate: tametsi non leve profecto pondus hoc habet, quod nunquam *Sarsinatis* et *Asinii* nomina leguntur

dici meo fides adhibenda Basileae exscripto LXXVII. abhinc anno: ex eo exemplari e quo XII. ultimae comoediae Plautinae emanasse dicuntur: proclivis coniectura est nomen illud in posteriore quidem parte eius codicis non lectum esse, sed in priore tantum, sive semel ab initio positum sive octies repetitum, extitisse, hunc autem ex uno eorum ipsorum librorum illatum esse, qui in octo fabulis substitere, quibus quidem additamentum illud tralaticium fuit.

Digitized by Google

iuxta posita, sed aut *Plautus Sarsinas* aut *Plautus Asinius* in singulis libris mss. poeta appellatur. Recordabuntur fortasse illius similitudinis, quam intercedere inter ἀλώπηξ et *Fuchs* voces quidam docuit patrum memoria, qui in hunc modum nosmet ratiocinantes audierint: e *Sarsinatis* factum esse *Arsinatis*, hoc sic scriptum *Arsin.* transisse in *Arsinii*, inde autem ortum *Asinii*. Et tamen horum nihil est, quod non aut demonstrari possit aut prorsus credibile sit revera accidisse. Quid? quod *r* littera ex illo nomine iam veterum consuetudine non semel, sed saepius cessit? Nec enim in lapidibus tantum exempla aliquot certissima extant SASSINA et SASSINATES scripturae, quae congesta habes a Cluvero Ital. ant. II, p. 623 et Nic. Heinsio in Sil. Ital. VIII, 463: sed ipsi Silio ex optimis codicibus restitutum est *Sassina*, pro quo *saxina* Puteaneus praebet. Eademque forma eodem illo Heinsio auctore e mss. libris etiam Martiali ter est partim vindicanda partim reddenda: III, 58, 35. IX, 59, 4 et I, 43, 7, quorum versuum postremo pro eo quod vulgatur *fiscina* vel *fuscina* optimus Thuaneus suppeditat *Sasina*. Denique eodem spectare apparet codicis Charisiani p. 174 P. scripturam *Sasinum*, in *Sarsinum* mutatam ab editoribus: sive *Sassinam* a grammatico profectum est sive etiam *Sassinum* forma extitit. Sed ut ad Plautinos libros revertamur, abiecta *s* littera *Arsinatis* cum alibi scriptum est tum in fine Vaticani 3304, ubi primum ex Hieronymo excerpta sunt, quorum hoc est initium: *Plautus ex Vmbria Arsinas Romae moritur*, deinceps autem aliunde alia adduntur simillimo initio: *Plautus ex Vmbria Sarsinas* e. q. s. Gravius etiam est, quod in ipsa Mostellaria III, 2, 83 ARSINATIS exaratum legitur in vetustissimo codice deleticio Ambrosiano. Postremo ne illud quidem, quod omissa ter-

Digitized by Google

minatione nomen compendifactum diximus, testimoniorum fide destitutum est. Sic enim in codice Colleg. Rom. 4. C. 39 singulae fabulae inscriptae sunt: PLAVTI VMBRI SARSIN. COM. PO. (quibus nunc LVCVL. nunc FACET. nunc CLAR. adiicitur et si quae sunt similia.)

Nihilo tamen magis, nisi alia accedant, propositam interpretandi viam ausim confidentius commendare. Cavendum est enim praeter cetera, ne artificiorum quorundam machinis putes probabilia fieri, quae etsi demonstrari nequeat non facta esse, tamen, ut simul eveniant, raro quodam ac propemodum miro caussarum concursu opus habeant. Vt, quo longius a communi usu, quam coniectandi viam suadeas, recedat, eo firmiore documentorum auctoritate egeas ad persuadendum. Quod cum in nostram quaestionem accommodamus, certissima illarum, quas proposuimus, vicissitudinum vestigia videmur in Vaticano codice 3303 deprehendisse. Is enim in fine scripta haec habet: *PLAVTI ASINII*, inque margine adiectum *Sarsinatis;* ab initio autem *Asinii* a manu prima, unde altera effecit *Arsinii,* tertia vero praemissa *s* littera *Sarsinii,* quibus item in margine ascriptum *Sarsinatis.* Huic autem paginae quae ex adverso collocata est, hanc praeterea annotationem tenet: *nunc* $\overset{s\,a\,r\,s\,i}{a\,\underset{\cdot\,\cdot\,\cdot\,\cdot\,\cdot\,\cdot\,\cdot\,\cdot}{\mathit{ſſiſium}}}$ *ut puto id oppidum appellatur.* Adeo enim obscuri isti magistelli Sarsinatum municipium ignorarunt, quod hodie quoque exstat eodem *Sassina* nomine appellatum (cf. praeter alios Blumii It. Ital. II, p. 239), ut alius alibi quaereret. Sic in Vaticano 3871 haec leguntur in fine: *Plautū .ſ. ex umbria parte Italiae fuisse ex opido Sarsinatae: quod haud longe a foro Livii* (h. e. *Forli*) *fertur abesse.* In Vrbinate 362 autem, quo novicius *commentarius in nonnullas Plauti Comoedias* continetur, fol. 86: *ex*

Digitized by Google

umbria provincia quae est circa urbinum, ex civitate quae dicitur sarsinum: quocum convenit Marciano codici XII, 162. Adde sat variam scripturae discrepantiam, quam ex ipsius Hieronymi libris mss. Pontacus (Hieron. Op. ed. Vallars. vol. VIII, p. 187 ex. Ven.) attulit: *Plautus ex Vmbriae Sarsina: ex Sarsina Vmbriae: ex Vmbria Arsinas: ex Vmbriarsinas: ex Vmbria Arpinas: ex Vmbriae Arpinas.* — His autem affinia sunt, quae parum considerate Pareus disputavit de Plauti vita et scriptis: *si credendum est monasticae historiae scriptoribus, eadem patria* (h. e. Sarsina) *fuit D. Francisco, quem alii Assisio e Spoletana valle Vmbriae oppido prognatum commemorant; nisi forte per corruptelam nominum idem sit Assisium cum Sassina, in quam sententiam valde inclinare velim.* Ignoravit igitur diversissima et fuisse et esse sat inter se remota Sarsinatium et Asisinatium municipia. Quanquam quod de proclivi utriusque nominis apud librarios permutatione ei suboluit, id Vaticani illius exemplo prorsus confirmatur. Aliorum in eodem genere errores iam Lessingius notavit *).

Non plus iam dubitationis de Asinio si dis placet poeta restare putamus, quam de Propertio qui olim ferebatur Nauta, vel post Schneidewini nostri in Diar. antiq. stud. a. 1836 p. 363 sqq. disputationem de Martiale Coco. — Quis autem, sicubi commemoratum *Assyrium* scriptorem offendat, hunc convertere in *Sarsinatem* illico ausit? Et tamen hoc nomen iam certissimum est per eos quos descripsimus depravationis gradus in illam quoque corruptelam transisse. Sic enim

*) Vt nihil ineptiarum praetermittam, e *Sarsinas* nomine fluxit haud dubie etiam Hispani illius scriptoris commentum, qui Plautum aliquando vestiarium et *sarcinatorem* fuisse narravit. Testatur Taubmannus Ed. I p. 1306.

Digitized by Google

in Heidelbergensi codice quattuor fabularum scriptum esse testis nobis Baehrius extitit: *Explicit captivi duo comedia quarta Plauti Assyrici poete clarissimi.*

CAPVT II.*)

§. 1.

Anni sunt, cum in libro παλιμψήστῳ Ambrosiano Plautinas fabulas non M. Acci Plauti, sed T. Macci Plavti inscriptas repperi. Commemorabam hoc in ea commentatione, quam de didascaliis Plautinis scriptam Musei philologici primo fasciculo inserui, p. 61 sq. (Diss. IV.): commemorabam tanquam mirum et singulare, ut in tanta et antiquitate et bonitate Ambrosiani codicis, nihil tamen ultra suspicatus. Qui enim eius poetae, cuius memoria ab ipsis veteribus frequentata in clarissima luce posita esset, ea nomina in suspicionem adducerem, quae inde a renatis litteris per quattuor ferme saecula doctissimorum hominum et mentibus et libris adeo inhaesissent, ut ne umbra quidem dubitationis unquam oboriretur? Itaque cogitatio omnis eius rei ex animo elapsa erat, cum consolita comitate ad nos transmissa Godofredi Hermanni *de L. Attii Didascalicon libris* dissertatione illius redintegrata recordatio est. Quos libros Hermannus non fuisse prosa oratione, sed versibus conscriptos visus est tam praeclare ostendisse, ut nobis quidem prorsus persuaderet. Eius autem vim inventi, haud dubie perexigui multorum opinione qui hodie sese sapere student, cum latius patere et pluri-

*) Editum a. CIↃIↃCCCXXXII.

Digitized by Google

mum valere ad rectius perspiciendas litterarum, quales Romae saeculo illo fuissent, rationes universas intelleximus, tum illuc quoque, ut fit in hoc genere, pertinere continuo sensimus, quo minime inventor ipse verterat. Nam cum apud Gellium III, 3 haec vulgentur: *M. autem Varro in libro de comoediis Plautinis primo Attii verba haec ponit: nam nec Gemini nec Leones nec Condalium nec Anus Plauti nec Bis compressa nec Boeotia unquam fuit, neque adeo* Ἄγροικος *neque Commorientes, sed M. Aquilii:* Attianos versus sic Hermannus instaurabat:

Námque nec Geminí lenones, néc Condalium, nón Anus
Plauti, nec Bis cómpressa aut Boeótia eius unquám fuit,
Néque adeo Agroecús, neque Commoriéntes, sed Marci Titi.

In quo ille ad codicum vestigia proxime sane accedebat, quorum in optimis, Regio et Rottendorfiano, scriptum est *M. Accii Titi*: eodemque spectare apparet *M. accutici* scripturam vetustissimarum editionum, Barberiniani libri et Vindobonensis, item *M. acutitii* Cassinatis, et gliscente corruptela *M. Hatrutici* alius cuiusdam apud Gronovium codicis. Nam *M.* quidem *Aquilii* nomen soli coniecturae*) debetur, huc invectum ex eiusdem Gellii verbis paullo ante positis: *sicuti istam quam ruperrime legebamus, cui est nomen Boeotia. nam cum in illis una et viginti non sit et esse Aquilii dicatur, nihil tamen Varro dubitavit quin Plauti foret.* Quae cum ita sine ulla discrepantia prodita sint, non profecto inepte egerunt, qui ad illud exemplum

*) Non a Lambecio primum propositae, sed multo prius a Lilio Gyraldo Hist. poetar. dial. VIII, p. 886 ed. Bas. a. 1545

Digitized by Google

(ut mittam aliquantisper ipsum Attium) Varronis verba de ling. lat. VI, p. 266 ed. Speng. (§. 89 ed. Muell.) conformarunt: *Accensum solitum ciere Boeotia ostendit, quam comoediam Aquilii esse dicunt.* Sic enim pro eo quod codices omnes tenent, *alii*, cum Turnebo Gronovius annot. in Gell. p. 214, quos et Bothius Fragm. comic. p. 37 et Muellerus secutus est: non est secutus Spengelius. Hic autem cum propositum a nescio quo apud Ant. Augustinum *M. Accii* (h. e. Plauti) nomen solum esse verum dixit, nec litterarum similitudinem admodum curavit, nec de constanti in hoc genere consuetudine Varronis cogitavit, quem in afferendis testimoniis *Plautum* solere, non *M. Attium* citare recte Madvigius Opusc. acad. p. 95 annot. monuit; praeterea autem Boeotiam oblitus est a Gellio inter eas fabulas referri, quae cum non communi consensu ad Plautum referrentur, huic quidem ab ipso vindicarentur Varrone: ut, si cum M. Attii nomine idem Varro in libris de l. lat. sociare Boeotiam fabulam voluisset, convenientius suo ipsius sensui *M. Attii esse dico* quam *dicunt* scripsisset. De M. igitur Attio actum esse putamus: Scaligeri coniectura *Aelii* magno viro condonanda est; contra suapte natura ambiguum est de *Attilii* nomine iudicium, quod a Popma commendatum Osanno Anal. crit. p. 153 et Madvigio placuit: puto quod sane et propius ad *alii* scripturam *atilii* quam *aquilii* forma accedit, et in ignoti locum notus poeta*) hac ratione substituitur. Nihil tamen decernere Weichertus ausus Poet. lat. reliq. p. 141: nec posse cum

*) Fortasse non diversus ab L. Attilio Praenestino fabularum actore Terentianarum. — Ceterum etiam apud Euanthium de fab. p. LVI West. *Attilii* nomen visum est Welckero de trag. Gr. p. 1396 in *Attio* scriptura latere, ex *Atta* potius orta si Neukirchium de fab. tog. p. 155 audimus. His affinia praebet Weichertus.

Digitized by Google

aliqua confidentia decerni videtur, quamdiu in Gellianis verbis ne levissimum quidem discrepantis scripturae indicium animum addat, unde profecti *Aquilii* nomen de sede sua moveamus. Nam tantum vacare dubitatione putamus, non diversos, sed unum poetam a Gellio et Varrone dici. Ceterum miror apud Varronem de lacuna neminem cogitasse et velut hanc formam sententiae sibi persuasisse: *quam comoediam* [*alii Plauti, * *] alii esse dicunt.* *) Nam non Varronem demum fuisse, qui omnino ad Plautum Boeotiam primus referret, ipsi Attii versus documento sunt.

§. 2.

Nunc ut ad Attianos versus revertar: inauditum comoediarum scriptorem Titium quendam poetam esse non fugit profecto Hermannum. Quanquam fatendum est non esse illum magis inauditum quam aliquem Aquilium. Et, ut exemplo utar, Plautii quoque illius, cuius fabulas pro Plautinis habitas Varro prodiderat, absque uno Gellii testimonio esset, prorsus memoria intercidisset: parum enim considerate fidem Varroni in hac caussa abrogari existimamus. Sed tamen habet ille Titius cur necessario displiceat. Quid enim? satisne simile veri

*) Non hoc ipse commendaveram potius quam a nemine propositum miratus eram. Neque enim me fugerat, alterum, quod quidem ex omni parte par esset, exemplum apud Varronem nullum exstare. Quanquam quod etiam insertae *alii* vocis collocationem sibi displicere humanissimis litteris Spengelius nobis significavit, id minus nos movet propterea, quod vix maiore audacia lacunae illius hanc speciem menti informare licet: *quam comoediam alii* [*Plauti, alii * *] esse dicunt.* Cf. de l. lat. VII, 96: *In pluribus verbis A ante E alii ponunt, alii non: ut quod partim dicunt sceptrum, partim scaeptrum: alii Plauti Faeneratricem, alii Feneratricem* e. q. s. Sed tamen assentior Spengelio omnium simplicissimum hoc videri, ut poetae nomen latere in *alii* credatur, et simillimum quidem veri *Atilii* esse.

Digitized by Google

videri poterit, si communi opinione vel Plauti vel Aquilii (sive Attilium males) Boeotia fabula ferebatur, id quod contestatum habemus, non huic ipsi poetae Attium, quam a Plauto quidem abiudicabat, sed tertio cuidam tribuisse, cuius apud Gellium nec vola nec vestigium? An plus habet probabilitatis, si apud Attium, Titii esse Boeotiam, Varro, quem excerpsit Gellius, legerat, tamen et hunc et fortasse Varronem Aquilium maluisse quam eundem Titium commemorare tanquam tralaticium illius fabulae scriptorem? nec saltem iunxisse Gellium utriusque mentionem velut in hunc modum: *nam cum in illis una et viginti non sit et esse vel Aquilii vel Titii dicatur —?*

Non potest igitur M. Titii nomen ferri. Altera autem ex parte cum Aquilii quidem et Attilii nomina non possint ullis machinis cum metricis et prosodiacis rationibus conciliari in exitu septenarii posita, quid tandem Attii versibus fiat? De his dum meditor et similes nominum formas anquiro, subito in mentem venit Titi Macci in Plautino codice reperti. Accedebat quod minime exspectaveram: denuo enim inspectis interpretum commentariis vidi, quod quidem antea ut leve et nullius momenti neglexeram, abesse ab optimis Gellii libris Regio et Rottendorfiano, quibus addo perbonum Vaticanum (nisi quod is *M. Actii* habet omisso *Titi*) *sed* particulam poetae nomini praemissam. Quid putas magis consentaneum visum esse, quam omnino non dictum esse illis quidem versibus, cui poetae Boeotiam cum reliquis fabulis Attius tribuisset, sed tantum Plauti eam esse negari? ut, quem ab initio *Plautum* dixisset, deinde autem *eius* pronomine *) significasset,

*) *eius* Hermanni coniectura insertum non leve habet a Vindobonensis, Barberiniani Cassinatisque memoria munimentum, in quibus est

Digitized by Google

tertio loco novis nominibus *T. Maccium* vocaret: quod quidem variandae orationis studium non tantum alienum ab hoc genere, sed ne inelegans quidem est. Nec ineleganter repetitum in tertio versu *fuit*:

Nèque adeo Agroecus neque Commoriéntes fuit Macci Titi:

contra vix careat offensione in perfecti locum substitutum *est*, quod postrema syllaba *Commorientes* vocis facile quispiam absorptum putet. Sed tamen non omni ex parte versuum numeri satisfaciunt Hermanno probati: quando difficile fuerit productam *Agroecus* nominis antepaenultimam defendere. In promptu esse dicerem alibi inserto *fuit* verbo hanc versus speciem:

Nèc fuit adeo Agroècus neque Commòrientes Macci Titi,

neglecti autem accentus excusationem a nominis proprii natura paratam: nisi non facere fidem excusandi artificium intelligerem, quod certe non sine specie veri etiam in productam praeter morem syllabam transferas. Quae cum ita sint, haud scio an praestet aut transposita *adeo* particula aut nominum locis inter se permutatis haec scribendi genera proponere:

Nèque Agroecus neque àdeo Commoriéntes fuit Macci Titi:

Nèque adeo fuit Commorientes nèque Agroecus Macci Titi.

---

boetius (vel *boecius*) *unquam fuit*. Primo autem versu *nec* ante *Leones* (pro quo unus tantum Thysii liber verum *lenones* nomen exhibet) omittunt Barb., Cass., Vaticanus, qui praeterea priscam *geminei* formam servavit. In eodem latinis litteris *Agroecus* scriptum, *agraecus* in Barb. Cass., *grecus* in Vind. — Ceterum Vindobonensem ipse inspexi, Vaticani, Barberiniani, Cassinatis notitiam Dresselii benevolentiae debeo, cuius e luculento apparatu Gelliano, dum Romae moror, licuit quae ad Plautum spectarent excerpere. (Cum paullo post editam hanc commentationem Regium codicem ipse tractarem, in hoc quoque cognovi *nec* desiderari et *geminei* exstare.)

Digitized by Google

Quorum exemplorum priore *adeo* ad solam Commorientes relatum potuit eo spectare, quod a Plauto factam ipse Terentius Ad. prol. 7 dixerat; posterioris non mediocris est a caesurae elegantia commendatio. De hoc autem quocunque modo iudicabitur: inverso quidem ordine collocata *Macci Titi* nomina satis praesidii vel ab Enniano versu habent, qui est apud Ciceronem Bruti c. 15:

Ore Cethegus Marcus Tuditano collega:

item a Pacuviano apud Gellium I, 24:

Hic sunt poetae Pacuvi Marci sita
Ossa . . . :

quem qui ad vulgarem consuetudinem mutatum voluerunt, non tantum codicum, in his etiam Vaticani et Vindobonensis, fidei leviter illuserunt, verum etiam vim numerorum Bentleii sagacitate significatam ann. in Hor. Serm. II. 5, 79 sine ulla necessitate infregerunt. Quanquam latius illum usum patere nec esse poetarum proprium docuerunt praeter alios a Kritzio Proleg. in Sallust. Iug. p. XXII sq. commemoratos Gronovius et Drakenborchius ann. in Liv. III, 1. Nec abhorrent a talium similitudine, qualia sunt *Fabius Quintus, Vinicius Publius*, vel etiam *Cato Marcus*, quamvis discrepantia exempla: *Scaevola Mucius, Milo Annius*, quorum multitudinem post Ruhnkenium Kritzius ann. in Vellei. II, 26 coegit.

§. 3.

Ab hoc principio exorsus dum dubitanter circumspicere alia de Plauti nominibus testimonia novique inventi illius firmamenta incipio, illico recordor Mercatoris senarium in diversissimas partes disceptatum et propemodum desperatum, prologi 10:

Eadem latine Mercator Marci Accii.

Digitized by Google

Est hic versus ex iis exemplis, quae repugnare Bentleii sententiae visa sunt, qua is alienos ab antiquioribus poetis substantivorum genitivos in *ii* desinentes iudicaverat solamque contractionem probaverat in Ter. Andr. II, 1, 20: de qua quidem contractione mira nuper Koenius eo libro, quem de lingua epicorum latinorum edidit, et narravit et docuit p. 34. 60 sq. Itaque cupidius illud arripuerunt, qui adversarii praecepto Bentleiano extiterunt: in quibus nollem sano alioqui virum iudicio Spengelium esse, de loco illo universo in Varr. p. 11 commentantem. Neque enim, ut ceteros poetas nunc mittam (quanquam ne de iis quidem vel tantulum scrupuli animo insidet), de Plautinis fabulis Terentianisque ulla esse dubitatio potest, quin id ipsum quod res est ita perspexerit Bentleius, ut, nisi qui praeter modum hebes sit (ut fuerunt sane qui dum emaculare se putant, inquinarunt elegantissimas fabulas), ei credendum sit et obtemperandum, non obtrectandum atque oblatrandum. Ergo iure suo in emendanda versus Plautini labecula alii elaborarunt: cum successu non elaborarunt. Nam quod Bothius proposuit *Marci Attici,* tale quidem acumen mirere et Wolffio Proleg. in Aulul. p. 17 et Fr. Haasio ann. in Reisigii Schol. gramm. p. 76 placere potuisse: rectius (quanquam non vere sane, ut nunc apparet) iam Osannus Anal. p. 175 vereri se dixerat, ne nemini istam Bothius coniecturam probaret: nec probavit Sverdsioeo in Vindiciis praecepti Bentleiani Rigae et Dorpati a. 1832 editis p. 55. Pinguius etiam ab eodem Bothio nuperrime excogitatum *Marco Attio.* — Quid autem? Plautine ille prologus? — Vt igitur Plauti non sit: (nec esse sane ipse credo, sed profecto non illam ob caussam:) quid tandem ex eo consequitur? an qui Plauti non fuit, continuo ne aetatis quidem Plautinae esse existimabitur? Immo acrius etiam instamus: quamvis

Digitized by Google

enim longo ille intervallo ab ipsa Plauti aetate distet, ecquis eo demum tempore factum sibi persuaserit, quo bisyllabi genitivi illius usus invaluerit? Apage igitur istam quidem defensionem. Verum enim vero longe specie gravior Osanni suspicio est, qui de reliqui prologi antiquitate nihil dubitans, tamen hunc ipsum una cum eo qui praecedit versum aliena manu adiectos censuit p. 172 idque etiam Sverdsioeo persuasit. Cuius iudicii caussam hanc habuit, quod nec cum superioribus nec cum eis quae consequuntur ullo illi sententiarum nexu contineri visi sunt. Et hoc quidem etsi ille sensit verissime, tamen multum abest ut, quae reliqua sunt in ista prologi parte incommoda non ullo pacto tolerabilia, senserit omnia. Quorum gravissimum hoc est, quod prorsus non habent quo referantur quae v. 18 subiiciuntur: *Nam amorem haec cuncta vitia sectari solent* e. q. s. Fateor hunc qui praecedunt vv. 16 et 17 pessime corruptos: sed idem scio nullo corrigendi vel studio vel artificio id effectum iri, quocum recte iungi *nam* particulam dicas. Immo haec quae vitia amoris enumerantur planissime apparet ad illa spectare, quae a v. 3 ad v. 8 pertinuerunt: *Vobis narrabo potius meas nunc miserias.* Vt in pauca orationem conferam, initium totum huius prologi praeposterе collocatis versibus laborat, quos hoc sese ordine olim excepisse mecum crede:

1 *Duas res simul nunc agere decretumst mihi:*
2 *Et argumentum et meos amores eloquar;*
16 *Etsi hoc parum hercle more maiorum institi,*
17 *Pro mea persona ut sim ad vos index ilico.*
9 *Graece haec vocatur Emporus Philemonis:*
10 *Eadem latine Mercator Marci Accii.*
11 *Pater ad mercatum hinc me meus misit Rhodum*
12 *(Biennium iam factumst, postquam abii domo:)*

Digitized by Google

13 *Ibi amare occepi forma eximia mulierem.*
14 *Sed ea ut sim implicitus, dicam, si opera est*
auribus, 10
15 *Adque advortendum huc animum adest benignitas.*
3 *Non ego item facio ut alios in comoediis*
4 *Vidi amatores facere, qui aut Nocti aut Die*
5 *Aut Soli aut Lunae miserias narrant suas.*
6 *Quos quidem ego credo humanas pol querimonias* 15
7 *Non tanti facere quid velint, quid non velint.*
8 *Vobis narrabo potius meas nunc miserias.*
18 *Nam amorem haec cuncta vitia sectari solent**) . . .

---

*) Librorum scriptura vv. 3. 4 haec est: *Fit hoc parum ee more matorum inſtiti p mea perconatuſ ſum uoſ ſumq; inde exilio* Vetus exhibet, a quo reliqui sic tantum discedunt, ut *Et* pro *Fit*, *maiorum* pro *matorum* praebeant omnes, *inde exilico* habeat Vrsinianus cum Etrusci pr. m, *inde exili,o* Decurtatus, *index ilico* Lipsiensis et Etruscus m. sec., *iudex illico* Princeps ed., *vos* autem omittant Lips. Princ. et Etr. sec. m. Fallunt, qui ab his diversa tradunt. Laudabo, si cui propius ad librorum fidem accedere emendatori contigerit; quae adhuc prolata vidi a Salmasio, Alciato, Lambino, Mureto, Acidalio, Gronovio, aliis, vel a metro vel a sententia vel a lingua futilia sunt omnia. Quanquam debita laude nolo Bothium fraudare, cuius etsi commenta ipsa prorsus sunt incredibilia, tamen viam ille eam iniit, e qua aliquid proficere ipsi potuerimus. Sic enim edidit e coniectura sua: *Etsi hoc parum (ecce) more maiorum institi, Per meam personam ad vos qui sim index eloco.* Quod quam ipsi postea displicuerit, ex eo cognoscitur, quod in recentissima eius editione, quae Stutgartiae prodiit, sic illorum alter versuum non mehercle felicius conformatus extat: *Primo contatus vos sum quam dixi eloco:* quae intelligat qui potuerit. — V. 7 nescio an sic potius scripserit poeta: *Pater ad mercatum meus med hinc misit Rhodum.* — V. 11 *Atque advortendam ut animum* libri, nisi quod *animus* Lips. Alia alii, e. c *atque ad vortendum huc animum, atque advortendum ad animum*, quod defendi nequit. — V. 13 *amoris facere* scripti libri, *amantis facere* ed. pr., *facere amatores* vulgo. Indulgendum videtur huius prologi scriptori, quod in bisyllabum vocabulum transtulit monosyllaborum licentiam, quae in correpta vocali legitimoque hac condicione hiatu conspicitur. — V. 15 sic

Digitized by Google

Sic plana esse puto omnia. Prodit in scenam non proprio habitu Prologus, sed prologum oraturus Charinus, duplicesque se partes sustenturum profitetur, quarum alterae ad argumentum fabulae, ad suam ipsius conditionem alterae pertineant. Id ipsum ut strictim excuset, praeter morem sane fieri ait, quod, cui nunc solius prologi persona sit agenda, simul et statim ab initio (*ilico*, non in prima demum scena ipsius fabulae) pro sua Charini persona (non pro persona prologi) earum rerum, quas scire intersit, indicium spectatoribus faciat. Quo in genere quis non Chremetis Terentiani meminerit, cuius verba in prologi principio posita:

Ne cui sit vostrum mirum, cur partis seni
Poeta dederit, quae sunt adulescentium:
Id primum dicam, deinde quod veni eloquar ...

etsi non sunt omni ex parte paria, tamen item illuc spectare, ut ab aliis, non ab actoribus, qui primi in scenam venirent, soliti fuerint pronuntiari prologi, praeclara Bentleii disputatione satis patefactum est. Illam igitur Charini excusationem commodissime ipsa nomina cum latinae tum graecae fabulae una cum nominibus poetarum excipiunt. Tum levis fit argumenti significatio: quod antequam uberius exponitur, benevolentia audientium imploratur et ut cum silentio adsint consueto more petitur. Iam tanquam novo initio sumpto digressio fit quaedam, quae in damnis et incommodis amoris describendis non sine loquacitate versatur. Prorsus enim

---

vulgatur: *Quos pol ego credo humanas querimonias.* Vetus: *humanis querimonias*, reliqui scripti: *humanis querimoniis.* In quo num quid lateat reconditius, viderint alii. — Nolui commemorare, quorum nullus hic usus; sed tamen quam non sit parcendum coniecturae in hoc prologo, talia arguant qualia sunt in optimo codice *ducere nc̄st* pro *decretumst* v. 1, *miseriasnunarraſ* pro *miserias narrant* v. 13, *tacere quid uelin uelintque non uelint* pro *tanti facere quid uelint quid non uelint* v. 16.

Digitized by Google

a vero aberrarunt qui, quod sese non item ut alios facere Charinus dicit, illuc rettulerunt, quod parum se more maiorum agere profitetur: nam nec, quod aliis in comoediis fieri solitum ab amatoribus, fieri more maiorum dici potest, nec profecto illud excusat adulescens, quod non Nocti vel Diei vel Soli vel Lunae miserias queratur suas, sed transitu tantum hinc capto satis opportuno eo deducit orationem, ut pronuntiato v. 17 *(vobis narrabo potius)* nunc demum plenius intelligatur, cur tandem relicto maiorum more suos se amores quamvis prologum elocuturum ab initio dixerit. Digressione autem illa omni etsi non aegre careamus, tamen ab eodem esse poeta profectam v. 39 docet manifesto:

Illuc revorti certumst, ut coepta eloquar.

Vbi inepta est quae vulgatur scriptura *certum ut conata eloquar:* neque enim de conatis ullis ullus sermo fuerat: atque abhorrens adeo a linguae legibus Plauti, cuius est in hoc genere *certum est* dicere, non *certum.* Loquacitas autem quaedam cum in alios quoque prologos cadit, tum ne ab altera quidem parte huiusce prologi, qua, ut amore suo sit implicitus Charinus narrat, aliena est. Poterant profecto haec quoque, quae a v. 40 *(Principio ut ex ephebis aetas exiit*: sic enim haec emendanda *)) ad 80 persequitur, longe brevius

*) Cl. v. 61: *Sese extemplo ex ephebis postquam excesserit.* — Vulgatur autem:

Principio atque animus ephebis aetate exiit,
Atque animus studio amotus puerili est meus,
Amare calide coepi e. q. s.

ut ita est in ed. pr. Vetus cum Vrs. Etr. et Lips.: *Principio atque animuf phoebus state exiit.* Sed Decurtatus: *Principio atque animuf etate exiit phoebus.* Vt possis etiam: *Princ. ut aetas ex ephebis exiit.* Nam ineptissima illa *atque animus* nemo non videt in priorem ex altero versu irrepsisse. Fallitur de *atque* particula cum aliis Hendius Turnell. I. p. 473. Partem veri alius aliam perspexerunt Muretus V. L. XVIII, 9, Acidalius Div. p. 321

Digitized by Google

dici et fuerat hoc nostro sensu consultius: sed tamen seiuncta a Chariui consilio non sunt. Qui si plenissimam earum rerum notitiam, quibus, ut in Rhodiam mulierem incideret, evenisset, cum spectatoribus communicandam putabat, illud quoque non potuit non commemorare, qua tandem caussa quove consilio relicta patria Rhodum ipse venisset.

Quae cum ita sint, nihil esse caussae intelligitur, cur non eidem poetae duo versiculi illi, quibus fabularum nomina produntur, ac reliquus prologus tribuantur. Atqui huius numeros Plautina arte factos apparet: ut non possint in eius artis societatem non illi quoque versus venire. Nec duobus post saeculis novos Plautinis fabulis prologos accessisse credibile est. Ergo tollenda sane, quae in *Accii* genitivo est offensio. Quod quidem minime voluit praestare Bentleius in Ter. Phorm. prol. 26, cuius commentum, ut ait, non intelligere se Osannus p. 175 fatetur. Illic enim cum Mercatoris versum sic scriptum posuit:

Eadem latine Mercator Mactici,

nihil sibi aliud voluit, nisi ut pro ea, quam non posset non corruptam putare, forma impressis exemplis propagata substitueret codicum scripturam, e qua quid efficeret ipse non haberet: idque vel externa specie litterarum significavit. Nam ipsum illud *mactici* in Vetere libro Camerarii legitur: in Decurtato, Vrsiniano, Etrusco nostro *mattici*, itemque in Lipsiensi et id genus ceteris: *martici* in principe editione: ut infimae notae fuerit oporteat, in quo *matii* scriptum repperit Muretus Var. Lect. XVIII, 9. Numquid igitur nunc dubitabis, quin pristina facies sic vexatissimo versui instauretur:

Eadem latine Mercator Macci Titi—?

et Dousa F. Ineptit ut solet in hoc genere Meursius Cur. Plaut. p. 170.

Digitized by Google

Molossicum enim vocabulum post caesuram collocatum vereor ne plura habeat et certiora exempla, quam in quod statuere Hermanniana severitate liceat; praesertim si proprio illud nomine contineatur. Vt in ipsis prologis subsistam, hos quaeso versus contemplare e prol. Amph. 42. 100. Cas. 59. Poen. 7. 28. Rud. 14 petitos:

Vidi Neptunum, Virtutem, Victoriam.
Is nunc Amphitruo praefectust legionibus.
Propterea ea una consentit cum filio.
Qui edistis, multo fecistis sapientius.
Nutrices, pueros infantis minutulos.
Petunt, quique in iure abiurant pecuniam.

Quibus addere licet prol. Men. 30:

Mortales multi, ut ad ludos, convenerant.

Quanquam alia exempla sunt, quae huc falso rettulerunt, ut prol. Amph. 103. Capt. 24, qui versus sic potius corrigendi:

Gravidam Alcumenam fecit uxorem suam.
Postquam belligerant autem Aetoli cum Aliis.

§. 4.

Non mediocriter confirmato animo huc progressus eram meditando, cum fiducia omni deiici visus sum alius fabulae prologo, qui ipsum *Marcus* praenomen apertissime testaretur. Asinariae enim haec quisquis fuit praefatus est v. 9 sqq.:

Nunc quod me dixi velle vobis dicere,
Dicam. huice nomen graece Onagost fabulae.
Demophilus scripsit: Marcus vortit barbare:
Asinariam volt esse, si per vos licet.

Accedebat non magis fere ambiguum Gellii testimonium I, 24, quo ille capite *trium poetarum illustrium epigrammata, Cn. Naevii, M. Plauti, M. Pacuvii,*

Digitized by Google

quae ipsi fecerunt et incidenda suo sepulcro reliquerunt, memoriae prodidit. — His quis tandem fieret? — Non potuit mehercle quicquam magis e re esse, quam quod primum inspecta Lionis annotatione *M.* illud *Plauti* nomini praemissum abesse a veteribus Gellii editionibus, tum item abesse a Vindobonensi codice comperi. De reliquis, quorum supra mentionem feci, codicibus etsi vehementer doleo e Dresselii copiis nihil a me excerptum: nempe quod, quem id usum habere posset, minime tum suspicabar: tamen quin cum Vindobonensi eis conveniat *), eo nunc minus dubito, quo exploratius habeo per totas Noctes suas nusquam Gellium praenomine poetam Sarsinatem appellasse, ne in aliorum quidem praenominum propinquitate summa. Sic, ut exemplis utar, lib. XVII capite 21 extr. *L. Livium, Q. Ennium, M. Varronem, Cn. Naevium, M. Catonem* et *Plautum* consociavit, l. XIX c. 8 *M. Ciceronem, C. Caesarem, Plautum, Q. Ennium, M. Varronem:* ut mittam alia. Ergo ad prologum Asinariae redacta res erat. Ibine igitur librorum consensu *marcus* legitur? Immo ne uno quidem illud proditum est, nisi quod e recenti correctura in Etruscum nostrum irrepsit pro eo quod antea erat *macrus:* in eaque ipsa forma consentiunt tres Palatini apud Pareum, Vindobonensis Sambuci, Lipsiensis cum cognatis ut optimo Mediceo, princeps editio; *M. Accius,* quod a Grutero invectum Pareus recepit, affertur e Langianis, *macus* autem est in uno Palatino Parei, quo propius etiam ad ipsam veritatem Vetus Camerarii accedit, in quo *maccus* extat. His autem librorum vestigiis alione duci videbimur nisi ad hanc scripturam:

Demophilus scripsit, Maccius vortit barbare —?

*) Et convenit sane Regio.

Digitized by Google

§. 5.

Nondum permensi eramus testimoniorum multitudinem; restabat enim Varronis auctoritas eaque adeo gemina. Libro enim VIII de l. lat. §. 36 Muell. p. 419 Speng. haec ille docuit: *Omnia fere nostra nomina virilia et muliebria multitudinis, quom recto casu fiunt, dissimilia, cum dandi, eadem: dissimilia, ut mares Terentiei, feminae Terentiae; eadem in dandi, viris Terentieis et mulieribus Terentieis. Dissimile Plautus et Plautius, et communia huius, Plauti et Marci Plauti.* Ita enim extrema Spengelius suo loco edidit, in ea autem disputatione, quam de genitivorum in *ii* terminatione pertexuit, secundum priores editores sic protulit p. 9: *Dissimile Plautus et Plautius, et commune ut huius, Plauti: et Marci, Plauti.* Quorum neutrum potest intelligi. Itaque Muellerus a se videlicet emendatam scripturam hanc commendavit: *Dissimile Plautus et Plautius, et commune Luci Plauti et Marci Plauti:* qua quidem adeo confisus est, ut in continuitatem verborum recipere non dubitaret. L. Plautium dici rhetorem illum cognomine Gallum putabat, de quo Weichertus egit Poet. lat. rel. p. 218. Atqui hic ipse, num ille quidem unquam *Plautius* esset pro *Plotio* vocatus, dubitaverat: et videtur sane *Plotius rhetor* etiam Varroni apud Nonium p. 79, 29 dici. Praeterea autem, quid tandem est cur in grammatica caussa Varro credatur exempla e rerum vel litterarum historia petisse? cur non acquievisse in simplicissima *Plautius* nominis commemoratione ut notissimi omnibus et multis Plautiae gentis exemplis clari? Quam porro ille ipse Lucius ignobilis homo cum Plauto quidem comparatus! Et tamen ei ut Plauti nomen adeo postpositum sit? simplicior praeterea et brevior forma trisyllabo nomini? et contrario atque paullo ante ordine? Credat qui poterit.

Digitized by Google

Non intercedam, si quis de poeta potius Plautio illo, cuius fabulas pro Plautinis habitas alibi prodidit, hic quoque Varronem cogitasse sibi persuaserit: potuit id certe percommode: ad verba ipsa nihil hoc pertinet, quae nescio an recte sic emaculemus: *Dissimilia Plautus et Plautius, et commune huius Plauti: ut et Marci.* Proficiscendum enim ab optimorum vestigiis librorum, in quibus, si recte Spengelii notas interpretamur, extat *et commune ut huius Plauti et Marci:* a quibus nihil recessimus praeter unius *ut* voculae transpositionem. *huius* pronomen, nec a Muellero intellectum nec ut videtur a Spengelio, non aliam vim habet, nisi ut articuli loco positum definiendo genitivo inserviat. *Marci* dicitur item ut *Plauti* commune esse, cum sint dissimilia *Marcus* et *Marcius.* Et iste quidem *hic* pronominis usus, ad omnes omnino casus translatus, cum frequens est grammaticis, tum a Varrone minime abhorret. Sic ille lib. IX § 88 M.: *nam deciens cum dicatur hoc deciens, ut mille hoc mille, ut sit utrumque sine casibus vocis, dicemus ut hoc mille, huius mille, sic hoc deciens, huius deciens; neque eo minus in altero, quod est mille, praeponemus hi mille, horum mille.* Adde IX, 112. X, 24. 44. 62. 83. Cf. Vossium de anal. I, 1 extr. *) Nec magis apud Varronem *et* pro *etiam* dictum offendit: quode

*) Non persuasi Spengelio. Alienum enim a Varronis consuetudine et hoc esse: *ut et Marci*, et *huius* pronominis illum usum, nisi quidem alio modo nullo binae formae discerni potuerint. Quod cadere in *deciens*, non cadere in genitivum nominativumque. Scripsisse Varronem videri: *dissimile Plautus et Plautius, commune et huius Plauti et Macci*, i. e. „übereinstimmend ist der Genitiv Plauti sowohl von diesem, dem letztgenannten, Plautius, als von Plautus dem Maccius.“ Subtiliter hoc excogitatum et fortasse vere: sed tamen ut durius obscuriusque genus loquendi Varroni tribui fatendum sit.

Digitized by Google

identidem annotatione sua Muellerus monuit ut VIII, 26. Vide VII, 52. VI, 55: *ab eodem falli, sed et falsum et fallacia.* — Ceterum nihil vitii de Varronis verbis disputans Sverdsioeus p. 26 suspicatus est.

§. 6.

Longe obscurior altera est Varronis memoria lib. VII, 104 M. p. 381 Sp., quam qui volet penitus expedire atque cum pulvisculo ut aiunt exhaurire, nec vulgari acumine valeat oportet nec paucorum versuum disputatione perfungatur. Nos quidem et opinabimur magis quam affirmabimus (modo ne argutari et hariolari iudicemur) et arctioribus finibus quod iam conscribendum videmus caput ἀπορηματικὸν continebimus. Itaque quod l. c. edebatur ante Muellerum *M. Accius in Casina in fringuilla: Quid fringutis? quid istuc tam cupide petis?* id, si ultra non progrediamur, nec per se quicquam offensionis habet, nec iis quae de Plauti poetae nominibus adhuc disputavimus ullo pacto repugnat. Ecquid enim audaculi, in unam vocem litteris coniunctis *Maccius* reponere? Atque aut hoc ipsum aut *Macius*, *Matius*, *Muctius* libri tenent, non bina nomina. Quid? quod ne ferri quidem apud Varronem istum antestandi Plauti modum posse supra vidimus. At, inquit, convenientiusne in Varronis consuetudinem illud est, ut *Maccius* pro *Plauto* appelletur? Non est vero: atque ob id ipsum occultior quaedam ratio verborum Varronianorum lateat oportet. Latuisse ante suam scilicet emendationem recentissimus editor putabat: quae ut qualis tandem sit perspiciatur, paullo altius loci huius universi rationes repetendae sunt. Dixerat Varro *multa ab animalium vocibus tralata* esse *in homines, partim quae* essent *aperta, partim obscura.* Itaque exorsus a *perspicuis* transierat ad *minus aperta* horum-

Digitized by Google

que ultimum exemplum hoc posuerat: *eiusdem* (Ennii) *ab haedo, clamor et ad caelum volvendus per aethera vagit* *). Iam sic libri pergunt: *sueta frendice frunde et frutinni suaviter maccius in casina a fringuilla* e. q. s. *cupis? sues auoluerat. . . .* E quibus haec effecit Muellerus: *Sueti a frendice: e frunde fritinni suaviter. Mati * * * in Casina a fringuilla* e. q. s. *cupis. Sueti a volucribus. . . .* quorum extremum vocabulum eatenus praeiverat Spengelius **), quod *a volucri* proposuerat. Non potuit Muellerus nostra sententia infelicius. Nam primum nullus unquam Suetius poeta fuit. Quem ille post Bothium Poet. scen. fragm. II, p. 34 aliosque e Charisii verbis arcessivit p. 80 exempli Putschiani: *Gulam, ut Iulius Modestus ait, per u scribemus, non per y, quae graecis vocabulis necessaria est et saepe in u transit, ut Suecius ait in Mido: inter se degularunt omnia;* parum sane considerate: quis enim de ignotissimo poeta fidem ei testimonio habeat, quo simul *Midus* fabula prodeat? Ac longe aliud quiddam in ipso codice Charisii comparuit: *Vt Infuemur ait in naro.* Haec autem vestigia veteris scripturae, sic quidem comprehensa cum prioribus: *transitutinfuemuraitinnaro,* haud scio an in hanc partem: *transituttitiniususurpatinuaro* non incommode interpreter, h. e. *ut Titinius usurpat in Varo* ***). Quo nomine satis nota Titinii comoedia.

*) Sic enim una inserta *et* vocula hexametrum versum restituo, ut *volvendus* valeat ἑλισσόμενος. Nugatur, ut dicam quod res est, Muellerus, licentius evagatur Scaliger.

**) Permire idem *suaviter* vocem a prioribus diremptam sic iunxit cum proximis: *Suaviter M. Aecius in Casina:* quod quidem a sensu usuque Varronis longissime distat.

***) Ne quis *usurpat* illud alienum a Charisio putet, utor eiusdem grammatici hoc exemplo p. 178 P.: *Donicum pro donec. Ita Livius in quinto usurpat:*

Digitized by Google

Ex eadem fabula quae Nonius p. 157, 10 servavit:

aequoinst me habere, quos meo sumptu pauperem — (sic enim haec scribenda, parum probabiliter a Neukirchio de fab. tog. p. 137 disposita), ea ad helluandi luxuriam itidem ut illa spectant, quae sunt apud Charisium *inter se degularunt omnia.* Omnis igitur tanquam e manibus elapsa est Sueeii alicuius memoria. A quo quidem non diversum esse Sutrium comicum, cuius apud Fulgentium mentio, ultra progressus coniectando Muellerus suspicabatur: non magis hoc quam illud circumspecte. Bis quidem Sutrius commemoratur, semel in Fulgentii Expos. serm. ant. p. 566, 7: *Summates dicuntur viri potentes. Simpolones dicuntur convivae: nam et amicus sponsi, qui cum eo per convivia ambulat, simpulator dicitur. Sutrius in Comoedia Piscatoria: summates viri simpolones facti sunt ganei;* iterum hoc exemplo: *Nam et Sutrius comoediarum scriptor introducit Glyconem* (scr. *Glycerium*) *meretricem dicentem: myrrhinum mihi affert, quo virilibus armis occursem fortiuscula.* Quae quidem unde petita essent ignorabat Bothius p. 135: sunt autem e Fulgentii Mythol. III, 8 p. 725 Stav. His quid tandem fiat? Proclive esset numerorum rationibus sic consulere:

. . . . . *summates viri*
Facti sunt [*hodie*] *simpulones ganei*:

Ibi manens sedéto, dónicum vidébis
Me cárpento vehéntem dómum venisse paréntis.
Sic enim integritati suae restituo quae in codice sunt *ita Livius inquit usurpat ibi manens* e. q. s. *domum venisse.* Errore quintus est pro sexto Vlixeae libro dictus a grammatico. *parentis* addidi e Graecis v. 296: εἰσόκεν . . . . ἱκώμεθα δώματα πατρός. Quanquam a metrica ratione non ignoro habere etiam hunc exitum versus Saturnii qui defendatur: *dómum vénisse.*

Digitized by Google

et

[Hem] myrrhinum mihi affer, quo virilibus
Armis occursem [magis nunc] fortiuscula:

prorsus enim in hoc genere incredibilia ut consolet Bothius machinatur: modo de fide Fulgentii satis constaret. Quae etiam in hac caussa non unam ob rem valde mihi suspecta est. Nam cum inaudita veteribus et antiquis scriptoribus sint et *simpulones* nomen et *ganeus* forma, tum alienissimum est a latinitate *arma* dici pro *telis*. Itaque ut dicam quod sentio: extitit quidem Sutrii alicuius Piscatoria comoedia quaedam, quam usurparet Fulgentius: non fuit autem ea priscae aetatis, verum medii aevi, non comparanda quidem cum Philodoxio, Falso hypocrita, Philogenia et similibus fabulis, quales fuerunt Caroli Aretini, Mercurii Roncii Vercellensis, Vgolini Parmensis, aliorum: de quibus breviter dixi in Mus. Rhen. philol. IV, p. 162 (cf. Orellii Epist. crit. ad Madvig. p. LXXI): sed eiusdem fere generis atque Querolus. Ergo Sutrius quoque vel Succius *) a Varronis verbis segregrandus. Quodsi poetae nomen in illis litterarum vestigiis, quae sunt *fueta* (vel potius *fuet*), lateat, lubentius etiam de Suevio cogitem, cuius Macrobius memoriam servavit Saturn. II, 14. 15. VI, 1. 5. Ex antiquioribus enim hunc poetis esse, parum vulgo cognitum, neglecta in exitu vocabulorum *s* littera arguit iis exemplis, quae habes in hexametris versibus non leviter depravatis Sa-

*) *Sutrium*, ut est in Mythologicis, vocari etiam in Expositionis codice Leidensi Munckerus testatur p. 781, non *Succium*, quam formam cum vett. edd. Scaliger, Vossius, Rutgersius Var. Lect. IV, 19, Fabricius Bibl. lat., alii tenent, partim de eodem poeta, partim de diversis cogitantes. Praeterea etiam *Sustius* scripturam Staverenus affert. — Ceterum Lerschio Fulg. p. 68 *Sutrius* nomen e Casinae III, 1, 10 fictum videtur: quod non est incredibile.

Digitized by Google

turn. II, 14. Quanquam fuerunt qui non esse *Suevius* verum nomen crederent (nec enim Suevium quisquam novit praeter Macrobium), sed de Saevio potius illo Nicanore cogitarent *), quem Suetonius de ill. gramm. c. 5 dicit praeter commentarios satiram quoque fecisse, e qua duos affert versus hexametros. Et ex antiquis fuit sane Saevius: praeterea *vir longe doctissimus* Macrobio suus ille Suevius dicitur, quique eius versus in Saturnaliorum libris extant, hexametri sunt omnes. Nec tamen ii ad satiram possunt spectare; afferuntur enim, qui sunt in Sat. VI, 1 et 5, e *libro quinto:* non est autem credibile pluribus libris unam satiram constitisse, nec satiras Saevio, sed satiram tribuit Suetonius. Qui cum illum ait *praeter commentarios satiram quoque fecisse*, haud obscure illud ipsum significavit, praeter grammaticum genus, in quo habitabat, nihil Saevium nisi unam satiram scripsisse. Atqui quos Sat. II, 14 Macrobius octo versus posuit, *in idyllio quod inscribitur Moretum* repperit. Ergo hinc dimittendus Saevius, et in eo subsistendum, ut, si modo poetae nomen e librorum memoria Varronianorum eruendum sit, Suevius potius illic lateat quam vel Suetius (sive Suecius) vel Sutrius (sive Succius) vel Saevius.

Aliam viam Scaliger ingressus erat. Proposuerat ille: *Eiusdem ab irundine: nefrende fritinni Suaviter*, quorum extremam vocem in hexametri initio, reliqua in fine prioris collocata voluit. Quod et per se argutius commentus est, et propterea parum probabiliter, quod, qua tandem rerum condicione quove sententiarum nexu in Annalibus quidem ista potuerit compellatio locum invenire, minime intelligitur. Vnum

*) Contra *Suevium* Suetonio reddi pro *Saevio* Vinetus et Casaubonus iusserunt.

Digitized by Google

tamen sagaciter excogitatum, *ab irundine* pro *a frendice* *), quando et inauditum est et incredibile avium genus *frendix* vel *frendex* nomine, valde autem congruum in hirundinum vocem *frītinnire* verbum. Id igitur cum etiam Muellero placeret, parum tamen ille prudenter hirundinis mentionem putavit cum ipso versiculo a semet conformato posse conciliari: *e frunde fritinni suaviter*, quae voluit initium esse senarii. Qui si rerum naturam cognitam habuisset, hirundines quidem scivisset e fronde nunquam cantum edere nec unquam arboribus insidere. Praeterea scire cupio, quam tandem Muellerus vim *fritinni* imperativi esse voluerit. Nec ad ipsa vestigia codicum tam ille prope accessit quam licere arbitramur. Omnium autem minime placere illud potest, quod satis miro artificio *M. Accius* vel *Maccius* nomine, quod sequitur in codicibus, ita abusus est, ut *Mati* quidem servaret (Matium dici Mimiamborum scriptorem et Iliadis interpretem **) putans, cuius testimoniis Varro paullo ante usus § 95. 96 p. 371 sq. Sp.), solam autem *us* syllabam relictam esse ex ipsis Matii verbis, maximam partem hinc elapsis, sibi persuaderet. Immo aut vehementer fallor aut in *maccius* vel *mactius* litteris ipse exitus versiculi a Varrone prolati quaerendus est: *in Casina* enim et quae sunt similia nullo praemisso poetae nomine dicere perfamiliare Varroni. Quid? quod idem, nec id profecto raro, exemplorum a semet expromptorum fontes prorsus tacuit. Quod dum huc accommodo, primum sanare multifariam corrupta hac via instituebam: *Sic et ab irundine: frende ĕt fritinni: suāviter [pol] māc-*

*) Turnebi, non Scaligeri inventum esse monuit Spengelius. Ego exemplum Bipontinum (p. 244) secutus sum.

**) De quo nuper etiam Piderītus egit comm. de Apollodoro Perg. et Theod. Gad. p. 23 sqq.

Digitized by Google

cus es. Mox tamen paenituit: neque enim Atellanas tanti fecisse Varro videtur, e quibus integros versus testimonii caussa afferret, ut qui singulas tantum illinc voces rusticorum proprias excitarit VII § 29. 84. 95 (p. 318. 362. 372 Sp.): nec *maccum* constat appellativa potestate ut *bucconem* dici, et universum commentum sensus quidam veri respuebat. Sed recte inventum *frende et fritinni* visum est, in librorum scripturam *frunde et frutinni* apprime conveniens. Itaque ascita ex Enniani versus fine extrema syllaba quae est *it*, novo periculo facto haec expiscatus sum e litterarum apicibus: *Insueta, ut ab irundine:*

*frende et fritinni: suavitate mactus es.**) Quae acerbe irridentis sunt, ei dicta quem vel vinculis constrictum vel verberibus male mulcatum vel temulentia oneratum vel aliquo infortunio mactatum in scena quisquis fuit abiens relinquebat, dentibus frementem prae impotenti rabie sonosque edentem inconditos et ad risum movendum compositos. Nam, ne quid erres, *antiqui et mactus dicebant,* ut cum Prisciano loquar V, p. 209 Kr. Quae autem *obscura* Varro ab initio dixerat, opposita *perspicuis* vel *apertis*, ea deinceps duo-

*) Parum sibi de Varronis loco liquere Spengelius fatetur. Ceterum leve puto, quod a litterarum similitudine nimis ei recedere *ab irundine* videtur; levius etiam, quod apertum esse versus finem *fritinni suaviter* dicit; non satis grave, quod, si duo verba (*frende et fritinni*) iuncta fuerint, non unius *fritinnire*, sed utriusque enodationem exspectari ait, ita quidem ut *frendere* quoque velut ab apro ducatur. Gravius videri possit, quod non hirundinis potius quam cicadae esse *fritinnire* dicit secundum carminis, quo animalium voces explicentur, hunc versum: *Et cuculi cuculant et rauca cicada fritinnit.* Atqui, hoc ut ita sit, in Varronis quidem versiculis felicissima Scaligeri coniectura (p. 245 ed. Bip.) compositis *fritinnientes pulli* profecto non sunt cicadae, sed, ut ab ipso poeta docemur, certe *volucres pusilli*, si non ipsae hirundines.

Digitized by Google

bus generibus dispertit, *minus apertis* Ennianis ea iungens, quae longius etiam a consuetudine et perspicuitate aliena *insueta* appellat *): qualia sunt non a quadrupedum vocibus, vituli, bovis, leonis, haedi ducta, sed ab avicularum cantu tralata, *fritinnire, fringuttire, tritillare*. Et sunt haec sane usu perraro, ut recte insolita dicas, si cum illis compares quae sunt *ululare, mugire, boare, fremere, vagire*.

§. 7.

Vnde igitur, haec omnia si ita se habent, provenit tandem qui tam diuturno consensu M. Accius Plautus fertur? Nam nec in codice ullo *M. Accii* Plautinas fabulas inscribi cap. I monui, nec vetustissimae editiones nisi *Plauti* inscribunt simpliciter, nec omnino per latissimos fines litterarum latinarum, si ab Attii versibus et prologo Mercatoris recesseris, unquam alio nisi uno *Plautus* nomine is est poeta vocatus, cuius testimoniis grammaticorum potissimum commentarii referti sunt, et in his tam praestantium quales Varronem, Verrium, Iulium Romanum habemus. Accipe igitur veram erroris originem: finxerunt fide carentia nomina antiquissimi Plautinarum fabularum interpretes Saracenus Piusque, nec tamen dolo illi malo finxerunt, sed ambiguam incertamque librorum memoriam in hanc partem interpretantes, Varronis potissimum fallaci testimonio illo confisi, quo plene dici *Marcus Plautus* videretur, alterum autem eiusdem Varronis testimonium et utriusque prologi Plautini versus ad istam opinionem corrigentes, remque omnem Festi

*) Quanquam fatendum est Varronianum exemplum non esse in promptu. *Insueto nomine* Ennius dixit apud Varronem l. l. VI, 60.

Digitized by Google

auctoritate confirmare sibi visi. Quarum rerum documenta illorum in Asinariae et Mercatoris prologos annotatio suppeditat. Ex his profectus commentariis latius error serpsit *) et ut fit ad nostram deinceps aetatem propagatus est, graviter ille admonens Epicharmiae sapientiae sic olim praecipientis: *νᾶφε καὶ μέμναο' ἀπιστεῖν.* Et diversissimo quidem casu contrarium Plauto atque Gellio accidit: hic enim ut ex A. Gellio factus est Agellius, ita ille M. Accius e Maccio. Ad Festum autem quod attinet, non cogito de novicio isto additamento, ei notationi, quae est apud Paulum Diaconum (p. 36 M.) de *barbari* voce, in Daceriano exemplo agglutinato: *Vnde Plautus Naevium poetam latinum barbarum dixit* [*et de se, cum transferret fabulam ex Graeco, dixit M. Attius vertit barbare*]: neque enim haec, quae a vetustis editionibus scriptisque libris cunctis absunt, vel Pius vel Saracenus norunt. Sed gravius dico et speciosum sane illud testimonium quod est de *Plautus* nominis origine p. 239 M.: *Ploti appellantur qui sunt planis pedibus. Vnde et poeta Accius, quia Vmber Sarsinas erat, a pedum planitie initio Plotus, postea Plautus est dictus. Soleas quoque dimidiatas, quibus utebantur in venando quo planius pedem ponerent, semiplotia appellarunt* (foedo enim vitio *appellantur* editur). Haecine vero Festi sunt, cuius auctoritatem iactare veteres illi interpretes solent? Immo petita sunt e Pauli epitoma eorum, quae lacunosa sic extant apud Festum una cum supplementis recentissimi exempli:

*) Pertinet huc, ut unum commemorem e multis, quod in gentium plebeiarum numero, quae fuerint reipublicae temporibus, *Attiam* cum cognomine *Plautus* refert Panvinius de nominib. Rom. p. 2013 vol. II Thes. Graev.

Digitized by Google

[— — — Plotos appellant] *Vmbri pedibus planis* [natos. hinc soleas dimidiatas qui] *bus utuntur in uenando* [quo planius pedem ponant, vo]*cant semiplotia et* [. . . . . unde et Acci]*us poeta, quia Vmber Sarsinas erat, a pedum planitie initio Plotus, postea Plautus coeptus est dici.* — — —

Vides in lacuna esse ipsum nomen poetae: quando probabilius sane nominis exitum *us* syllabam interpretabimur quam de [*comic*]*us* voce cogitabimus. Vtcunque autem de ea syllaba statues, tantum contendi quovis pignore potest, non repperisse Paulum in suo exemplo *unde et Accius* scriptum, aut non ita Festum saltem scripsisse. Certum in promptu est argumentum: non potuit sine praenomine Accius aliquis poeta dici, quem quidem scriptor vellet alium atque celeberrimum illum L. Accium intelligi. Ergo scribendum fuerat certe *M. Accius*: quod si modo scriptum reppererit Paulus, quid tandem impediat quominus nos non duo, sed unum *Maccius* nomen interpretemur, illum autem credamus praetermisso praenomine solum servasse gentile nomen? Itaque ne Pauli quidem testimonio licebit tralaticia comici poetae nomina tutari. Ceterum haud scio an non satis constet de ipsa librorum scriptura Pauli Diaconi: nam cum apud Lindemannum nihil discrepantiae memoretur, antiquiorum tamen editionum quotquot inspexi non *Accius* sed *Attius* praebent: *Atius* autem iudidem Pighius affert Annal. I, p. 450. Quo autem magis et librariorum usu et proximorum saeculorum consuetudine *Accius* pro *Attius* forma et quae sunt similia increbruerunt, eo ego confidentius ista veterum editionum consensione utor, ut ab ipso Festo non *Maccius*, sed *Mattius* potius esse positum existimem. Sic enim laceram illius notationem redintegro:

Digitized by Google

Plotos appellant Vmbri pedibus planis q. s. unde et soleas dimidiatas, quib; utuntur in uenando quo planius pedem ponant, uocant semiplotia, et a pprio nomine fuit T. Mattius poeta, quia Vmber Sarsinas erat, a pedum planitie initio Plotus, postea Plautus coeptus est dici.

Ita illud simul significatur, quod verum esse taciturna testatur vox antiquitatis, iam antiquitus oblivione obruta reliquorum nominum memoria solum fere cognomen posterorum usu invaluisse.

§. 8.

Vnum restat, ut quale sit *Maccius* nomen explicetur. Quod cum non differre a *Mattius* nomine affirmamus, praesto est *Accius* et *Attius* formarum similitudo, quas quidem non unis librariis, ut ait Madvigius Opusc. p. 96, eiusdem esse nominis formas constat una cum tertia *Actius*, sed ab ipsis veteribus sine discrimine usurpatas cum lapides testantur, tum eae disputationes docent quas Weichertus de L. Vario et Cassio Parmensi p. 9 sq. commemoravit. Non impedio equidem quominus rationi convenientius cum Osanno Anal. p. 61 iudicetur *Attius* propter Graecam Ἄττιος scripturam: cui simillimum in nostra caussa Ματτιανά sociare possum, quod est apud Athenaeum II, p. 82. c: sed non est continuo falsum, quo aliud quiddam esse praestabilius constiterit.*) Bona est autem et proba nominis forma *Mattius*. Quodsi etiam *Matius* scribitur, eadem ratio est, quae intercedit inter *Attius* et

*) Acrius etiam Osannum Heinrichius impugnavit laudabili in Pers. Sat. I, 50 annotatione. — Ceterum cum *Attius*, *Actius* conferri *Vettius*, *Vectius* formae poterunt.

Digitized by Google

Atius formas *): nisi quod in his certum est multo magis geminam *t* litteram invaluisse, simplicem paullo magis usus videtur in illis probasse. Innotuit in hoc genere praeter ceteros mimiamborum ille scriptor et Iliadis interpres *Cn. Mattius* vel *Matius* poeta, cuius supra mentio fiebat. De quo quae extant Varronis, Ciceronis, Plinii, Taciti, Gellii, Suetonii, Columellae, Macrobii, aliorum testimonia (modo ad unum eundemque omnia spectent), maxima ex parte iam Torrentius in Suet. Caes. c. 52 commemoravit. Eum hominem inter plerosque sane convenit rectius *Matium* quam *Mattium* dici: quode vide Wernsdorfium disputantem Poet. lat. min. IV, 2 p. 568 sqq. et Leutschium in Zimmermanni Diariis antiq. stud. a. 1834 p. 164. Sed idem *Mattius* est Scaligero Coniectan. in Varr. p. 236 Bip., eaque forma extat apud Macrobium Sat. I, 4. II, 16, apud Lipsium ann. in Tac. Ann. XII, 60, in Gronoviano Gellii exemplo VI, 6. XV, 25. XX, 9: eodemque spectat *Martius* scriptura X, 24 coll. Suet. Domit. 21. Quibus adde Terentiani Mauri versum 2416:

hoc mimiambos Mattius dedit metro:

cuius eo gravior vis, quod correpta antepaenultima in Aeneide V, 568 est *genus unde Atii duxere Latini.* Nihil autem magis appositum esse ad persuadendum potest, quam quod in Prisciani codicibus vol. I, p. 281 Kr. idem poeta *Martius, Maccius, M. accius* et *M. actius* scribitur. Quo prorsus conveniunt, quas e Gellianis Plautinisque libris scribendi discrepantias supra attulimus §. 1. 3 et 6. E quibus omnibus certissime ef-

*) Quid, quod hae quoque formae c litteram asciverunt? Nam *Atius* et *Acius*, *Matius* et *Macius* habes in Scaligeri Indice Thesauri Gruteriani praeter *Attius* et *Mattius*, *Actius* et *Mactius* formas. Tam haec sunt omni ex parte affinia. De Atia gente dixit Weichertus.

Digitized by Google

ficitur, et incertum illud ipsum esse, certone *Matius* nomine mimiamborum poeta constanter vocatus sit, et hoc ut vel maxime certum sit, non tamen continuo pertinere ad Plautum. Quidni enim potuerint sive eodem sive diversis temporibus et *Matii* esse et *Mattia* gens quaedam? Quanquam ut dicam quod sentio, non fuit Romanae gentis alicuius Mattiae Plautus poeta, sed *T. Mattius* appellatus est Vmbricis nominibus, Romae autem peregrinus vixit *), ibique eo potissimum nomine vulgo innotuerat, quod a pedum planitie (Sarsinae puta) ei inditum **): quam quidem famam videtur etiam Quintilianus Inst. or. I, 4, 25 sequi. Omnino enim nequaquam frequens, si cum aliis compares, inter Romanos sive *Matius* sive *Mattius* nomen. Et *P. Macium Verum* eiusque filium *P. Macium Iustum* inscriptio Perusina praebet apud Vermiliolum (*Le antiche iscrizioni Perugine*, Per. a. 1804 sq.) vol. II, p. 365: Perusiae autem recordandum est quondam ipsos Sarsinates consedisse teste Servio in Aen. X, 201. Vt non sit nullius momenti, quod in Vmbricis monumentis Perusiae repertis et *Titus* praenomen minime infrequens est et ali-

*) Eadem igitur Plauti fuit quae Naevii Enniique condicio, de quibus vid. Ritterus Diar. antiq. stud. a. 1840 p. 374. Nam illud satis mirari nequeo, qui *superbiam Campanam*, Naevio tributam a Gellio I, 24, nihil esse nisi *maximam*, post Regelium de re trag. Rom. p. 69, contra quem iam Welckerus rectissimo iudicio dixerat de trag. Graec. p. 1338, contendere etiam Klussmannus de Naev. vit. et fragm. p. 5 sqq. sustinuerit. Cui quidem lubenter in eo assentimur, quod Plautum Romam migrasse iam puerum p. 7 sqq. suspicatur Ciceronis verbis usus de orat. III, 12.

**) Simillimum extitit alius poetae latini exemplum, de quo sic est apud Paulum p. 12 M.: *Attae appellantur, qui propter vitium crurum aut pedum plantis insistunt et attingunt magis terram quam ambulant: quod cognomen Quinctio poetae adhaesit.* Et ita adhaesit, ut iam non Quinctius, sed Atta solitus sit appellari.

Digitized by Google

quoties *Plauti* commemorantur, ut *L. Pomponius Plotus* apud Verm. I, p. 22, *Lars Pomponius Plautus* ibid. p. 150. 152. 153. Vide de his C. O. Muellerum disputantem de Etrusc. I, p. 426. 435 ann. et 440 sq.

Eo videmur rem adduxisse, ut ultimo iam perfugio occluso nulloque, nisi quod nos fugerit, tralaticiae opinionis praesidio relicto fortiter ex animo inveteratus error exstirpandus sit et gratulandum optimo poetae de veris nominibus, quibus tamdiu orbatus fuit, Ambrosiani codicis beneficio recuperatis.

EPIMETRVM.

Bene factum quod modeste malui quam confidenter loqui. Nam fugerant me sane quaedam nec ea levidensia. Ac primum Frontonis testimonium praetermissum est, valde illud lacerum, sed cuius tamen haec verba plane et perspicue legi potuerint Epist. de orat. III. p. 131 Nieb.: . . . . *hoc genus verborum Accius Plautus sanus* . . . . Nec tamen haec negotium facessunt: nam sive a librario sive a Maio neglecta est *m* littera post *verborum* vocem iterata, a Frontone quidem *Maccius* scriptum esse communis cum aliorum tum O. Iahnii sententia fuit, qui de Frontonis verbis breviter, ut in re aperta, dixit Musei philol. vol. III p. 156.

Gravius Plinianum est idque adeo triplex testimonium, cuius indicium Bergkii amicitiae debeo. In *Elenchis* enim *auctorum* Naturali historiae praemissis ter Plinius, si editiones sequimur, *M. Accium Plautum* posuit, inter scriptores lib. XIV. XV et XIX, p. 54. 56. 67 Sill. Vbi quanquam e scriptis libris nihil eno-

Digitized by Google

tatum est, tamen minime dubito quin saltem in vetustioribus uno pusillo puncto sublato *Maccio* inventuri sint, si qui ad has minutias volent animum advertere. Sed ut non succurrant codices: esto: vel sic tantum abest ut nostram sententiam Plinii auctoritas infringat, ut magno ei praesidio certissimoque munimento existat. Necessitatem enim in illam speciem corrigendi Bergkius e praeclara observatione quadam sua hac duxit, quod nunquam Plinius in his quidem indicibus simul nomen, praenomen et cognomen cuiusque scriptoris iunxerit, verum aut unum tantum posuerit aut certe binarium nominum numerum non excesserit. Qualis constantia quam vim habeat in tam immani nominum multitudine, facile unusquisque sentit. A certissima lege duo tantum exempla recedunt: lib. XXXV, p. 116 *Cassio Severo Longulano*, quae quidem Bergkius non unius, sed duorum hominum nomina esse vidit interpungendo dirimenda; alterum lib. III, p. 22 *L. Ateio Capitone*, quod exemplum, cum longiorem disputationem requirat, propediem se expediturum professus est.

Cavendum autem, ne in alterutram partem Festi notatione p. 359 M. utare: *Tammodo antiqui ponebant pro modo, ut Attius: Tammodo inquit Praenestinus.* Quae verba cum sint Trinummi III, 1, 9, facile quispiam aut de *Maccius* forma reponenda cogitet, aut Attium dici M. Attium Plautum sibi persuadeat. At ne uno quidem exemplo ab ullo grammatico hunc poetam alio atque *Plautus* nomine commemoratum esse supra apparuit: ut prorsus fallatur, qui contrarium obscura recordatione, ad ipsum hoc Festi testimonium ut arbitror spectante, testatur Osannus Diar. antiq. stud. a. 1836 p. 990. Attius ille credendus tragoediarum poeta, solo errore pro Plauto positus, quemadmodum etiam Ennii, Naevii, Pacuvii, aliorum poetarum nomina non

Digitized by Google

rarius quam Αἰσχύλος, Σοφοκλῆς, Εὐριπίδης, Ἀριστοφάνης inter se permutata constat.

Ceterum simplici *Plautus* nomine ipse se poeta dixit eo epigrammate, quod e Varronis libro de poetis primo Gellius I, 24 prodidit:

Postquam est mortem aptus Plautus, comoedia luget
Scena deserta. dein risus, ludus iocusque
Et numeri innumeri simul omnes collacrumarunt.

Quos versus incredibile dictu est quanta temeritate vexarint absurdissimisque mutationibus corruperint, immo prorsus perverterint non Parei tantum caput hebetissimum, sed etiam divini ingenii criticus Acidalius*): quo nimirum non hexametris, sed senariis sibi parentaret poeta. Quasi vero non potuerit, quamvis diverso in genere versari solitus, etiam ad hoc aliquando tanquam ludibundus accedere, quod quidem in Latium ab Ennio tralatum esset h. e. ab eo poeta, quocum per viginti annorum spatium simul Romae Plautus degit: id quod recte Osannus perspexit Anal. p. 37. Et circa ipsum vitae finem epigramma factum esse sepulcro incidendum, veri satis est simile. Quanquam, ut largiamur non videri tales versus a Plauto scriptos, nonne hanc ipsam Gellio caussam fuisse apparet, cur se dubitaturum, an Plauti epigramma esset, nisi Varro prodidisset, profiteretur? — Ceterum perscripsimus hos versus, quales in antiquissimis eisque optimi Gellii codicibus exstant, i. e. in Vaticano, Regio atque Rottendorfiano, nisi quod pro *Scena est deserta* ab Orellio Ecl. lat. p. 258 asci-

*) Qui huc quoque M. Attium invexit incomparabili commento:
Postquam Marcu' Attius Plautus est demórtuus.
Mortem apisci etsi insolite dictum est, tamen quid in eo genere, quod spectat ad vim et usum vocabulorum, priscae aetati latinae linguae licuerit, non ita nunc definiri potest, ut in talia severius consulendum sit. Et multo certe minus Plauto quidem ego ***morte datus*** tribuerim, quod plurimis placuit.

Digitized by Google

vimus ablativos *Scena deserta.* Futile est editorum commentum *hinc* pro *dein* corrigentium; multo autem futilior Meyeri Anthol. lat. II, 1 p. 12 excusatio productae ultimae syllabae *deserta* vocis, ut in arsi scilicet positae et ante maiorem interpunctionem. Qui quod metri vitium (vitium igitur ipse credidit) non codicibus, sed poetae tribuendum propterea putat, quod ipsi Gellio *male concinnatum* epigramma visum sit, intulit in Gellii verba quod minime inest. *Numeros* autem *innumeros* nec Turnebus nec Thysius nec Tollius nec Wakefieldius recte sunt interpretati; nihil nisi numerorum h. e. versuum metrorumque varietas spectatur: quae quanta sit velut cum Terentiana simplicitate comparata, neminem fugit. — Vtor hac opportunitate, ut Naevianum epigramma Plautinis versibus a Gellio iunctum subiiciam, quale in eisdem optimis libris et plurimis aliis scriptum exstat iustae dubitationi propemodum nulli obnoxium: quod sola codicum ignoratio effecit ut identidem verbis transpositis nunc fere circumferatur, velut in Hermanni, Bothii, Grotefendi, Osanni libris a Klussmanno de vita Naevii p. 201 commemoratis, praeterea etiam in Meyeri Anthologia p. 5. Nam nisi quod tertio versu *orcho* vel *horcho* vel *orchio* proditum est, reliquorum haec forma rationi minime repugnat:

Immortales mortales si foret fas flere,
Flerent divae Camenae Naevium poetam.
Itaque postquam est orcino traditus thesauro,
Oblíti sunt Romae loquier linguá latina.

Nullam enim ultimus offensionem a neglecta caesura habet: cuius elegantiae Grauertus Append. ad Koenii librum de ling. epic. lat. p. 267 sic consulturus:

Obliti sunt Romái ‖ loquier linguá latina,

oblitus est alteram Saturnii partem anacrusi carere.

Digitized by Google

Prorsus autem nihili sunt aliorum coniecturae a Meyero II, 1 p. 7 memoratae.

Postremo ad *Maccius* nomen aliquid spectat, quod e docti viri Neapolitani, Augustini Gervasii, litteris ad praestantissimum collegam nostrum Welckerum datis excerptum infra posui: „*A quel dotto Professore, di cui mi donò le due dissertazioni intorno alla porta Mezia e al prenome di Plauto, e del quale non saprei scrivere il cognome, farà intendere che fra' collettori di antiche iscrizioni nel Sec. XIII vi fu un Sebastiano Maccio, la di cui raccolta è fra' codici Ottoboniani nella Vaticana, e ne dà ragguaglio il Mabillon ne' suoi Analecta dopo la lettera De cultu SS. Ignotorum. Il Maccio sul prenome di M. Accii nelle iscrizioni si estese più d'ogni altro per mostrare la di lui discendenza da questa famiglia Romana, unendo il prenome al cognome, Maccii; il che mi fa intendere ch'entrambe le due parole Marci Accii neg'li antichi codici e ancor in qualche iscrizione fossero scritte Maccii senza alcun segno diacritico.*"

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

DE

AETATE PLAVTI.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE AETATE PLAVTI *).

§. 1.

De aetate Plauti etsi nihil habemus reconditius quod expromamus, tamen non inutile fuerit, quid tandem explorari queat, paullo diligentius quam adhuc factum est quaerere. Ac mortuum quidem illum P. Claudio L. Porcio Cos. esse, Catone censore, h. e. si fastos Capitolinos ut consuevimus sequimur, a. 569 V. C., sat certo Ciceronis testimonio constat Brut. c. XV, §. 60. Neque enim vel tantisper nos morari Hieronymi **) negligentia potest, cuius ut alii sunt in iis, quibus Eusebii canonas supplevit laudabili consilio, impari successu, iique gravissimi errores, ita non levissimus hic est, quod olympiadis cxxxxv anno primo sive a. 553 vel 554 V. C. mortem Plauti ascripsit: cuius quidem Pseudolum compertum habeamus a. demum 562 in scenam esse commissam, aliquanto post etiam, nisi probabilis nos coniectura fallit, Bacchides ***). Hiero-

*) Edita a. CIↃIↃCCCXXXXI.

**) Vide Epimetrum I.

***) De utraque nuperrime diximus Mus. philol. I, p. 31. 67. 60. (Diss. IV.) Quibus aliae addi poterunt, de quibus alibi quid sentiremus explicavimus: velut Trinummus, Casina.

Digitized by Google

nymum tamen nec Scaliger castigavit et secutus est Freinshemius in Excerpt. chronolog. ad Florum p. 572 ed. Elzev. Quid? quod Bothius editionis Halberstadiensis p. XXIII adeo de a. 547 aliquo modo posse cogitari significavit hallucinando potius quam iudicando. Verum idem Plautus quando videatur natus esse, partim certant grammatici partim tacent. Et plerique quidem a Donati verbis proficiscuntur in Andr. Ter. prol. v. 18 sic commentantis: *Naevium, Plautum, Ennium accusant*] *In singulis magna emphasis est auctoritatis, sed ordo non est servatus: Ennius namque ante Plautum fuit.* Quibuscum Ciceronis illa convenire visa sunt Tusc. Qu. I, 1 extr.: *annis enim fere* ID *post Romam conditam Livius fabulam dedit C. Claudio Caeci F. M. Tuditano consulibus, anno ante natum Ennium: qui fuit maior natu quam Plautus et Naevius.* Quorum si ea sit constructio, quae ad collocandorum verborum simplicitatem proxime accedat, prodeat sane Ennio minor natu Plautus h. e. non ante a. 515 natus. Nam a. 514 C. Mamilio Q. Valerio Cos. natum esse Ennium, id vero dubitatione prorsus vacat habetque locupletissimos testes Varronem apud Gellium XVII, 21 et Ciceronem Bruti c. XVIII § 72. 73 Catonisque mai. c. V. § 14: a quibus nequaquam discrepat, ut Osanno visum Anal. crit. p. 49, Hieronymus ad olymp. CXXXV, 2 et CLIII, 1. Ceterum quod annos ID Cicero dixit *), ea talis negligentia est, quam ne voluerit quidem scriptor vitare: id quod rectissime Wolfius intellexit. Quominus enim a quorundam librorum scriptura *quadringentis decem et octo* profectus verum numerum restituas IDXIIII, qui ipse est in Brut. XVIII, § 72 **),

*) Perleviter hoc attigit Visseringus Quaestionibus Plautinis Amstelodami a. 1842 editis, I p. 15.

**) Vide Epimetrum II.

Digitized by Google

(Varronis enim, non Attici calculos nescio quos et Cicero sequitur et secutus est ipse Atticus:) una impedit addita *fere* vocula, quae illuc potius valet quam ad veterum de primae fabulae Livianae temporibus discrepantiam, quae et Mureti mens fuit et nisi fallimur Gernhardi in Cat. mai. p. 94. Vrsino autem ipsum illud IↃXIV in vetere suo libro ms. esse testanti difficile fuerit credere, praesertim cum non IↃXIII sed IↃXIV afferat, praeterea etiam *docuit* pro *dedit* et *Centhone* pro *Cassi filio:* quibus rebus omnibus non mediocriter augetur suspicio. Nisi quidem dedita opera ab novicio librario interpolatus ille liber fuerit. Cicero autem etiam Bruti l. c. C. Cornelio Q. Minucio Cos. h. e. a. 556 Ennium scribit, ne addita quidem *fere* particula, XXXX annos natum fuisse, cum deberet XXXXII: similiaque apud ipsum Ciceronem alia extant. Qualia profecto non sunt *σφάλματα μνημονικὰ* dicenda.

§. 2.

Itaque, ut iam revertatur oratio, Ennio natu minor Plautus nihil scrupuli iniecit Mureto, Davisio, Pearcio, Ernestio, Lallemanno, aliis: sed summae offensioni interpretibus omnibus sociatus cum Plauto Naevius fuit, neque id immerito. Hunc enim non Cicero tantum Brut. XIX, 75. 76 novit Ennio antiquiorem, sed quattuor post Ennium natum annis h. e. V. C. 518 *fabulas apud populum dedisse* Gellius prodit XVII, 21. Huc accedit, quod eundem stipendia fecisse bello Punico primo et ipsius et Varronis fide idem Gellius narrat, senectutem autem attigisse Cicero significat Cat. mai. XIV, 50 *):

*) Id quomodo e Ciceronis verbis consectarium sit, docuimus Mus. phil. l. c. p. 51. Neque enim ullo modo licet sic illa interpretari, ut pridem editis scriptis Naevius Plautusque cogitentur

Digitized by Google

e quibus rationibus inter se coniunctis consectarium hoc est, ut, etiamsi ad militiam admodum adulescens accesserit nec nisi ultimis demum Punici belli annis stipendia fecerit, tamen nullo modo possit post a. 490 natus haberi, multo etiam probabilius ad annum fere 480 reiiciatur *), nec multo minor natu quam ipse Livius (a. 481 Tarento Romam advectus) credatur, quem non ante a. 545 (quo XXVI annorum *adulescens* Cato fuit) *senem* obisse recte videtur e Liv. XXVII, 37 et Cic. Cat. mai. l. c. coniici. Ita enim fere septuagenarius Naevius mortuus sit Cethego et Tuditano consulibus h. e. anno 549, si veteribus commentariis credimus Bruti c. XV, 60 memoratis: ubi cum a Varrone Naevii vita longius esse producta dicitur, nescio an non nimium longe Varro produxerit atque in hanc ipsam partem valeat Hieronymi ad olymp. CXLIV, 2 notatio, qua anno 550 vel 551 V. C. Naevii mors tribuitur: quam video etiam Scaligeri coniecturam esse**). Nec falli posse videmur, cum non post a. 470,

in senectute delectati esse: quae quam exilis delectatio fuerit! quam omnium communis! quam dissimilis eius voluptatis, quae in C. Gallo, vel eius exercitationis, quae in M. Cethego, vel studiorum illorum, quae in Licinio Crasso Publioque Scipione a Ciceronе praedicantur! Eandem rationem secutus est Visseringus l. c. p. 9. Qui quod alios ait a. 529, alios 527 Plautum natum perhibuisse, dubium illos *Hieronymi et Festi* auctoritatem secutos, id ad quos spectet vel unde haustum sit vel quo valeat, prorsus non assequor. — Ceterum quae in Naevium Plautumque, eadem aequalitatis ratio in Truculentum et Pseudolum cadit. Vnde intelligitur quam temere illam quidem fabulam nescio quis nuper dixerit ex antiquissimis Plautinis esse.

*) Eandem video Meyeri in Brut. p. 61 sententiam esse. Cuius editio post vulgatam demum hanc commentationem in manus nostras pervenit.

**) Klussmanni quoque eo libro, quem de Naevii vita et reliq. Ienae a. 1843 edidit, p. 23. — Paullum igitur abest quin in hunc mortis annum Scipionis laudatio conveniat ex iis Naevii versibus a Gellio VI, 8 commemorata, quos non ante a. 552 scriptos esse

Digitized by Google

nisi aliquot etiam annis prius, Livium natum statuimus. Exposuimus autem haec paullo accuratius, quia in definiendis temporibus Naevianis non satis diligenter quosdam versatos vidimus, ut Krausium historiae litt. Rom. fasciculo p. 129. 133 et Regelium de re trag. Rom. p. 39, ut eos mittamus, qui de Naevio a. 519 nato loquuntur.

Quae cum ita essent, nullo autem pacto tam turpiter memoria lapsus esse is scriptor putari cum Davisio posset, cuius in eodem genere par soleret eruditioni diligentia esse: (nam quod eundem prorsus errorem Kuehnerus ait ab ipso Cicerone Bruti l. c. notari in Attio, id quidem nimium est nec ullo modo verum, cum non ad Ennium, sed ad solum Livium Attii testimonium spectet:) triplici potissimum via his sese angustiis expedire studuerunt. Fuerunt enim, qui omnem illam Plauti Naeviique mentionem ex interpolantium sedulitate repeterent. Quos ex parte praeter cetera argumenta hoc movit, quod ieiunum plane et languidum totum additamentum illud esse ineptoque loco doctrinam a scriptore affectari sibi persuaserunt. Ipsum languet et inertiae est, quo hanc Kuehneri, Kritzii, aliorum opinionem argumento Moserus impugnat, cui de universo hoc genere iudicium videatur certa quadam norma omnino destitui: Verum alia ratio praesto est eaque nostra sententia evidentissima, qua temporum definitionem illorum universam ab Ciceronis consilio non

---

F. Ritterus coniecerit in Diar. antiq. stud. a. 1841 p. 334. Qui quod non ante a. 547 Bellum Punicum Naevianum esse editum demonstravit, id magis etiam confirmari Ciceronis illis verbis potuit, quibus valde gavisum bello suo Punico Naevium inter alia iucundae senectutis exempla memorat. Cat. mai. § 50. Idem igitur Naevio quod Ennio accidit, cuius Annales item paucissimis ante mortem annis absolutos esse e Gellii XVII, 21 perspicitur.

Digitized by Google

necessario alienam esse appareat. Id enim agens scriptor, ut serius poeticam accepisse Romanos doceat, antiquissimum affert publice editi carminis exemplum, quod esse Livianum illud dicit; una autem cum Livio quoniam ut vetustiores reliquis omnibus unicuique succurrebant Naevius, Plautus, Ennius, nihil instituere ad suam argumentationem accommodatius potuit, quam ut ne hos quidem, etsi praeter Livium antiquissimos, ad huius ipsius aetatem prorsus accedere breviter moneret. Modo aliquo artificio illud ipsum efficiatur, ut non falsa de horum temporibus tradantur. Idque sic consequi sese posse cum G. I. Vossio de histor. lat. I, 2 Funccioque de adolesc. lat. l. II, 7 Orellius, Moserus, Spangenbergius Enn. Ann. fragm. p. VIII, Osannus Anal. crit. p. 43 opinati sunt, ut *qui* pronomen non ad Ennium, sed ad ipsum Livium referrent. Quod si concedatur, tamen praeter necessitatem Orellius de more Ciceronis cogitaverit, quo doctrinae ostentandae caussa cum alibi quasi praeteriens castigare alios soleat, tum h. l. Attianos calculos definiendae Livii aetati adhibitos non sine urbanitate perstringat. At vero certissimum est istam quidem *qui* pronominis constructionem prorsus repugnare sanis dicendi legibus nec ullius defendi exempli vera similitudine. Quae enim allata sunt exempla (suppeditant ea Moseri copiae), diversissima sunt propterea, quod ea intelligendi ambiguitate prorsus vacant, quae ex Enniani nominis vicinitate h. l. oritur: atque id ipsum illud est, quod offensioni fuit. Ergo extiterunt qui corrigere codicum scripturam animum inducerent. Et transponendo quidem Ciceronis diligentiae consulere Rathius voluit: nec negari potest, si statim post *Livius* nomen sequantur, quae nunc in fine enuntiationis collocata sunt, *qui fuit ..... et Naevius*, nihil ad temporum veritatem desiderari. Sed tamen

Digitized by Google

aut fallimur, aut ne sic quidem sat commode Plauti Naeviique mentio mediae de Livio narrationi interiecta fuerit, eidem subiecta Ennianae aetatis comparatio: ut multo et simplicius et concinnius Cicero videatur ad hoc potius exemplum locuturus fuisse: *anno ante natum Ennium, aliquot autem annis ante quam in scenam Naevius et Plautus prodierunt.* Contra in ipso *qui* pronomine sedem corruptelae alii quaesierunt. Quorum nec ii, qui *fuitque* proposuere pro *qui fuit*, nec qui *quin fuit* suaserunt, existimari possunt id esse assecuti, quod satis dignum sermone Tulliano esset. Nam cum hoc sit durissimum, simul autem *quin* particulae vis etiam fortior quam pro huius argumentationis aequabilitate, tum ne alterum quidem illud ab Cicerone videtur nisi sic dici potuisse: *fuitque ille maior natu quam P. et N.* Ex his igitur omnibus consectarium esse hoc volumus, de glossemate recte Bouherium cogitasse, meritaque acrimonia eam sententiam F. A. Wolfium defendisse. Hic autem cum e duobus glossematis illud additamentum conglutinatum statuit, firmari hoc aliquo modo codicis unius Verburgiani auctoritate videtur, a quo absunt *et Naevius* verba. Qua quidem re ne quis ita abutatur, ut his tantum verbis eiectis tutetur reliqua *qui fuit maior natu quam Plautus:* reputandum est longe maiorem offensionem habere Plautum quam antiquiorem poetam Naevium, et solum Plautum quam una cum Naevio hac in argumentatione commemoratum. Idemque una ex parte in Pearcii coniecturam cadit *quam Plautus, ut et Naevius:* quam vel propter dicendi genus mirere potuisse ab Ernestio probari. Altera enim ex parte hoc quidem additamentum *ut et Naevius* vere languet et ineptissimum est: quid enim ad Livii aetatem cognoscendam ullo pacto illud pertinet, maior minorve Plauto Naevius fuerit?

Digitized by Google

§. 3.

Ciceronis magis quam Plauti caussa diligentius eum locum pertractavimus, quo non aegre carere in ipsa Plautina quaestione poteramus. Etenim quo tanquam fundamento suarum disputationum Tulliani interpretes usi sunt omnes, ut natu minorem quam Ennium aut esse aut posse esse Plautum crederent, is ipse inveteratus error est, inde ab Donato temere propagatus. Vt, ubi de Ennii aetate agitur, plane eadem condicio sit Naevianae et Plautinae caussae, eoque confidentius et severius in assutos Ciceroni pannos consulendum sit. Quanquam, ut ne hoc quidem praetermittatur, nimium est quod ait Kritzius Diar. scholast. a. 1830 p. 893, *et qui pronomen incommodo loco positum esse et parum convenire temporum rationem:* quorum alterutrum tantum verum est *).

Tralaticiam autem istam de Plautina aetate opinionem primus omnium quod sciamus adortus est F. Windischmannus Mus. philol. Rhen. a. 1833 p. 120. sq. Is enim Ennio aliquanto h. e. *octo vel decem annis* maiorem fuisse Plautum intelligere sibi visus est ex ipsius Ciceronis verbis Bruti c. XVIII, § 73. Neque hoc ille immerito: quanquam non tam expedita est Tullianae argumentationis interpretatio, ut non paullo diligentius explananda videatur. Dixerat autem Cicero § 72 *Livium primum fabulam docuisse C. Clodio Caeci filio et M. Tuditano consulibus, anno ipso antequam natus esset Ennius.* Transierat deinde ad Attii errorem, de cuius sententia fabulam Livius docuisset C. Cornelio Q. Minucio coss. h. e. a. 556. Pergit deinceps:

*) Hunc quoque locum levius Visscringus tractavit p. 10, non satis autem considerato Klussmannus p. 12, quippe in dissimillimis exemplis *qui* pronominis non proximo nomini relati acquiescens.

Digitized by Google

In quo tantus error Attii fuit, ut his consulibus XXXX annos natus Ennius fuerit: cui cum aequalis fuerit Livius, minor fuit aliquanto is, qui primus fabulam dedit, quam ii qui multas docuerant ante has consules, Plautus et Naevius. Habent haec profecto quo offendant. Aptius saltem coarctatam exspectes talem orationem: *ut, cum his consulibus XXXX annos natus Ennius fuerit, ei si aequalis fuerit Livius, minor aliquanto is prodeat, qui primus* e. q. s. Sed gravius quiddam restat. Quid est enim, cur tantis ambagibus utatur scriptor, nec omissa prorsus Ennii mentione et planius et simplicius sic argumentetur: *in quo tantus error Attii fuit, ut minor aliquanto is fuerit, qui* (his consulibus) *primus fabulam dedit, quam ii qui multas docuerant ante hos consules.* Ita enim nihil profecto ad vim argumentationis desideratur, quae fit ex eo quod sit absurdum. Itaque ut dicam quod res est, bipertitam Cicero argumentationem instituit, seiunctamque voluit a priore alteram conclusionem esse. Quod quidem sic declarare enucleatius licebit. C. Cornelio Q. Minucio coss., quibus fabulam docuisse Livium Attius scribit, Ennius natus fuit XXXX annos: atqui uno ante natam Ennium anno fabulam Livius docuit: ergo non potuit hic illis demum consulibus fabulam docere. Altera autem conclusio ad Ennium ipsum nihil pertinet, sed fit e concesso eo, quod revera non conceditur. 'Largiamur, inquit, illis consulibus fabulam docuisse Livium: quod si statuas, non minor ferme quadragenario in scenam prodierit: quo pacto fit, ut fere aequalis Ennio exstat. Brevitati igitur studens et ut alterum simul enuntiatum aptius necteret cum superioribus, illud statim dixit: *cui si aequalis fuerit Livius,* pro eo quod debebat explicatius velut in hanc speciem: quodsi, quibus consulibus secundum Attii calculos pri-

Digitized by Google

mam fabulam docuit, Livium consentaneum est quadraginta annos natum credere (h. e. circa a. 514 natum), minor aliquanto ille prodeat quam Plautus et Naevius: atqui hi eisdem consulibus multas fabulas docuerant: ergo non potest illis demum consulibus prima Livii fabula data esse. Quam ipsam conclusionem si accuratius, qualis tandem sit, perpenderis, rursum reperies suapte natura bipertitam. Duo enim sunt, quae inter se diversa in unum Cicero conglutinavit: quando simplex contrariorum oppositio aut haec est, ut qui primus fabulam docuerit, aliquanto minor existat iis, qui non fuerint in eo genere primi, aut haec, ut quo anno primam fabulam ille docuerit, ante eum annum horum quidem multae iam fabulae datae sint: quorum sane neutrum est, quod non sit absurdum. Explicavimus autem Tullianae ratiocinationis occultius acumen ita, ut occuparemus, sine qua illa ne intelligi quidem potest, *si* particulam, cum vulgo sic illa legantur: *cui cum aequalis fuerit Livius.* Obscurius dictum fatentur omnes: fatentur percommodum *si* esse a Schneidero Saxone propositum ac prius receptum a Manutio, praeterea autem in ipsa editione principe repertum: non audent coniecturam amplecti *), cuius nulla a libris mss. fides. Ergo fidem faciat Lagomarsinianorum **) auctoritas, quorum novem pro *cui cum* habent *quod*, unus *cui*, quattuor autem, qui notantur 93. 98. 99. 101, ipsum quod expetimus *cui si*: praeterea duo verba illa omnia *cui . . . . . Livius* omittunt. Recte Ellendtii rationem, cui subaudiendum videbatur *ex Attii sententia*, reprobavit Orellius: sed idem cum suam quandam scripturam hanc commendat, *cui aequalis si fuit Livius*,

*) Iusta confidentia solus ausus est Meyerus.

**) Quorum scripturas amicissimi Aemilii Braunii beneficio acceptas refero.

Digitized by Google

nec collocationi verborum satis consuluit et parum assecutus est vim coniunctivi, quo quidem id ipsum, quod sumatur tantum de alius sententia, significetur. Novissimi autem editoris Petri defensio *quod* particulae non verendum est ne cuiusquam sensui arrideat. Nobis si edendus sit Brutus, intelligendi commoditati hac membrorum distinctione subveniamus: *In quo tantus error Attii fuit, ut his consulibus XXXX annos natus Ennius fuerit. Cui si aequalis* e. q. s.

§. 4.

Intellectum est hac disputatione, a Cicerone Plautum revera dici Ennio aliquanto maiorem: praeterea multas iam fuisse a. 556 Plauti Naeviique fabulas editas. Windischmanno autem etsi facile concedimus posse octo vel decem annorum spatium satis esse ad vim *aliquanto* vocis explendam, tamen altera ex parte nihil profecto impedit, quominus etiam in longius tempus cadere usitatissimum genus loquendi illud putetur. Sed his aliquantisper missis ad alterum argumentum quoddam progredimur, quod significavit potius quam pertractavit Petersenus in Diar. antiq. stud. a. 1836 p. 615. Exstant apud Augustinum Civ. D. II, 9 Ciceronis e quarto de republica libro haec verba: *sed Periclem. cum iam suae civitati maxima auctoritate plurimos annos domi et belli praefuisset, violari versibus et agi* *) *in scena non plus decuit, quam si Plautus noster voluisset aut Naevius Publio et Cnaeo Scipioni,*

*) Vulgatur *et eos agi*. Rectissime pronomen, in quo cum alii tum sagacissimus Bergkius noster in Fritzschii Quaest. Aristoph. I p. 319 non offenderant, Cobetus deleri iussit Observ. crit. in Plat. com. p. 13. Illud autem satis mirari nequeo, quomodo e Ciceronis verbis Klussmannus p. 16. 223 contrarium hoc effecerit, in Scipiones Plautum Naeviumque invectos esse.

Digitized by Google

aut Caecilius Marco Catoni maledicere. In quibus mirum est de Naevio ita Ciceronem loqui, quasi principes viros nunquam is laeserit, quem *ob assiduam maledicentiam et probra in principes civitatis de Graecorum poetarum more dicta in vincula Romae a triumviris coniectum* Gellius III, 3 narret, in P. Scipionem Africanum invectum esse idem prodat VIII, 6, item in Metellos qui fertur Asconius in Cic. Verrin. act. I. c. 10 cum pedisequis grammaticis. Nec licet ita hanc discrepantiam expedire, ut de fabulis tantum in scena actis Cicero cogitarit, dicta autem in Scipionem et Metellos convicia ad Bellum Punicum referantur: hoc enim, quod extremum posui, etsi sic sane se habere Ritteri diligentia docuit in Diar. antiq. stud. a. 1841 p. 329 sqq.*), tamen repugnant Gellii verba *de Graecorum poetarum more,* quae ad ipsam scenam spectare apertum est. Sed de hoc quomodocunque iudicabitur, illud dubitari nequit, quin inter se aequales Publium Cnaeumque Scipiones et Plautum Naeviumque, rursus autem Catonem et Caecilium Cicero cogitarit. Et hoc quidem ille verissime: nam quintum fere et quinquagesimum annum agebat et iam functus censura Cato erat, quo tempore floruisse Caecilium Hieronymus testatur, ol. 150, 2 h. e. circa annum 575. Nec repugnat, quod aequales Brut. c. LXXIV, 258 dicuntur Caecilius et Pacuvius, qui ab a. 533 ad 624 vixerit: nam quod Gellius XVII, 21 extr. *Ennius* ait *et iuxta Caecilium et Terentius, ac subinde Pacuvius,* finem potius vitae quam initium spectavit, cum uno post Ennium anno (h. e. 585) Caecilium obisse notet Hieronymus. Simi-

*) Contra Ritteri argumentationem quae Klussmannus p. 15.. 18 sqq. protulit, nequaquam illa levia, ibi expendentur, ubi Militis gloriosi tempora cum hac omni quaestione coniunctissima disceptabimus.

Digitized by Google

lis igitur temporum ratio oportet inter Plautum Naeviumque et Scipiones illos intercesserit, quos alibi quoque consociatos reperimus, ut Cat. mai. IX, 29. Paradox. I, 2, 12. pro Corn. Balbo XV, 34 coll. Cat. mai. XX, 75. Sunt autem illi Cn. Cornelius Scipio Calvus et P. Cornelius P. Cornelii Africani maioris pater, quorum ille ad consulatum accessit a. 532, hic a. 536. Quos cum Livius XXV, 34. 36 una obisse in Hispania a. 541 prodat, apparet sane aliquanto prius de Ciceronis sententia fabulas scripsisse Plautum, praesertim cum Naevio hic coniunctum. Vt prope abesse a veritate videamur, si circa annum 530 illum statuerimus in publicum primum prodisse. Nam etsi, ut principes illos laederet, brevissimum sane, quo una vixerint, temporis spatium sufficit, tamen non sufficiunt pauci anni, ut non laesisse atque adeo noluisse laedere scriptor fidem faciat. Quem qui putes vel ambiguo, ne dicam alieno exemplo in eo genere usum, in quo tot certa praesto essent?

§. 5.

Non satis est igitur quod, qui de editarum fabularum temporibus commentati sunt, iam circa a. 537 poesim exercuisse Plautum contenderunt: cui quidem tempori earum, quae hodie superstites sunt, antiquissimas tribuerunt cum Windischmanno p. 120 Petersenus p. 617 et Naudetus in Diurnis Eruditorum Parisinis a. 1838 m. Iul. p. 422, quantumvis et ab illo et inter semet ipsi de fabularum ordine discrepantes. Qui locus universus latius patet, quam quem liceat ὡς ἐν παρόδῳ perstringere. Sed largiamur, quod quidem non concedimus, circa a. 537 demum ad faciendas fabulas poetam sese applicasse: ita etsi potuit sane a. 556 *multas* iam *docuisse* dici a Cicerone, tamen ne sic

Digitized by Google

quidem minor potest Ennio extitisse. Nam cum per se parum habeat probabilitatis, duo et viginti annos natum coepisse scribere, tum longe diversum quiddam reliquae vitae rationes suadent a Gellio III, 3 enarratae: *Sed enim Saturionem et Addictum et tertiam quandam, cuius nunc mihi nomen non suppetit, in pistrino eum scripsisse Varro et plerique alii memoriae tradiderunt, cum pecunia omni, quam in operis artificum scenicorum peperererat, in mercatibus* (sic pro *mercationibus* ex optimis codicibus scribendum) *perdita inops Romam redisset, et ob quaerendum victum ad circumagendas molas, quae trusatiles appellantur, operam pistori locasset.* Mirabiliter his in Vita Plauti Lessingius est abusus, qui admodum adulescentem poesim illum attigisse scribat, deinde Romam reliquisse, post autem in urbem reversum pristina studia aliquantum intermissa recoluisse. Longe alio Gellii illa spectare, *quam in operis artificum scenicorum peperererat,* nemo est quin videat. Artifices scenici non sunt poetae: (ac si essent, qui tandem ex illis quidem verbis, operam poesi Plautum dedisse, consequeretur?) sed sunt histriones. *) Histriones autem sua sponte intelligitur ad varia, quae in hac arte usu venirent, negotia vel opificia ministris quibusdam opus habuisse: eoque spectat OPERARIVS nomen, quod in ipso scenico genere

*) Intelligisne igitur, quo iure Hist. litt. lat. p. 189 Bernhardyus de Plauto haec scribat: *„von niedriger Abkunft und in dürftigen Verhältnissen, welche den Beruf eines Schauspielers und selbst des Handarbeiters ihm aufdrangen?“* — Cum Lessingio errarunt Osannus Anal. p. 142, et singularia de poetae mercatibus narrans Ritterus in Diar. scholast. a. 1830 p. 884 sq. Sed omnium maxime mira habes apud Th. Schmidium in Hor. Epist. II, 1, 175: *Selbst Plautus schrieb sich so viel zusammen, dass er aus einem komischen Dichter ein Handelsmann wurde, und als er alles verloren hatte, musste er, der Noth zu entgehen, die Mühle drehen und Verse schmieden. Τοιαῦτα μὲν δὴ ταῦτα.*

Digitized by Google

usurpatum lapides testantur, de quibus vid. Orell. Inscr. lat. I, p. 457. Quid, quod ipsi OPERAE A SCENA in inscriptione Gruteriana 467, 7 extant? Talium in numero operarum vel operariorum Plautus fuit: qui si illa iam aetate fabulas scripsisset, quas quidem vendere aedilibus posset *), nec fuisset cur ad illiberale ministerium se conferret, nec *Varroni et plerisque aliis* haec potius quam illa comparandae pecuniae via commemoranda erat: multo autem minus erat, cur Romam reversus ob quaerendum victum operam pistori is poeta locaret, vel certe locatam per tantum tempus, quantum tribus fabulis faciendis sufficeret, continuaret, qui prius scriptis fabulis iam innotuisset. Quare sic potius existimandum, excitatum illum pristinae condicionis recordatione et scenicae artis consuetudine adiutum in pistrino demum ad scribendum animum appulisse. Quae si probabiliter disputavimus, ecquis breve temporis spatium sufficere sibi persuadeat, quo tot taliaque tamque diversa negotia unus homo egerit? cui primum pecuniae tantum vilissimo quidem ministerio corradendum esset, quanto ad mercaturam faciendam opus esset, deinde peregrinandum et negotiandum, tum Romam redeundum, postremo in pistrino operandum. Vt breviter dicam quod sentio: non videtur ille ante vitae annum ferme trigesimum fabulas docuisse, ea autem ipsa opera illud effecisse, ut relicto pistrino liberalius vitae genus sequi liceret. Male enim Hieronymo **) cessit variandae orationis studium quoddam, quo illa sic pervertit: *Ibi* (h. e. apud pistorem) *quoties ab opere vacas-*

*) Potuisset autem, si in promptu habuisset. Nam non recte hoc genus Ritterus iudicat Diar antiq. stud. a. 1840 p. 375 de Ennio disputans.

**) Aut, ut videtur, Suetonio potius: de quo vide huius volumiuis appendicem.

Digitized by Google

set, scribere fabulas solitus ac vendere. Illud igitur si tenemus, ne de eorum quidem sententia, quibus circa annum 537 in publicum prodisse poeta visus est, potest post a. 507 natus esse. Et tamen nec ullo argumento constat iis fabulis, quae superstitum antiquissimae habentur, non exstitisse etiam antiquiores complures, et vero tres etiamtum in pistrino scriptas ipse Gellius testatur. Eo igitur similiores veri nostros calculos putamus, secundum quos Plautus circa ipsum initium saeculi sexti natus, fabulas docere coeperit fere tricenarius, inde ab eo autem tempore per integrum decennium una cum Scipionibus illis vixerit, e quorum aetate nostrae argumentationis partem aptam esse volumus.

§. 6.

Percommode autem accidit quod, quas apud plurimos relictas esse plurimas dubitationes praevidemus, eas radicitus evellere tali argumento licet, quo eorum, quae nobis videmur diligenti singulorum testimoniorum collatione eruisse, veritas prorsus evincatur et ab omni parte corroboretur. Etenim Pseudolum a poeta sene factam Ciceronis verba docent, de quibus supra dictum: actam autem esse a. 562 satis iam extra dubitationem positum est. Senem autem negamus quenquam dici a Cicerone potuisse, qui ne sexagenarius quidem esset: id quod ipsius Varronis apud Censorin. d. die nat. c. 14 auctoritate confirmari potest. Vt profecto non habeam quo eum redarguam, qui vel ultra sextum saeculum Plauti natales reiicere animum induxerit. *). Quid autem, quod ne illud quidem adhuc animadverterunt, prorsus id seiunctum ab actae Pseudoli tempore, quod seni

*) Ac video anno circiter 490 a Meyero tribui ann. in Cic. Brut. p. 61.

Digitized by Google

senex in Catone maiore Plautus Naevio copulatur, scilicet post Ennium natus, mortuus autem a. 569, hoc est usque ad vitae annum quartum et quinquagesimum progressus! Quo iam supra uti potueramus.

Restat ut quaeratur, quomodo in ea quae exploravimus Gellii συγχρονισμοὶ congruant lib. XVII, 21: *Ac deinde annis fere post quindecim bellum adversus Poenos sumptum est: atque non nimium longe M. Cato orator in civitate et Plautus poeta in scena floruerunt.* In quibus *post* particula non potest alio referri nisi ad proximam quae praecesserat temporis notationem. Fuerat autem illa haec: *anno deinde post Romam conditam quingentesimo undevicesimo.* Atque inter hunc annum et sumpti vel potius resumpti adversus Poenos belli initium i. e. annum 535 revera interiecti sunt sedecim h. e. *fere quindecim* anni *). Ambiguum autem illud est, ad utrum tempus *non nimium longe* verba spectent. Licet profecto utrovis modo interpretari. Nam Catonem quidem natum scimus a. 519 (vel 520 Varr.): vid. Cic. Brut. XV, 10. XX, 6 coll. Ellendtii in Brut. Proleg. p. XIX sq. **). Qui cum ante vitae annum quadragesimum vix potuerit floruisse dici, idque minus etiam propterea quod ad proximum saeculum eius aetas pertinuit, videmur in annum circiter 560 vocari: qui cum ab a. 519 fere quadraginta, ab 535 autem viginti quinque annorum spatio diremptus sit, neutrum tamen spatium est eiusmodi, quin cum quindecim illis annis comparatum et opponi tanquam longius breviori et non nimis longum dici queat. Vides non aptissime vel Plautum eo tempore sexagenarium Catoni iungi, vel

*) Vide Epimetrum III.

**) Sciendum est enim, non Livii, sed Ciceronis nos calculos sequi: qui quomodo differant, post alios Meyerus exposuit Orat. Rom. fragm. p. 15.

Digitized by Google

Catonem Plauto, qui iam ante medium saeculum floruisse putandus est. Verum qui talem in hoc quidem genere diligentiam ab eo scriptore exspectes, qui statim subiiciat *iisdem temporibus* philosophos Athenienses ad senatum P. R. legatos esse, quos constat a. 598 legatos, *non magno* autem *intervallo postea* Ennium cum Caecilio et Terentio floruisse mentiatur.

§. 7.

Ipsam igitur historiae fidem secutus hoc ordine vetustos Romanorum poetas sese excipere Terentius voluit: *Naevium, Plautum, Ennium:* quem ordinem etiam Isidorus servavit Orig. IX, 1, 7. Vt perversissime *Ennium Naevium Plautum,* hoc quidem ordine, cum alii tum Reinhardus in Terent. p. 192 collocarit, *Ennium Naevium* Bothius Fragm. com., *Ennium Plautum* Meyerus Anthol. lat., quamvis Ennium contestatum habeamus omnino ante medium saeculum sextum, ne vidisse quidem Romam. Ne quis autem ulterius progrediatur et ipso Naevio Plautum potuisse maiorem esse ex eo colligat, quod plerumque huic nomini illud postponitur, ut Cic. de Republ. l. c., de orat. III, 12, 45, Brut. c. 18, Tuscul. I. 1, (item a Mario Victorino II, p. 2524 P. (106 Gaisf.): *apud Plautum et Naevium et Afranium:*) uno verbo moneo Plautum priore loco poni solitum esse ut familiariorem gratioremque Ciceroni. Quanquam ne constanter quidem sic illud instituit, sed inverso ordine Naevium Plautumque commemorat Cat. mai. c. 14.

Digitized by Google

EPIMETRA.

I.

Ad §. 1.

Ex Hieronymo manarunt, quanquam erroribus accessionibusque admixtis, quae in quibusdam Plauti codicibus de eius aetate exstant, ut in Vaticano 3304: *Plautus ex Vmbria Sarsinas Romae moritur XIII. mondi. VI. olimpiade. et LV. Ante adventum Christi CC. annis moritur et ante mortem Terentii similiter moritur annis XLII.* Item in Vatic. 1629, qui Poggii quondam fuit: *Plautus ex umbria sarsinas Rome moritur Annis mundi $\overline{V}$ 1°. olimp. CXLV. ante adventum xpi. CC. Annis moritur. et ante mortem terentii similiter moritur annis XIII.* Horum initium in fine prioris codicis hac praemissa inscriptione *Ex Eusebio hieronymo temporibus exceptum* sic repetitur: *Plautus ex Vmbria Arsinas. Romae moritur anno ab urbe condita milesimo:* quibus subiecta sunt, quae e Gellii (III, 3) fonte Hieronymus hauserat: *Is propter difficultatem annonae* (quam non debebat Lessingius frugum caritatem interpretari) *ad mollas manuarias pistorem se locaverat. Ibi quotiens ab opere vacasset, scribere fabulas et vendere solicitus consueverat* (sic) *). Redeunt haec in multis libris Plautinis ut Vat. 3303. 2831. 3871. Vrb. 362. Marc. XII, 30. 162. Pal. 1617. al.; in aliis alia exstant excerpta ex *Agellio* vel *Agelio* h. e. Volcatii Sedigiti versus illi a Gellio XV, 24 servati,

*) Ex Hieronymi quoque ipsius codicibus a Pontaco scripturae discrepantia haec affertur: *vendere solitus, vendere solicitus, vendere consueverat, vendere solicitus consueverat:* quae, quomodo serpserit interpolatio, aperte monstrant. Pro *pistorem*, quod est apud Scaligerum, Pontaci libri, si fides silentio, omnes habent *pistori.*

Digitized by Google

sed qui tantum non semper Publio Nigidio tribuantur (velut sic in Vat. 3304: *ex Agelio . . . Publius Nigidius . . . libro quem de poetis scripsit* e. q. s. et similiter in Vat. 2831. 1629. Alexandr. 1680. Pal. 1616. 1617 (*nigroy*). 1618. al., semel *Vulcano Sedicio* in Angel. T. 6. 11 et *Segidicus* in Pal. 1614): quode cf. Osann. Anal. crit. p. 4: ut haec ipsa nomina aliquando reperta esse in Gellianis libris videantur. Praeterea e Macrobii Saturn. II, 1 in quosdam codices talia transierunt, qualia habes in Vat. 2831. Pal. 1617: *In libro de vita et moribus philosophorum sic loquitur: Plautus poeta comicus Tulii discipulus Romae claruit. hic propter annonae difficultatem* e. q. s., cuius commenti origo repetenda e Macrobianis codicis Vrb. 362: *etiam primo ad animadverto duos quos eloquentissimos antiqua aetas protulit Comicum Plautum et Oratorem Tulium eos ambos: etiam ad Iocorum venustatem caeteris praestitisse.* Vnde in Vat. 2831. Pal. 1617 Hieronymi de molis manuariis narrationem haec excipiunt: *fuit autem eloquentissimus.* Servii, Ciceronis (Off. I, 29) Quintilianique de Plauto testimonia composuit Pal. 1614, et hac praemissa inscriptione *De vita comoediisque Plauti excerpta quaedam ex auctoribus gravissimis* Med. XXXVI, 37. Gellium I, 7. VII, 17. XIX, 8 sequuntur, qui *linguae latinae patrem* dixere: ex eiusdemque lib. I, 24 epigramma Plautinum repetiit cum aliis Marcianus XII, 162.

II.

Ad §. 1.

Quattuor tantum sunt e triginta circiter Bruti codicibus Lagomarsinianis, in quibus veri numeri transierint in *quadringentesimo decimo*, quod vitium inde ab Aldo etiam editiones quasdam invasit. Ortum illud

Digitized by Google

facile quispiam coniiciat ex eius correctura, qui eundem numerum in Tusculanarum initio sibi lectum meminisset. Nam ibi quoque Lagomarsinianorum codicum, quorum multitudo a tricenario numero prope abest, sex quidem exhibent *CCCCX* (sive hi numeri litteris sunt perscripti), alii tres *CCCX*, quinque *CCCCXVIII*: nullus *CCCCCXIIII*: in aliquot autem corrigendi studio evenit ut vel *CCCCX* et *CCCCCX*, vel *CCCCCX* et *CCCCXVIII* simul appareant. Similiter Vrsiniani codicis additamentum *Centhone*, quod in tot Lagomarsinianis non magis quam *docuit* illud repertum est, videtur in Ciceronis verba e Gellii sive comparatione sive recordatione irrepsisse, cuius haec sunt lib. XVII, 21, extr.: *consulibus Claudio Centone Appii Caeci filio . . . . primus omnium L. Livius poeta fabulas docere Romae cepit:* indidemque illud repeto, quod in uno Lagomarsiniano (120) pro *C. Claudio* scriptum est *Appio Claudio*. Absque quo esset, potuerant ista etiam e Catone mai. Ciceronis peti c. 14. §. 50: *qui cum — fabulam docuisset Centone Tuditanoque consulibus*. Talia ut in margine ascriberentur, saepe accidit, et accidit simile quiddam in ipso Bruto, cuius §. 73 Lagomarsinianus 20 haec adiecta tenet: *Livius salinator et Nero cos. Asdrubalem apud Senegaliam cum toto exercitu deleverunt.* — Ceterum quoniam in hoc genere versor, lubet illud adiicere, *ludos* illos *Iuventatis, quos Salinator Senensi proelio voverat*, non videri soli Victorii coniecturae deberi: quando in iisdem illis copiis Lagomarsinianis e sex codicibus affertur *Luentatis*, e quattuor *Luctatiis*, e tribus *tuentalis*, e singulis autem *Luentanis, Livianis, Iuentatis, Iuventutis*: ut in reliquis circiter XII putandum sit ipsum extare *Iuventatis*.

Digitized by Google

III.

Ad §. 6.

Hac demum calculorum congruentia efficitur, ut de integritate eorum numerorum, quos definiendae Naevii aetati Gellius paullo ante adhibuit, non videatur dubitari posse. Alioqui enim annus ille *quingentesimus undevicesimus* vix possit non suspectus esse. Etenim scriptor cum anno DXVIIII Sp. Carvilii divortium cum uxore factum tribuat, *eodemque anno* fabulas a Naevio datas scribat: idem autem divortium illud lib. IV, 3 perhibeat a. DXXIII factum: quoniam in alterutra re eum errasse oportet, ne hoc quidem satis certum cuipiam videatur, utrum *eodem anno quingentesimo undevicesimo* an *eodem, quo Carvilii divortium factum,* voluerit ille datas a Naevio fabulas dicere. Fatendum est tamen ita Gellium suos illos excellentium hominum (ut ipse ait) *συγχρονισμοὺς* composuisse, ut ex certorum annorum definitione earum quas prodidit rerum ordinem necteret, non ex ipsarum rerum inter se comparatione: fatendum praeterea tam suapte natura disparem esse primi (ut veteribus visum) inter Romanos divortii et actarum fabularum memoriam, ut aegre, quid inter utramque vel intercesserit vel possit intercedere necessitudinis, exputes. Sed nihilo tamen minus de numerorum apud Gell. lib. XVII corruptela facile quispiam suspicetur et *XXIII* pro *XVIIII* a Gellio profectum colligat ex eiusdem rei mentione lib. IV facta: quo sibi ipse ne repugnet scriptor. Non ignoramus vel in hos numeros gravissimam quandam dubitationem cadere, quoniam qui ei anno lib. IV simul adiecti consules sunt, M. Atilius et P. Valerius, non illuc pertinent sed ad a. DXXVII Varr. Et harum quidem duarum rerum nec potest sane non falsa esse alterutra,

Digitized by Google

nec credibile est in tali genere Gellium ipsum lapsum esse. Quaerenti autem, utrum ille posuisse videatur, non licebit satis tuto hoc argumento uti, quod a. 526 Cap. censores nulli fuerint: quorum in illa caussa certas partes fuisse cum Gellio Dionysius Ant. Rom. II, 25 tradidit. Hae enim partes quales fuerint, perobscurum est; ut, si Pighii Annal. vol. II, p. 95, Reiskii in Dionys. I, p. 620 eorumque iureconsultorum, quos Reinius Iur. priv. Rom. p. 208 commemorat, praeterea etiam Fritzschii (Ind. lect. Rostoch. aest. 1835 p. 6 sq.) sententias sequamur, non sit levis, si vero Savignyi ipsiusque Reinii, nulla omnino vis istius argumenti. Sed tamen defendi numerorum notae, quae sunt DXXIII, ita queant, ut consulum potius nomina ex infelici interpolatione oriunda putentur. Ei enim coniecturae Dionysii testimonium favet, qui longe aliis consulibus divortium Carvilianum accidisse prodit, M. Pomponio et C. Papirio h. e. ipso illo anno 523 Varr., et ita quidem prodit, ut in ea nomina adiecta ab scriptore temporum notatio plane quadret: factum enim olymp. CXXXVII ait. Nec ullo modo vel Valerius Maximus II, 1, 4 vel Plutarchus Comp. Thes. et Rom. c. 6 et Comp. Lyc. et Num. c. 3 repugnant, quorum ille per DXX, hic autem per DXXX annos (nam διακοσίοις peccatum esse pro πενταχοσίοις prorsus credibile est) repudium inter uxorem et virum nullum intercessisse narrat: nam illud quidem apud Dionysium quoque certae olympiadis notationi accedit, nec maiorem vim habet, quam quod initio cap. 3 lib. IV etiam Gellius de *quingentis* tantum annis loquitur: Plutarchus autem numero infinito uti satis habuit. Itaque ut redeam unde exorsus sum: lubenter hanc amplecterer sententiam atque e Gellii lib. IV annum quingentesimum tertium et vigesimum restituendum existimarem libro XVII, nisi *undevigesimum*

Digitized by Google

ab ipso scriptore profectum esse illud monstraret, quod *fere quindecim post* annis sumptum esse Punicum bellum dicitur. Non constitit sibi igitur, ac diversa diversis in locis Noctium suarum memoriae prodidit. Sed uno eodemque loco secum pugnantia eum narrasse, id vero fidem superat. Vt aut consulum nomina lib. IV subditicia sint eaque ratione cum Dionysiano Gellianum (vel fortasse Sulpicianum potius) testimonium concilietur: aut, quod multo sane lenius, in *DXXVII* (quod ipsum ex uno nec tamen memorabili libro affertur) numerorum notae *DXXIII* mutandae sint, atque ita non duplex oriatur, sed triplex genus definiendi eius temporis, quo uxorem Carvilius repudiarit. Vltra progredi opinando non licet. — Satis ex his quae exposui apparere puto, quid vel de iis sentiam quae in Gronovianis commentariis p. 799 congesta sunt, vel de Klussmanni disputatione p. 13 sq.

Digitized by Google

DISSERTATIO III.

DIE

FABVLAE VARRONIANAE

DES

PLAVTVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

DIE FABVLAE VARRONIANAE DES PLAVTVS *).

Ein und zwanzig Stücke, erzählen uns alle Litterarhistoriker nach Gellius III, 3, schied Varro aus der grossen Masse sogenannter Plautinischer Komödien als ächt aus; — ein und zwanzig hatten sich in die Jahrhunderte des Mittelalters und mit einem zufälligen Verlust bis auf unsere Zeit erhalten **); — was war natürlicher, als dass man eben diese erhaltenen 21 für die 21 Varronischen nahm? Das schien so einleuchtend, dass meines Wissens nie der leiseste Zweifel erhoben worden ist, bis Grauert zuerst in der Allg. Schulzeitung 1828. S. 1166, dann in den histor. und philol. Analekten S. 130 bedenklich zu machen anfing und hervorhob, wie doch das allgemein Behauptete von

*) Geschrieben 1843 und 44.

**) Das letzte Stück in der alfabetischen Reihenfolge, die Vidularia, stand nicht allein noch im Mailänder Palimpsest (wenn auch zufällig nicht *ad calcem*, wie Osann S. 155 meinte), sondern lag selbst dem Priscian noch vor, der ausser diesen 21 keines weiter selbst gekannt hat. Untergegangen ist also die Vidularia wohl zwischen dem 6. und 11. Jahrhundert; der aus diesem stammende Vetus codex des Camerarius hat bekanntlich am Schluss des Truculentus noch die Subscription INCIPIT VIDVLARIA, worauf noch einmal VIDVLARIA als Ueberschrift folgt. — Nur als Curiosum mag erwähnt werden, dass man ehedem unter dem Titel Vidularia den Rudens suchte, wegen des hier öfter vorkommenden *vidulus*. Gestattet wäre allerdings an sich diese Benennung nach aller Analogie gerade eben so gut gewesen, wie der wirklich gewählte Name.

Digitized by Google

niemand eigentlich bewiesen sei. Ein mathematischer Beweis dafür ist nun freilich nicht zu führen, aber auch vernünftiger Weise nicht zu fordern. Denn ganz klärlich steht doch die Sache vielmehr so, dass ein so merkwürdiges Zusammentreffen von vorn herein eben nicht für Zufall zu nehmen, sondern dass nach den gültigsten anderweitigen Analogien die Erhaltung der jetzigen Stücke, wie überhaupt als Wirkung einer bestimmten kritischen Autorität, so näher als die Folge der Varronischen Auswahl aufzufassen sein wird, so lange nicht gewichtige Gegengründe diese Annahme unmöglich oder entschieden unwahrscheinlich machen. In dieser Beziehung hat nun Grauert selbst sich auf geringe Andeutungen beschränkt. Er wundert sich, dass Varro die Commorientes, die doch Terenz als Plautinisch kannte, dass er ferner den Colax, nebst andern „durch bedeutende Autoritäten" dem Plautus zugesprochenen Komödien, nicht sollte für ächt gehalten haben. Anderseits würde er an sich nicht abgeneigt sein, die Aulularia um eines einzigen Citats willen, in dem *Naevius in Aulularia* *) vorzukommen schien, als Plautinisch zu bezweifeln, wenn er nicht eben diesen Schein als trügerisch selbst erkannt hätte. Ueber jene andern Beispiele aber hatte Osann Anal. crit. S. 156 sich mit der Annahme beruhigt, dass ohne Zweifel unter den von Varro verworfenen Komödien einige nichts desto weniger ächt gewesen seien: eine Möglichkeit, die an sich allerdings eben so wenig zu bestreiten ist, wie dass unter den für ächt erklärten (noch vorhandenen) trotz des Urtheils des Varro nicht-

*) Ein Curiosum anderer Art ist die Ueberschrift „*Caecilii Aulularia*" in dem römischen Codex, von dem s. Alexandr. Bibl. S. 2. Etwas Tieferes ist darunter sicherlich nicht versteckt.

Digitized by Google

plautinische sich befinden können. Nur mit sich selbst dürfte aber doch Varro nicht im Widerspruch erscheinen. Gleichwohl gestattet diess Osann so arglos, dass man schwer begreift, was es denn nun eigentlich für eine Bewandtniss mit den Varronischen und den erhaltenen Stücken haben soll. Denn geradezu aufgegeben wird doch die vorher behauptete Identität beider durch die Aeusserung: *Ipsum Varronis quoque iudicium de Plautinis in duas partes saepe cessisse (?) videtur, quum is a Gell. 3, 3 tradatur Saturionem et Addictum fabulas, quas poeta in pistrino scripsisset, pro genuinis habuisse, quanquam eae a genuinarum fabularum indice Varronis seclusae sint.* Wozu dann in demselben Sinne noch die Boeotia hinzugefügt wird, die doch mit den ein und zwanzig gar nichts zu schaffen hat. Was aber hier vor Allem genau zu erörtern war, das ist die Frage, wiefern in desselben Varro Büchern de lingua latina die Citate Plautinischer Komödien für oder gegen die Annahme jener Identität sprechen: eine Frage, die um so weniger überflüssig, je mehr die erste Betrachtung dieser Citatenfülle Grauertsche Zweifel zu begünstigen scheint. Denn mit so ganz allgemeinen Möglichkeiten, wie sie Osann S. 158 f. aufstellt, kann man wohl aufhören wenn es sein muss, man darf aber nicht damit anfangen.

Von unsern heutigen Stücken sind es zunächst elf, auf welche Citate, die Varro ausdrücklich mit dem Namen des Plautus gibt, zurückgehen, obwohl die Stücke nicht genannt sind: Amphitruo (6, § 6. 7, 50), Asinaria (6, 7), Aulularia (5, 14. 181), Cistellaria (5, 72. 7, 98. 99), Epidicus (5, 131), Menaechmi (7, 93, auch de re rust. II, 4), Miles (7, 86), Mostellaria (9, 54), Pseudolus (7, 81), Poenulus (5, 68), Truculentus (6, 11.

Digitized by Google

9, 106). Ein zwölftes wäre der Rudens aus de re rust. II, 1. Hierzu kömmt, dass es 7, 60 heisst: *itaque idem in Curculione ait*, welchen Worten zwar nicht der Name *Plautus*, wohl aber ein Citat aus dem Mercator vorhergeht: (denn das dazwischen geschobene aus Naevius ist offenbar späterer Zusatz:) so dass, wenn Varro ausdrücklich einen und denselben bestimmten Dichter gedacht wissen wollte, dieser von jedem als Plautus genommen werden musste. Also mit Curculio und Mercator vierzehn. Dagegen ist es falscher Schein, der verführen würde, in den Anführungen 7, 12. 91. 5, 146 Stellen aus Captivi, Rudens, Curculio zu finden; diese Verse sind aus verlorenen Stücken. Von solchen aber bezeichnet Varro in unzweideutiger Form als Plautinisch Astraba (6, 73) und Parasitus piger (7, 77); nach sehr wahrscheinlicher Combination Scaligers auch die Frivolaria (5, 89); vielleicht auch die Faeneratrix, obwohl das die Worte 7, 96: *alii Plauti Faeneratricem, alii Feneratricem (dicunt)* nicht entschieden nothwendig machen. Hierzu wiederum, als achtzehntes (oder neunzehntes), wegen eines *idem ait* unmittelbar nach Erwähnung der Astraba 7, 66, der Sitellitergus. Wenn nun Varro nach dem Bericht des Gellius ausserdem den Saturio, den Addictus und noch ein drittes Stück (welches auch unter den zuletzt genannten sich befinden könnte), vom Plautus *in pistrino* geschrieben sein liess, also doch für ächt hielt: so hätten wir gerade 21 Stücke, worin man sich leicht versucht fühlen könnte, die Varronische Auswahl wiederzufinden. Und dennoch wird auf diese dem ersten Scheine nach so artig zutreffende Uebereinstimmung nichts zu geben sein. Hätte sie sich uns wenigstens aus dem vollständigen Werke von 24 Büchern ergeben; aber wie mühsam hat sie müssen aus vereinzelten

Digitized by Google

Stellen unserer 6 Bücher zusammengesucht werden! Und in diesem zufällig erhaltenen Mittelstück des Ganzen sollte jenes Resultat so rund und vollständig enthalten sein, dass es durch sämmtliche übrige 18 Bücher keine Modification erleiden würde? Das wäre ein so seltsames Spiel des Zufalls, dass wir das Prädicat des Zufälligen unstreitig lieber auf jenes Zusammentreffen selbst übertragen werden: und diess um so mehr, als es doch an sich gar wenig Wahrscheinlichkeit hat, dass Stücke wie Trinummus, Captivi, Casina, Bacchides (in welchem sogar der von Varro als Plautinisch citirte Epidicus erwähnt wird) sollten bezweifelter gewesen sein als etwa Mercator, Poenulus, Persa. Noch mehr: schon dadurch fällt ja die ganze Rechnung über den Haufen, dass Saturio und Addictus aus anderweitigem Bericht entnommen worden sind, in den Büchern de l. l. aber eben nicht vorkommen. Für diese ist ausserdem noch eine andere Betrachtung zu eröffnen, die das Trügerische jenes Scheines noch deutlicher herausstellt. Ausser den vereinzelten Anführungen aus Plautus finden sich, und zwar im siebenten Buche, welches sich mit glossematischen Erklärungen beschäftigt, drei längere Folgen gehäufter Citate, die mit *Apud Plautum* beginnen und dann eine Reihe Plautinischer Stücke ohne Namen des Dichters folgen lassen, so dass nur ganz wenige anderweitige Dichterstellen die gleichmässige Aufführung unterbrechen. Die erste dieser Reihen ist §. 50—70 mit folgenden Stükken: *Apud Plautum* (d. i. Amphitr.), [*Naevius*], *In Cornicularia*, [*Apud Naevium*], *In Menaechmis*, *In Persa*, *In Menaechmis*, *In Trinummo*, *In Frivolaria*, [*Pacuvius*,] *In Mercatore*, *Itaque idem in Curculione ait*, *In Phagone*, *In Parasito pigro*, *In Fugitivis*, *In Cistellaria*, *Ibidem*, *In Astraba*, *Itidem in Sitellitergo*

Digitized by Google

idem ait, In Cesistione, In Nervolaria, In Poenulo, In Truculento. Die zweite und dritte sind kürzer: §. 77—79 *Apud Plautum in Parasito pigro, In Condalio, In Trinummo, In Asinaria;* und §. 98—106 *Apud Plautum* (d. i. Cistell.), *Apud eundem,* [*Apud Ennium, Apud Ennium, Apud Pacuvium*], *In Aululari*a, und nach der Unterbrechung §. 103. 104 *In Colace, In Casina:* worauf in ähnlicher Weise ausschliesslich Naevianische Stellen folgen: vgl. Müller. Man sieht wohl, besonders aus der ersten Reihe, Varro hatte eigentlich eine fortlaufende Aufzählung lauter Plautinischer Stücke vor, schob aber, entweder sogleich, oder später, Einiges aus andern Dichtern dazwischen, was sich ihm gerade darbot und nun zu einem wohlzusammenhängenden Ganzen nicht verarbeitet wurde: wie denn noch störendere Zusätze dieser Art §. 54 und 60 schon angemerkt worden sind. Man wird also ein Recht haben, das vorangeschickte *Apud Plautum* auch auf die nachfolgenden Komödientitel zu beziehen, und diess um so mehr, als ja unter ihnen mehrere sind, aus denen Varro anderwärts mit ausdrücklicher, aber alleiniger Nennung des Plautus Stellen vorbringt: wie Menaechmi, Frivolaria, Parasitus, Astraba, Poenulus, Truculentus, Aulularia, und sogar mit einem und demselben Verse Asinaria. Nehmen wir diese für ächt nach Varronischem Urtheil, so scheinen denselben Anspruch die im 7. Buch mit ihnen so eng verknüpften zu haben. Damit gewännen wir noch drei der erhaltenen und noch sechs der verlorenen Stücke; und so wären freilich die erhaltenen bis auf 5 untergebracht, anderseits aber auch statt 21 Varronischer deren etwa 30 herausgekommen. Oder aber: wenn hier Varro, was ihm für ächt und nicht für ächt galt, ohne Scheidung durcheinander setzte, so wird auch daraus, dass

Digitized by Google

er anderwärts Verse des „*Plautus*“ aus Amphitruo, Asinaria, Aulularia u. s. w. anführt, kein stringenter Beweis für deren Aechtheit im Sinne des Varro zu entnehmen sein. Und so würden wir allerdings von allen Seiten zu der Ueberzeugung gelangen, dass es dem Varro in diesen Büchern auf eine solche kritische Unterscheidung überhaupt gar nicht ankam*); für alt hielt er diese Komödien alle, wenn auch nicht alle für wirklich Plautinisch: und das genügte, um aus ihnen Belegstellen oder Glossen zu entnehmen, indem er bald nur den Namen des Stückes, bald nur den des Dichters setzte, unter dessen Namen man sich einmal gewöhnt hatte die ganze Masse gehen zu lassen; wie weitläufig hätte er auch werden müssen, um bei jedem dieser dichtgedrängten Citate das Resultat seiner litterarhistorischen Untersuchung in die Anführung selbst zu legen! Dass er diese Untersuchungen etwa damals, als er de lingua latina schrieb, noch nicht gemacht habe, ist, wie Osann S. 159 mit Recht sagt, mit nichts zu beweisen. Im Gegentheil, die Abfassung des Sprachwerks fällt, wie wir wissen, in die spätern Zeiten seines Lebens; und an sich ist es doch wohl wahrscheinlicher, dass er von speciellern Forschungen zu umfangsreichern Darstellungen fortschritt, und mit der Kritik der Quellen sich eine feste Grundlage für diese grössern Arbeiten zu schaffen suchte, als dass er in un-

*) Es gibt zwar noch einen Gesichtspunkt, unter dem sich dieses rein negative Resultat einigermassen zu modificiren scheint: ein Gesichtspunkt, der auf der Unterscheidung der verschiedenen Bücher des Varronischen Sprachwerks beruht; indess wird es jedenfalls der Unparteilichkeit unserer Untersuchungen günstiger sein, ihn hier noch nicht einwirken zu lassen, sondern auf einen spätern Zusammenhang zu versparen, und diess um so mehr, als sonst Resultate vorweggenommen werden müssten, deren ohne Verwirrung hier noch nicht gedacht werden kann.

Digitized by Google

kehrter Ordnung verfuhr. Nur einer förmlichen kritischen Textesrecension der Plautinischen Komödien, die Osann S. 158 auf die unhaltbarsten Gründe hin den Varro unternehmen lässt, soll hiermit nicht das Wort geredet werden.

So weit stände also der Präsumtion, dass unsere erhaltenen die Varronischen Komödien sind, von Seiten der Bücher de l. lat. nichts im Wege. Dennoch werden wir diese nicht völlig umsonst so scharf darauf angesehen haben, ob etwa ein indirectes Urtheil über Aechtheit in der Anführungsweise Plautinischer Stellen liege. Zwei Citate, aber auch nur zwei, sind nämlich von der Art, dass wir diess zu behaupten nicht wohl umhin können: die beiden einzigen, in denen Dichter und Komödie namentlich angeführt werden, 6, 73 *in Astraba Plauti*, und 7, 77 *Apud Plautum in Parasito pigro*. Dass diese Stücke nicht etwa zu denen gehören, welche Varro ausser den 21 aus rein subjectiven Gründen dem Plautus zuzusprechen wagte, zeigt die sehr verschiedene Art, in der er ein solches (das einzige, welches uns in dieser Beziehung bestimmt genannt wird) anderwärts erwähnt: 5, 89 *Accensum solitum ciere Boeotia ostendit, quam comoediam Atilii esse dicunt* (oder welcher Dichtername hier gestanden haben mag.) Hätte er aber überhaupt gar nichts beabsichtigt, warum drückte er sich nicht aus wie 5, 153 *Itaque dictum in Cornicularia* — ? Denn was Müller zu 7, 54 sagt: *Varro utrumque et poetae et fabulae nomen coniungere non solet, nisi ubi ea plerisque ignota erat*, hält nicht Stich, da sich doch gewiss nicht behaupten lässt, dass Stücke wie Fugitivi, und die im Varronischen Texte Phagon und Cesistio genannten, (um auf Condalium aus 7, 77 kein Gewicht zu legen) bekannter oder als Plautinisch be-

Digitized by Google

kannter gewesen als namentlich die Astraba: und doch haben sie den Namen des Dichters nicht bei sich.

Also alle 21 Stücke, wie wir sie mit Ausnahme der Vidularia jetzt haben, wären doch nicht zu retten, sondern wenigstens einige gegen verlorene aufzugeben? zumal da doch auch hier wieder Saturio und Addictus ihr Recht geltend zu machen hätten? — Ja freilich, wenn das überhaupt bei Gellius stände, was man ihn erzählen lässt, und wenn in seinen Worten Alles stände, was wahr sein muss. Hier gerade ist einmal ein Fall, wo noch etwas zwischen den Zeilen zu lesen ist, nur etwas Anderes, als z. B. Bähr und Bernhardy gelesen haben, von denen jener S. 96 sich mindestens ziemlich undeutlich so ausdrückt: *Die Zahl der wenn auch nicht immer ganz vollständig auf uns gekommenen Komödien des Plautus beläuft sich nach der Recension des Varro auf zwanzig*, dieser S. 190 den *Varro nach innern Merkmalen 21 Stücke (Varronianae) als ächt anerkennen lässt!*

Es wird zunächst nöthig sein, das Kapitel des Gellius mit schärferer Interpretation, als meist geschehen, auszulegen und zugleich auf die handschriftlichen Lesarten des Textes zurückzugehen. Nach diesen und einigen Verbesserungen lautet es bis auf den nicht hieher gehörigen Schlusssatz wie folgt.

„Verum esse comperior, quod quosdam bene litteratos homines dicere audivi, qui plerasque Plauti comoedias curiose atque contente lectitarint, non indicibus Aelii nec Sedigiti nec Claudii nec Aurelii nec

---

Z. 4. Die Handschriften (über welche s. oben S. 14) haben zwar hier einstimmig *sedigitii* (Cass. 1. Vind. Guelf. Sciopp.) oder *sedigicii* (*se digicii* Reg. Vat. Barb. Cass. 2.), aber in XV, 24 eben so einstimmig das, auch an sich allein richtige, *volcatius sedigitus*. *Sedigitus* steht ohne Variante auch bei Plinius N. H. XI, 43: sonst kömmt der Mann unter

Digitized by Google

Accii nec Manilii super his fabulis, quae dicuntur ambiguae, crediturum, sed ipsi Plauto moribusque ingenii atque linguae eius. Hac enim iudicii norma Varronem quoque usum videmus. Nam praeter illas unam et viginti, quae Varronianae vocantur: quas iccirco a ceteris segregavit, quoniam dubiosae non erant, sed consensu omnium Plauti esse censebantur: quasdam item alias probavit, adductus filo atque facetia sermonis Plauto congruentis, easque iam nominibus aliorum occupatas Plauto vindicavit, sicuti istam, quam nuperrime legebamus, cui est nomen Boeotia. Nam cum in illis una et viginti non sit et esse Aquilii dicatur, nihil tamen Varro dubitavit quin Plauti foret. Neque alius quisquam non infrequens Plauti lector dubitaverit, si vel hos solos ex ea fabula versus cognoverit, qui quo-

---

diesem Namen nicht weiter vor. 5. *accii* Barb. Vind. *actii* Vat. Cass. 1. Sciopp *attii* Guelf. *acii* Cass. 2. *supra* Vind. Guelf. *his* Reg. Vat. Barb. Cass. 2. Vind. Guelf. statt *iis*. 6. *crediturum* wird aus Reg. und Rott. angeführt, doch steht in jenem vielmehr *creditorum*, worin indess nichts anderes zu suchen. Dieser Singular erschien schon Gronoven so gewählt, dass er ihm zu Liebe das vorangehende *lectitarunt* (so Rott Vat., *lectitarant* Reg., *lectitaverant* Barb. Cass. Vind. Guelf. Linc.) in *lectitarit* geändert haben wollte. Der Indicativ ist allerdings logisch gar nicht zu rechtfertigen, so oft auch mit ihm die Stelle des Gellius wiederholt worden: (so wenig wie etwa XVII, 19, 1 *videntur* statt *viderentur*); aber da zugleich der Plural durch alle Varianten durchgeht, wird es gerathen sein, absichtliche Anwendung der Construction anzunehmen, von der Gellius selbst I, 7 ausführlich handelte, die aber begreiflicher Weise über den Horizont der Abschreiber hinaus lag. *monibusque* Vat. *ingeni* Reg. 7. *Hanc* Barb. 8. *usum* Reg. Vat. Barb. Cass. 1. 2. Vind. Guelf. statt *esse usum*. 10. *quod cum sensu* Reg. 12. *probabit* Reg. *filo* Reg. Vat. *philo* Rott. *stilo* Barb. Cass. 1. 2. Vind. 14. *isti* Reg. 15. *boetia* Reg. Vind. *boecia* Vat. Barb. Cass. 1. *Nam etsi cum in* Cass. 2. *in* om. Barb. Guelf. 16. *aquili* Reg. Barb. Vind. *tamen*] *tum* Guelf. *dum* Vind. 18. *si vel*] *sive* Reg. Vat. Barb. Vind. *sue* Cass. 1. 19. *ex ea fabula versus* Reg. statt *v. e. e. f.*

Digitized by Google

20 miam sunt, ut de illius more dicam, Plautinissimi, propterea et meminimus eos et adscripsimus. Parasitus ibi esuriens haec dicit:

Vt illúm di perdant, primus qui horas répperit,
Quique ádeo primus státuit hic solárium.
25 Qui míhi comminuit mísero articulatím diem.
Nam ólim me puero vénter erat solárium,
Multo ómnium istorum óptumum et veríssumum,
Vbiúbi monebat ésse, nisi quom níl erat.
Nunc étiam quom est, non éstur, nisi solí lubet.

20. *illius*] *ipsius* Sciopp. *illius plauti* Reg. Barb. Vind. Guelf. *plautissimi* Cass. 1. Vind. Guelf. Scheff. 23. *dii* Vat. Barb. Cass. 1. Vind *reperit* Vat. 24. *quicque ad eo* Vat. *quippeq· adeo* Cass. 1. 25. *cominuit* Reg. 26. *nam me puero* die Hdss. Osanns *puerulo* (Anal S. 183) brächte uns nicht das Knabenalter, sondern das des kleinen Knäbleins, natürlich unpassend. Nicht festgehalten hat der Sprachgebrauch diesen Begriff der infantia in der syncopirten Form *puellus* (so wenig wie in *puella*), wie Beispiele bei Nonius S. 158 lehren; nur hat es wohl weniger Wahrscheinlichkeit, dass *puello* in *puero* übergegangen, als dass ein Wort ausgefallen sei, wie so häufig bei Gellius, z. B. in dem Gedicht XIX, 11 (woselbst auch V. 2 *puellus* vom *amasius*) V. 5 das Wort *amore* nach Macrob. Sat. II, 2. — Auch *nam me etiam puero* wäre möglich. *venter hic erat* Salmasius Plin. Exerc. S. 458 (ed. 1689.) *veter erat* Vat. *veteterat* Reg. *vetus erat* Rott. Scheff. Barb. Cass. 1. 2. Vind. Die abgeschmackte Vulgate *uterus* (*hic*) *erat*, worin *uterus* von Osann schlecht entschuldigt wird mit Stich. I, 3, 9, stammt von Lipsius. 27. *optumum*] *optumum omnium* Vat. 28. *ubi iste monebat esse* Reg. Vat. Barb. Cass. 1. 2. Vind. und offenbar auch die übrigen Hdss. Soll *Vbi iste* der Anfang eines neuen Satzes sein, so muss in *esse* das verbum finitum stecken: da doch an infin. histor. mit Gronov (= edebant) und Bothe (= edebam) hoffentlich niemand im Ernst denken wird. Aber welches? doch nicht das von Gataker Adv. misc. S. 383 empfohlene *esum est*? oder Osanns aus dem folgenden V. heraufgenommenes *estur*? Also wird vielmehr der V. in Construction mit dem vorigen stehen und *esse* von *monebat* abhängen: dann aber ist unerlässlich, der Sprache wegen *iste* zu streichen und des Metrums (ja selbst des Gedankens) wegen *ubi* mit alten Ausgg. zu verdoppeln. *nichil* Vat. *nikil* die übrigen. 29. *quom est* für das *quod est* der Bücher stellte schon Bothe (Plaut. frgm.) her, wie er auch *oppletum oppidum est* statt *oppletum est oppidum* richtig umstellte. *non estur* für das handschriftliche *non est* (= *est*˜) schon

Digitized by Google

Itaque ádeo iam oppletum óppidumst soláriis,
Maiór pars populi ut áridi reptént fame.

Favòrinus quoque noster, cum Nervolariam Plauti legerem, quae inter incertas habita est, et audisset ex ea comoedia versum hunc:

Scrattaé, scrupipedae, strittivillae, sórdidae,

alte Ausgg. *oppletum*] *opulentum* Cass. 1. *solarii* Barb. m. pr. 31. *populi aridi reptant* die Hdss. mit Hiatus, zu dessen Wegschaffung Bothes Umstellung *popli pars* ein schlechtes Mittel ist, ein immer noch besseres *reptant aridi* oder etwa *marcidi reptant* wäre. Allein auch die Verbindungslosigkeit zwischen diesem Verse und dem vorhergegangenen *itaque adeo* ist unerträglich hart und durchaus unplautinisch; sollten sie aber überhaupt nicht in grammatischer Verbindung stehen, so musste es ja *ita*, nicht *itaque* heissen. Auf *reptent* weist vielleicht das *reptant* des Vind. hin. 32. *neruulariam* Reg. Vat. Barb. *neruilariam* Cass 1 *neruulariam* Vind. Statt der Nervolaria nennen, wie es scheint, für den citirten Vers Varro VII, 65 und Nonius S. 169 die Cistellaria und die Aulularia: worüber s. Excurs 1. 33. *habita est* Vat. Reg. für *est habita*. 35. Auf die hier gesetzten Formen weisen die Varianten bei Gellius, Varro, Nonius (mit Ausnahme natürlich des *tantulae* bei Varro) mit so viel Uebereinstimmung im Ganzen hin, dass man sich mehr über diese als über die kleinen Abweichungen im Einzelnen, noch mehr aber über Müllers Urtheil wundern muss: *Varronem puto similem quidem meretricum descriptionem, atque illam in Nervolaria, ante oculos habuisse, neque eandem tamen*: was auch sonst ein wohlfeiler Behelf ist, obgleich Müllern noch in einem andern Falle (z. Fest. S. 53) zusagend. *scrupipedae* hat Müller gut gefunden: statt des nichtigen *scratiae* aber und *strittabillae* hätte er getrost *scrattae* und *strittivillae* setzen sollen; das *p* der Form *scraptae* wird bei Nonius, wie bei Festus S. 333 durch die nachfolgenden Belegstellen selbst widerlegt (*escratae* und *scrattiae*.) *strittivillae* muss es heissen nach Varros Ableitung von *strittare* = *aegre sistere*, nämlich *villos*: nicht nach Döderlein Synon. VI, 351 *strictos villos habere*, der hier wie S. 324 f. bei *scranciae* und *scruppidae* theils den schlechtesten Lesarten folgte theils sonst das Wahre oder Wahrscheinliche verfehlte. Ganz zu beseitigen sind Gronovs Einfälle zu Pl. Casin. 2, 5, 39; wenig fördern Turnebus Advers. XXIII, 18, Vossius Etymol. S. 529 (Op. I.), Neukirch fab. tog. S. 124 f. Ich begnüge mich nur die Varianten meiner Hdss. des Gellius herzusetzen: *scratte scrupede stritiville sordide* Reg. *sacrate scrupede stritiville sordide* Vat. *stracte strupae destrati uilbe sordide* Barb. *stracte strupe destrate iulbe sordide* Cass. 1.

Digitized by Google

delectatus faceta verborum antiquitate meretricum vitia atque deformitates significantium, vel unus hercle, inquit, hic versus Plauti esse hanc fabulam satis potest fidei fecisse. Nos quoque ipsi nuperrime cum legeremus Fretum (nomen id est comoediae, quam Plauti esse quidam non putant), haud quicquam dubitavimus quin ea Plauti foret et omnium quidem maxime genuina. Ex qua duos hos versus exscripsimus, ut historiam quaereremus oraculi arietini:

nunc illud est,
Quód arietinúm responsum mágnis ludis dícitur:
Perího, si non fécero, si fáxo, vapulábo.

Marcus tamen Varro in libro de comoediis Plautinis primo Accii verba haec ponit: Nam nec Gemini leno-

---

state strupe destrati uilbe sordide Vind. Mit Reg. stimmt ganz Rott., mit Barb. Cass. Vind. fast ganz ein Gronovscher Codex. 36. *delectatis* Cass, 1. *facetia* Vat. Barb. Cass. 1. Vind. 37. *deformitates* Vind 39. *ipse Reg.* *nomen fretum* Cass. 1. 41. *quin ea* statt *quin* oder *quin et* Reg. Rott Vat. Barb. Cass. Vind. Sciopp. 42. *quidem* Reg. Rott. Vat. Sciopp. om. Barb. Cass. Vind. *genuina* Reg. Rott. Vat. Cass. *gemina* Vind. *geminia* Barb. *germana* „alius" bei Gronov. 44. *arretini* Reg. Sciopp. 45. Die Worte *nunc illud est* als Theil des Citates sind mir sehr verdächtig, und Gellius will ja auch nur duos versus gehen. Was aber steckt darin? etwa *quod nunc illustre est* — ? In wiefern freilich der Spruch *perího si non fecero, si faxo vapulabo* zur Zeit des Gellius *illustre* war, weiss ich nicht zu sagen. Auch Bothe nahm an *nunc* Anstoss und schrieb (Fragm. S. 438) *hoc est illud*, zugleich den folgenden Vers zu einem iambischen Tetrameter umgestaltend, was schwerlich zu billigen. 46 *arretinum* Vat. *arretini* Reg. Sciopp. *arietini* Barb. und mit der Beischrift *l. arretini* Vind. *aretini* Cass. 1. *magnis ludis* Barb. *magis ludis* Vat. *ludis magis* Reg. *magis laudis* Cass. 1. *magis laudis* mit übergeschriebenem *ludis* Vind. 47. *faso* Cass. 1. *vapulo* Cass. 1. *upulabo* Barb. 48. *tamen* statt *autem* Reg. Vat. Barb. Cass. 1. Vind. Sciopp. *de comoediis Plautinis*] s. Excurs 2. 49. *accii* Reg. *actii* Vat. Sciopp. *actu* Barb. Cass. 1. Vind. Ueber die Worte des Attius s. Diss. I, wonach *eius* und *fuit* bei Gellius hinzugefügt worden. Wer an Hermanns schöne Entdeckung, dass es Verse sind, keinen rechten Glauben fassen kann, der versuche nur vor Allem sich und An-

Digitized by Google

nes nec Condalium nec Anus Plauti, nec Bis compressa nec Boeotia [eius] unquam fuit, neque adeo Agroecus neque Commorientes [fuit] Macci Titi. In eodem libro M. Varronis id quoque scriptum est, et Plautium fuisse quempiam comoediarum poetam, cuius quoniam fabulae Plauti inscriptae forent, acceptas esse quasi Plautinas, cum essent non a Plauto Plautinae, sed a Plautio Plautianae. Feruntur autem sub Plauti nomine comoediae circiter centum atque triginta: sed homo eruditissimus L. Aelius quinque et viginti eius esse solas existimavit. Neque tamen dubium est, quin istae, quae scriptae a Plauto non videntur et nomini eius addicuntur, veterum poetarum fuerint et ab eo retractatae et expolitae sint,

dern die Frage zu beantworten, was doch das für eine Prosa sei, in der eine Wortstellung und Satzbildung wie diese erhört wäre: *nec Titus nec Sempronius Varronis, nec Caius nec Publius eius discipulus unquam fuit, nec adeo Titus nec Aulus fuit Terentii Marci.* — Die Meinung ist natürlich, dass Gellius selbst Prosa zu schreiben meinte, darum er auch *Attii verba*, nicht *versus* sagt. *gemini lenones* cod. Thysii. *geminei leones* Reg. Sciopp. *gemini leones* Barb. Cass. 1. *gemini nec leones* Vind. vulg. 51. *boeocia* Vat. *boecia* Reg. *boecius* Barb. Cass. 1. *boetius* Vind. *agroecus* Reg. Vat. *agraecus* Barb. Cass. 1. *grecus* Vind. 52. *commorientes M. Accii titi* Reg. Rott Sciopp. *commorientes M. actii* Vat. *commorientes sed M. accutici* Barb. Vind. *commorientes sed M. acutitii* Cass. 1. Aus dem ungenannten cod. Gronovii (vgl. z. Z. 35, 42) wird *M. Hatrutici* angeführt 53. *M. Varronis* statt *Varronis* Vat. Barb. Cass. (Reg.?) *est et*] *est* vlg. *et* Reg. Vat. Barb. Cass. Vind. Sciopp. *plautum* Vind. 54. *cuius* Vat. om. Reg. Rott. Barb. Cass. 1. Vind. Linc. Thöricht also J. Gronov's unförmlicher Aenderungsvorschlag. 56. *a plauton* Barb. *sed a Plaucio Plaucianae* hat Vind. nur am Rande von anderer Hand. *plaucianae* Vat. Barb. 59. *L. Aelius*] *laelius* Cass. 1. 2. *lelius* Reg. Vat. Barb. Vind. *eius esse solas* Reg. Vat. Sciopp. *esse eius solas* Barb. Cass. 1. Vind. *eius solas esse* Cass. 2. 60. *neque* Reg. Rott. Vat. Sciopp. *non* Barb. Cass. 1. Vind. *istae* Reg. *iste* Vat. Barb. Cass. 1. *ista* Vind. *quae*] *que* Reg. *et quae* Vat. Barb. Cass. 1. *et que* Vind. *scriptae* Vat. *scripte* Reg. Barb. Cass. 1. *scripta* Vind. *videntur*] *videntur sed a Plautio* Vind. 61. *adiciuntur* Cass. 1. *adiiciuntur* Vind. m. pr. 62. *retractate* Reg. Vind. *retractae* Vat. Barb. *retrapte* Cass. 1. *et* Vat. om. Reg. Barb. Cass. Vind. Scheff. Linc.

Digitized by Google

ac propterea resipiant stilum Plautinum. Sed enim Saturionem et Addictum et tertiam quandam, cuius nunc mihi nomen non suppetit, in pistrino eum scripsisse Varro et plerique alii memoriae tradiderunt, cum pecunia omni, quam in operis artificum scenicorum pepererat, in mercatibus perdita inops Romam redisset et ob quaerendum victum ad circumagendas molas, quae trusatiles appellantur, operam pistori locasset."

Nichtig also J. Gronov's und Lion's Einfälle. Eher noch *set ab eo* für *et ab eo.* *expolite* Reg. Vind. *sunt* Vind. *st* Cass. 1. 63. *recipiant* Barb. *despiciant* Cass. 1. *respiant* mit der Beischrift *l. ci* Vind. *dictum* (mit *l. stilum*) Vind. 64. *additum* Barb. Cass. 1. Vind. 65. *pristino* Barb. *pristino* Vind. 67. *artificium* Cass. 2. *peperat* Barb. Cass 1. 68. *mercatibus* statt *mercationibus* Reg. Rott. Vat. Barb. Cass. 1. 2. Vind. Linc. Sciopp. *perdita*] *per preditam* Vind. *inops*] *molis* Barb. Cass. 1. Vind.

Man sieht schon bei der ersten flüchtigen Durchsicht, dass dieser Bericht des Gellius sehr fragmentarisch ist; doch wird ihn uns die Erwägung dessen, was die Natur der Sache selbst mit sich bringt, einigermassen ergänzen. Um uns das ganze Geschäft des Varro nach Möglichkeit im Einzelnen zu vergegenwärtigen, ist ein Blick rückwärts zu werfen. Mit den Plautinischen Komödien war es ähnlich ergangen, wie in neuern Zeiten mit den dramatischen Stücken eines Shakespeare, Lope de Vega, Cervantes. Ganz auf das lebendige Interesse der Gegenwart gestellt, und im Dienste des nächsten Tagesbedürfnisses, schrieb der Dichter von Jahr zu Jahr, was ihm urkräftiger Schöpfungsdrang und reicher Humor eingab, sich begnügend mit dem Beifall der Zeitgenossen und dem Ehrensolde, den ihm seine Stücke eintrugen *); er schrieb sie für

*) Dafür vergl. ausser den Terenzischen Notizen noch Horaz Epist. II, 1, 175.

Digitized by Google

sich ganz zurückzöge und dem Theater verloren ginge *(ut ab eodem alias discerem novas* u. s. w.), und der es auch endlich durchgesetzt, jenen zu einem Lieb-ling des Volks zu machen *(poetam restitui in locum)*; er ist es, der jetzt die Hecyra wieder auf die Bühne bringt *(Hecyram ad vos refero,* V. 21). Kurz, er spricht so, dass man sieht, es hing wesentlich von ihm ab und stand vorzugsweise in seiner Macht, einem Stück zu wiederholter Aufführung zu verhelfen. Wenn uns die edle Gesinnung, mit der er verfuhr, die Uneigennützigkeit, die selbst Opfer nicht scheute, Hochachtung abnöthigt, und uns in Ambivius einen Mann erkennen lässt, der durch sein förderndes Eingreifen sich entschiedene Verdienste um die dramatischen Dichter und die dramatische Litteratur der damaligen Zeit erwarb: so liegt anderseits die Erklärung für eine solche Stellung nur in dem nachgewiesenen Eigenthumsrechte, welches er durch die im Voraus zu leistende Caution auf die alten Stücke erwarb. Die Festgeber aber liessen sich bei mislungenem Erfolg die Cautionssumme gewiss nicht aus Knauserei zahlen: denn welcher unbedeutende Betrag musste ein solches Dichterhonorar sein in Vergleich mit den übrigen Kosten des Festspiels! sondern um dadurch eine Bürgschaft für die Güte der aufzuführenden Stücke nicht minder als die Sorgfalt der Aufführung selbst, und somit für die Zufriedenheit des Publikums zu haben. — Mit der Hecyra namentlich, die besonders belehrend ist für uns, verhielt es sich so *). War sie auch das erstemal

*) Was etwa Benfey über die Aufführungen der Hecyra gesagt haben mag, weiss ich nicht, da ich diesen Theil des Stuttgarter Uebersetzungsinstituts nicht gesehen habe. Band I, S. 26 gehört nicht hieher.

Digitized by Google

nicht geradezu durchgefallen, sondern nur durch zufällige Störung nicht ausgespielt worden, und hatte demnach auch Ambivius die Schätzungsumme in diesem Falle nicht verloren, so hing doch eine Makel an dem Stücke, und es gehörte Uneigennützigkeit dazu, sich zum zweiten Male zur Cautionsleistung zu verstehen. Das Stück hatte abermals Unglück; zwar wiederum auf Anlass äusserer Störung (Prol. II, 30 ff.), aber doch eben zum Beweis, dass diese durch innere Güte der Dichtung nicht konnte überwunden werden. Vielleicht dass das Zweifelhafte der Umstände den Ambivius auch diesmal vor Verlust schützte. Die Hecyra hatte im Grunde auch jetzt noch nicht aufgehört, eine nova zu sein, da nur der erste Act war durchgespielt worden; dennoch stand es natürlich so misslich mit dem Stück, dass es der Dichter kaum noch einmal als nova anbringen und honorirt bekommen konnte, selbst für ein neues Fest und bei andern Festgebern; denn dem Ambivius war jetzt eine dritte Gewährleistung billiger Weise nicht mehr zuzumuthen. Auch bezeichnet er zwar die Hecyra II noch als nova (Prol. 29 *Vetere in nova coepi uti consuetudine, — refero denuo)*, sagt aber von Hecyra III nur ganz einfach *Hecyram ad vos refero* (Prol. 21). Er führte sie also jetzt auf seine eigene Hand auf. Ein durchgefallenes Stück wurde natürlich mit noch grösserem Rechte Eigenthum des Unternehmers, als ein mit Beifall aufgenommenes, nur dass es eben der Natur der Sache nach keinen Werth für ihn zu haben pflegte und in der Regel keinen Ersatz für die verlorene Cautionssumme gewähren konnte. Die Hecyra stand aber jetzt mit einem durchgefallenen Stück auf gleicher Linie; und was hätte auch der Dichter, wofern selbst rechtlich sie dem Ambivius nicht ganz entschieden zugefallen wäre, in seinem eigenen Inter-

Digitized by Google

esse Besseres thun können, als sie ihm freiwillig zu überlassen? Vom Ambivius bezeugt aber gerade diess einen grossartigen Sinn, dass er, statt Stücke zu wiederholen, deren Glück schon gemacht war, eine Ehre darein setzte, guter Dichter nicht anerkannte Werke zur Anerkennung zu bringen: natürlich auch diess nicht ohne dasselbe Risiko in seinem nunmehr unmittelbaren Verhältniss zum Festgeber, welches er sonst als Vermittler zwischen Festgeber und Dichter zu übernehmen hatte. Und diess ist es, was er im zweiten Prolog zur Hecyra von sich selber rühmt, und worauf die Worte *easdem* (Caecili) *agere coepi* zu beziehen sind. — Nach dieser Analogie wird man sich also auch den Pollio des Plautus zu denken haben. Die Verhältnisse einer spätern Zeit muss ich hier unberührt lassen Die Auffassung von Osann Anal. cr. S. 146 ist nach den obigen Darlegungen leicht zu beurtheilen: *fabula . . . quum populi plausu non exciperetur ideoque fortasse non peracta esset, poetae cum iussu, ut eam retractaret, ab aedilibus interdum reddita ac postea secundis curis perpolita demuo acta est, ut in Terentii Hecyra factum videtur.*

Digitized by Google

DISSERTATIO V.

DE

ACTAE TRINVMMI TEMPORE.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE ACTAE TRINVMMI TEMPORE. *)

Trinummum quo anno Plautus docuisset, primus quaerere F. Ritterus noster instituit in Diurnis scholasticis a. 1831 p. 268 sq. Proficiscebatur is ab eis versibus quibus agelli, qui solus relictus erat Lesbonico, laudes scilicet et virtutes studiosissime Stasimus servus extulit, II, 4, 141 sqq.:

Tum autem Syrorum, genus quod patientissumumst
Hominum, nemo extat qui ibi sex mensis vixerit:
Ita cuncti solstitiali morbo decidunt.

Quae illi visa sunt ad id tempus spectare, quo devicto Antiocho rege cum aliquanto plus quam antea commercii intercedere inter Italiam Syriamque coepisset, tum servorum multitudo Syrorum Romam advecta esset, quorum rarum antea per Italiae urbes usum fuisse. Non esse igitur Trinummum ante a. 562 V. C. actam (siquidem fastos Capitolinos ut facimus sequimur), sed e postremis fuisse fabulis poetae: quem a. 569 defunctum constat.

Contra Ritterum exortus est F. Windischmannus ea commentatione quam de didascaliis Plautinis

*) Edita a. MDCCCXXXIII.

Digitized by Google

scriptam edidit in Musei philologici Rhenani vol. I, p. 117. Is nihil se caussae videre ait, cur non ante illud tempus poeta potuerit eos servos commemorare, quos ne Ritterus quidem negarit iam tum cognitos fuisse Romanis: atque esse Syram servam in Mercatore. Praeterea posse Syrorum mentionem in Trinummum e Philemonis fabula transisse: pervulgarem enim esse Philemonis et Menandri aetate Syrorum usum, sat frequentia Σύρος, Σύρα nomina. Omittendos igitur in hac quaestione illos versus esse, et eis potius utendum qui insequuntur a Philtone sene pronuntiati:

Credo ego istuc, Stasime, ita esse: sed Campas genus
Multo Syrorum iam antidit patientiam:

ubi *patientiam* accusativum pro ablativo efflagitat latinitas. Recte enim haec ad atrocissimum illud de Campanis supplicium Ritterum rettulisse, quo praeter alia, quae huc minus pertinent, *multitudinem civium Campanorum venumdatam* Livius XXVI, 16 prodidit, anno quidem 542. Singularem vim esse *iam* particulae: nunc patientes laborum dici, qui antea omni luxuria fluerent. Non potuisse autem haec nisi uno vel paucis post Capuam expugnatam annis scribi: frigidum enim futurum fuisse viginti demum annis interpositis sic loqui de re paene oblitterata.

Tertius extitit Chr. Petersenus, de Trinummi temporibus satis mirabiliter disputans in Zimmermanni Diurnis antiq. stud. a. 1836, p. 612 sqq. Probat Petersenus Ritteri argumentationem, Windischmannum autem ita impugnat, ut eos tantum Campanorum esse venumdatos dicat, qui captae urbis tempore vel adulescentiam vel adeo pueritiam nondum egressi actae fabulae tempore etiamtum Romae vixerint: neque id ille coniicit tantum cum aliqua modestia, sed confidenter

Digitized by Google

ait et certum esse et necessarium. Deinde quod de morum corruptela maiorem sane in modum quam alibi poeta queritur Trin, I, 1. II, 2. 4, id non posse non ad ea tempora referri putat, quae extrema fuerint aetatis Plautinae. Praeterea non potuisse illa, quae de Arabia Ponti parte Plautus iocatur IV, 2, 89:

ST. Omnium primum in Pontum advecti ad Arabiam terram sumus.

CH. Eho,

An etiam Arabiast in Ponto? ST. Est: non illa, ubi tus gignitur,

Set ubi absinthium fit atque cunila galliuacea:

haec igitur non potuisse ante bellum Antiochinum intelligi argutatur, ut quo primum Asia Romanis patefacta accuratius terrarum illarum situs innotuerint. Denique longe etiam ulterius progreditur audaciae vel ut verius dicam temeritatis pravoque profecto acumine ea, quae prorsus sint incredibilia, comminiscitur e Trin. I, 2, 46 sqq.:

Nam nunc ego si te surripuisse suspicer
Iovi coronam de capite ex Capitolio,
Qui in columine astat summo: si id non feceris e. q. s.

Sic enim haec scribe partim ex Ambrosiano codice partim e Beckeri coniectura de com. Rom. fab. p. 40. His autem Calliclis verbis cum quaelibet inepta vel adeo insana criminatio significari visa esset, prorsus ut in simillimo Menaechmorum versu V, 5, 38:

At ego te sacram coronam surripuisse Iovis scio. *):

Petersenus quidem certae rei quae vere acciderit cogitationem subesse opinatus est. Quam esse coniecit *Capitolini furtum Petilli* illud, cuius in Horat.

*) Non *scio Iovis*, quod vulgatur. *scio* a scriptis libris omnibus abest.

Digitized by Google

Serm. I, 4, 94 (coll. I, 10, 25) mentio facta: id enim scholiastae prodidere rapta corona Iovis Capitolini contineri. At enim iidem accidisse illud Augusti aetate testantur, cuius amicitia factum, ut iudicio absolveretur Petillius. Id vero Petersenus commentum esse scholiastarum ait, eorundem quidem, quibus fidem de ipso furto habuit. Sed tamen hoc ut largiamur, quid inde consectarium ad definiendum tempus Trinummi? Nempe de iis esse Petilliis cogitandum suspicatur, qui cum tribuni plebis essent a. 566 M. Aemilio C. Flaminio Coss., magno Scipioni triumphum petenti quamvis vehementer adversati nihil tamen agerent, sed cum magno invidiae calumniaeque suae ludibrio omnium probris vexarentur Livio teste l. XXXVIII, c. 50 sqq. et Val. Max. III, 7, 1. Quid autem? istis igitur Petilliis furtine quicquam tribuitur? Non hercle a scriptoribus, verum hariolo nostro si credimus, rumore populi et aequalium dicteriis. Scilicet cum Iove Capitolino comparatum esse Scipionem, cum Iovis corona coronam triumphalem, illam autem furari velle dictos, qui hanc eripere Scipioni studerent. Haec sive recte seu pervorse dicta sunt, semet fatetur Petersenius credere. Sibimet igitur credat: neque enim verendum est ne tam mira somnia aliis umquam persuadeat. Aut enim hoc est hallucinari aut nihil. Et nobis ficticia videri olim significavimus Musei philol. a nobis Welckeroque editi vol. I, p. 33 (supra p. 256. cll. 233.) Neque C. Fr. Hermanno persuasit. Qui cum non eum videri Plautum fuisse monuerit in Ephem. litt. Hal. a. 1838 m. Ian. p. 136, qui optimatibus potissimum faveret horumque adversarios acerbe perstringeret: nos quidem certiore etiam argumento hoc utimur, quod, si vel maxime probabiles sint reliquae Peterseni coniecturae, tamen nullo modo idem haberi Livianus Horatianusque Petillius potuerit. Nam *Capitolinus*

Digitized by Google

nomen non uni alicui homini iocalariter inditum a furto in Capitolio facto, sed verum fuit cognomen gentis Petilliae: id quod nummi testantur ab Heindorfio et Orellio commemorati; Liviani autem Petillii cognomine erant *Spurini*: vid. Liv. XL, 18. XLI, 14.

Nondum percensuimus opinionum multitudinem: restat enim ut de Naudeto dicatur, qui in Diario Eruditorum Francogallico m. Iun. et Iul. a. 1838 fusius quam subtilius, ut nobis quidem videtur, fabularum Plautinarum tempora disceptavit. Ibi ille Trinummum quidem tractans p. 336 sqq. hinc orditur, ut Windischmannum nimium insistere *iam* particulae existimet, quippe quam satis constet nullo omnino scribentis consilio vel certo significatu saepe interponi *). Sequuntur de Syris Campanisque quaedam disputata, quae paullo post tangam. Tum multum in hac quaestione valere dicit Trin. IV, 2, 3:

Advenio ex Seleucia, Macedonia, Asia atque Arabia:

non tantum propter Asiaticas terras cumulatas, sed magis etiam propter *Macedonia* et *Asia* nomina ita iuxta se posita, ut uniuscuiusque animus ad Philippi Antiochique triumphorumque de iis actorum cogitationem illico traducatur. His ea postremo iungit, quae vix ac ne vix quidem intelligamus: tam ille admirabilia et inaudita de *scurrarum* genere deque rusticarum cum urbanis tribubus contentione narrat **).

---

*) Vt fidem facerem, ipsa verba philologi, vel ut cum veteribus loquar, grammatici infra posui: *il y insiste trop, je crois; car cette particule est souvent jetée, sans intention bien marquée, dans les phrases, et surtout dans la versification.*

**) *M. Windischmann ne parle pas non plus d'une longue tirade contre les oisifs de la ville, scurrae* (I, 2, 162 sqq.), *laquelle n'est pas indifférente dans le débat. Car elle se rattachait sans doute à la querelle des partisans de l'ancienne discipline avec les fau-*

Digitized by Google

Haec igitur in sat diversas partes disputata si paullo accuratius perpendas, facile perspicias magna ex parte vel ambigua esse vel exilia, atque omnino ita comparata, ut, nisi quae prorsus reiectanea, gravioribus argumentis confirmandis non incommode adhibeantur, suapte vi discernendi necessitatem non habeant. Rei summam apparet in Syrorum Campanorumque mentione verti, quam cavendum est ne in neutram partem cupidius interpretere. Vt igitur libere fateamur, non est nostra sententia Windischmanni argumentatio a quoquam vere refutata. Nam primum quod ille Syrorum et usum et notitiam antiquiorem esse bello Antiochino dixit, vere dixit: parum dixit, quod in una Mercatore extare servile nomen illud monuit, quam quidem fabulam non ante a. 557 scriptam esse probabilis est Ladewigii coniectura in Zimmermanni Diar. ant. stud. a. 1841 p. 1085. Pseudolum recte iam adiecit Naudetus: ubi quod non verum nomen *Syrus* est, sed simulatum tantum a Pseudolo, id noli Naudeto credere quicquam in hac caussa referre. Atqui Pseudolum scimus eodem anno actam, quo illud coeptum est bellum, h. e. a. 562 P. Cornelio Scipione M'. Acilio Glabrione Coss. *), quattuor annis ante terminatum M. Valerio Messalla C. Livio Salinatore Coss. (a. 565.) Nullus in hac caussa Bacchidum usus, in qua etsi cum *Parmenonibus Syri* commemorantur IV, 4, 4, tamen hanc quidem fabulam post a. 564 demum factam esse satis alibi demonstratum est. Nec dubio utemur Stichi exemplo III, 1, 29:

teurs de la nouvelle civilisation, à la lutte des tribus rustiques et des habitants de la ville. Cette lutte ne commença qu'après les guerres de la Grèce et de l'Asie.

*) Itaque quod non ante a. 562 Trinummum esse actam Ritterus dixit, rectius etiam videtur aliquanto post a. 562 dici potuisse.

Digitized by Google

sed in eadem fabula, quam a. 553 poeta docuit, si ex Asia aurum, argentum, lana, purpura, lecti aurati, eburati, Babylonica peristromata, conchyliata tapetia, fidicinae, tibicinae, sambucae*), unguenta afferuntur, quidni indidem arcessi iam tum potuisse Syros servos largiare? An nulli inter ipsos Syros, dum libertate Syria fruitur, servi extiterunt, quos si luberet eri et mancipiorum negotiatores venderent? Accedit longe gravissimum de Syris T. Quinctii Flaminini iudicium, illius orationi a Livio XXXV, 49 intextum: *haud paullo mancipiorum melius, propter servilia ingenia, quam militum genus:* quale illorum ingenium si Quinctius iam ante susceptum cum Antiocho bellum noverat, ecquis de domestico Syrorum mancipiorum usu dubitaverit? Ceterum cum perrarum in Plautinis fabulis esse *Syrus* nomen Naudetus ait, reputandum erat ne alia quidem servorum nomina a regionibus gentibusve ducta frequentiora esse: qualium, ut vere dicam, praeter illud ipsum apud Plautum nullum prorsus exemplum exstat**), contra atque apud Terentium. Neque illud dubitationi non obnoxium, quod Syrorum commemorationem ipsi Plauto deberi et ex irridendi consilio repetendam esse contendit. Quid enim est tandem, cur non potuisse Graecum poetam, ut pestiferam agelli illius naturam graviter significaret, hoc argumento uti concedamus, ut ne laboriosissimum quidem patientissimumque genus servorum illic posse perdurare diceret? Modo hoc ipsum in Syros potissimum convenire constet. Atqui revera robustissimos fuisse vel eo intelligitur, quod iuxta cum Cappadocibus Bithynisque gravi lecticarum gestandarum muneri adhiberi soliti sunt: quo Iuvenalis spectat VI, 351:

*) *sambucas*, non *sambucinas* in libris est omnibus. Ceterum cf. p. 268 sq.

**) Vnum nunc suppetit *Cilix* ap. schol. Hor. Sat. II, 5, 11.

Digitized by Google

Quam quae longorum vehitur cervice Syrorum:
et Martialis IX, 2, 11:

Octo Syris suffulta datur lectica puellae:
idemque IX, 22, 9:

Et canusinatus nostro Syrus assere sudet:
quode post Lipsium Elect. I, 19 a Boettigero dictum Sabinae p. 444 sqq. Nec inepte huc Ciceronis illud transferas, quod *natas servituti nationes Iudaeos et Syros appellavit* or. de provinc. cons. c. 5, § 10, vel quod *in hortis operosissimam Syriam* Plinius dixit N. H. XX, c. 5, tametsi hoc esse ambiguum sentimus. Ergo satis caussae inventum esse latino poetae potuit, cur patientius etiam genus hominum Campanos diceret esse: hoc quidem aperta cavillandi significatione, cum nullo prorsus sententiae vinculo suum responsum Philto Stasimi verbis nexuerit, verum liberrima oratione opposuerit. Neque enim Philtonem velut sic serio ratiocinantem Plautus fecit: *non persuades isto quidem argumento; nam si non sufficiunt Syri, in promptu tamen sunt multo etiam laboriosiores Campani, ut nihil sit, cur oblatum mihi agrum recusem;* immo nihil iam ipsum agrum respiciens de Syrorum tantum sive laude sive labe servo senex obloquitur simpliciter. Quod autem viginti post annis frigere eiusmodi irrisionem Windischmannus dixerat, id sic elevare idem ille Naudetus studuit, ut perdurasse inter Romanos Campanorum odium asseveraret eiusque rei teste Livio uteretur. Quid autem ille l. XXXVIII, c. 36? *Campanos* narrat a. 565, *cum eos ex SC. quod factum esset priore anno, censores Romae censeri coegissent (nam antea incertum fuisse ubi censerentur), petisse ut sibi cives Romanas ducere uxores liceret,* eamque *rem impetratam* esse. Hiscine vero odii perennitatem scriptor testatur? an poenarum tantum illarum continuitatem, quae de Cam-

Digitized by Google

panis statim post perfidam ad Poenos defectionem urbisque per Romanos expugnationem sumptae sunt? Ipso autem illo anno quod quae petierunt impetrarunt, odiine potius quam propensae voluntatis documento est? Praeterea ne illud quidem certum, utrum pristini urbis incolae supplicasse Romanis dicantur, an de iis Livius cogitet, qui post funestam urbis cladem illis successerunt recens vel asciti vel ingressi: in qua sententia video Hopfensackium esse Iur. publ. Rom. p. 66. Postremo etiam honestati humanitatique poetae consulendum putat vir ζηταρετησιάδης: nec enim decere probum hominem inter ipsam caedem carnificis cruentissimamque civium stragem cavillari victos et truncatis patrum, fratrum, liberorum membris colligendis occupatos! Quasi vero eo insaniae quisquam progressus sit, ut eodem anno, nedum eisdem diebus et Trinummum scriptam et supplicio affectos Campanos putaret, quorum quidem servilis *patientia* ex illo ipso demum supplicio consectaria esset. Quodsi viginti post annis Naudeto Plautus visus est sine inhumanitate eos perstringere potuisse, nec illud intelligimus, qui tardam malignitatem facilius tam fastidiosus sensus ferat quam subitam acerbitatem multo sane magis excusabilem, nec quid inter viginti annos et aliquot intersit perspicimus, quando etiam paucis praeterlapsis desierat tamen ipsa caedes.

Ergo adhuc non est ullo pacto demonstratum, vel non potuisse brevi post Capuae cladem tempore Trinummum edi, vel necessario esse post Syriae expugnationem scriptam. Vt non nimium tribuendum sit Wolffii Proleg. in Aulul. p. 34 iudicio simpliciter Rittero assentientis et minus sibi placere Windischmanni sententiam profitentis. Quae cum ita sint, non hercle actum agere videbimur, si novo eoque longe evidentissimo ar-

Digitized by Google

gumento sat ancipitem quaestionem prorsus diremerimus. Etenim quod iocabundus sycophanta ait V, 2, 148:

enimvero sero quoniam huc advenis,
Vapulabis arbitratu meo et novorum aedilium:

eis verbis qui *novi* dicuntur aediles, non possunt alii intelligi, nisi qui recens munus capessiverint. Aditos autem magistratus inde ab a. 487 Idibus Martiis constat, quibus a. demum 600 Kalendae Ianuariae successerunt: vid. Ideleri Chronolog. II, p. 149 coll. Niebuhri Hist. III, p. 494. Quodsi, quibus festis illa aetate fabulae commissae sint, quaerimus, trium potissimum optionem datam esse reperimus: factum enim illud aut Romanis ludis aut plebeis aut Megalensibus, quando Apollinaribus datas fabulas nec Livius unquam commemorat nec alius quisquam ante tempora aliquanto posteriora novit: quod genus accuratius supra definivimus p. 286 sqq. Ac Romani quidem ludi cum mense Septembri facti sint, Novembri autem plebei, horum neutro mensium apparet novos dici magistratus potuisse. Et ut etiam Apollinares in reliquorum societatem asciscamus, qui m. Iulio fiebant: ne quattuor quidem mensium intervallum non potest nimium videri. Vni restant Megalenses, proximo illi post consulum creationem mense Aprili facti. Qua ratione cum necopinato, per cuius festi opportunitatem Trinummus acta sit, patefiat, tum singulari fortuna etiam illud, quem annum ea fabula excedere non potuerit, docemur. Namque primum scenicos fuisse Megalenses a. 559 certum est: vid. supra p. 294 a nobis exposita. E quibus sine ulla dubitatione consequitur non ante a. 559 Trinummum actam esse.

Atque sic demum e Campanorum clade petita argumenta didicimus hinc aliena esse omnia; nunc demum iure nostro agemus, cum pro Syris prolata as-

Digitized by Google

sensu nostro, sed ita comprobabimus, ut pro secundariis et adventiciis habeamus. Et primum quidem quod ad Campanos attinet, etsi recte Windischmannus singularem vim esse *iam* particulae sensit, tamen quo quidem illa spectaret, aut non persensit aut non diligenter explicavit eoque quo debuerat convertit. Hoc enim sibi voluit poeta, ut delicatulos olim homines servilis condicionis diuturnitate nunc demum h. e. post viginti annorum miseriam et labores (non: post Capuae expugnationem) eo adactos esse significaret, ut vel patientissimi omnium exstarent atque adeo durissimum genus servorum superarent, quod fuit Syrorum. Ac mirum est fugisse Windischmannum, ne potuisse quidem intra paucorum annorum spatium ab extrema luxuria et mollitie ad tam diversam atque adeo contrariam indolem subitam conversionem fieri. Ceterum non sine aliqua caussa poetam post tantum temporis intervallum tam acerbe cavillatum esse nobis quoque veri simile videtur; quam habuerit ludibrii caussam, non magis novimus quam tot alia ad accuratiorem notitiam illius aetatis pertinentia a Livio docemur, nimium in modum illo, nisi ubi bella perscribit et id genus alia, arido atque exili. Tantum facile concedi puto, probabiliorem oportere caussam fuisse quam a Naudeto excogitatam.

Nunc autem etiam longius progredi licet et ex iis argumentari, quae per se, absque illo tanquam fundamento esset, haud paullo magis ambigua forent. Nam cum merito Petersenum aliosque gravis illa corruptorum morum castigatio adverterit, qua sane insignis est Trinummus, tamen hoc ipsum aliqua ex parte videtur certius definiri posse. Praeter cetera enim, quae latius patere confitendum est, unum genus pravitatis ita eminet in huius fabulae sermonibus, ut de certo consilio poetae vix equidem dubitem. Operae pretium

Digitized by Google

faciam, si ipsis oculis proposuero de quibus cogito versibus. Sic enim statim ab initio Megaronides:

Nimioque hic pluris pauciorum gratiam
Faciunt pars hominum, quam quo prosint omnibus *).
Ita vincunt illud conducibile gratiae,
Quae in rebus multis obstant odiosaeque sunt,
Remoramque faciunt rei privatae et publicae.

Multo autem et acrius et apertius philosophus ille Stasimus IV, 4, 25 sqq.:

Nam nunc mores nihili faciunt, quod licet, nisi quod lubet.
Ambitio iam more sanctast, liberast a legibus.
Scuta iacere fugereque hostis, more habent licentiam:
Petere honorem pro flagitio more fit.
Strenuos iam praeterire more fit.

Non est mea sententia obscurum quo haec spectent: ambitus enim, nisi fallor, his notatur, quo, qui minime meriti, honores et peterent et adipiscerentur, simul autem debitis praemiis strenui et fortes frustrarentur. Quodsi, in quos potissimum annos insolentior ambitio illa cadat, circumspicimus, primum quidem omnia ea exempla praesto sunt, quibus olim Bacchidum tempora indagavimus Disp. de Bacch. § 8. Quid enim quaeso ad Plautina illa: *scuta iacere fugereque hostis, more habent licentiam: petere honorem pro flagitio more fit,* propius potest accedere, quam quod a. 564 is est triumphum nactus, *quem non bellum iniustum gessisse, sed hostem omnino non vidisse inimici iacta-*

*) Vulgatur *quod prosit*. Sed *prosint* in libris est omnibus, etiam Ambrosiano, in quo utrum *quod* ad ipsum quod posuimus *quo* exstet, non satis apparet.

Digitized by Google

bant: id quod de Q. Fabio Labeone Livius prodidit XXXVII, 60 et XXXVIII, 47. Accedit quod cum aliquot ante annis Q. Minucius Rufus et P. Cornelius Scipio Nasica, tum paullo post M. Fulvius Nobilior et Cn. Manlius Vulso non satis digni triumphi honore habiti sunt atque ex parte non sine acerrima contentione pervicacissimaque adversariorum repugnantia ad illum accesserunt. Deinde autem, ut a triumphorum ad magistratuum petitionem orationem vertamus: etsi de ambitu leges maximam partem posteriore aetate latae sunt, tamen ne sextum quidem ab V. C. saeculum nihil eiusmodi vidit. Nam cum post Poeteliam illam, de qua lib. VII, 15 Livius refert, per quintum saeculum integrum maioremque partem sexti de ambitu conquerentes Romanos, quod quidem sciam, non reperiamus, querendi caussa iustissima inventa est eo ipso quo Plautus vita decessit anno 569, quo quidem ad consulatum effuso ambientium studio insignique prensatione perventum esse Livius XXXIX, 32 testatur. Quae res eum eventum habuit, ut tribus post annis reapse legem de ambitu P. Cornelius Cethegus M. Baebius Tamphilus Coss. ex auctoritate senatus ad populum ferrent, ut idem Livius XL, 19 ait. E quibus efficitur, quo propius ad ipsum exitum vitae Plautinae in definienda Trinummi aetate progrediamur, eo commodiorem locum illis esse de invalescente ambitione gratiarumque peste querimoniis *). Vt, si non ultimam, at ex ultimis poetae fabulis esse Trinummum existimem. Quo in genere illud valde est memorabile, omnino longe maiorem partem fabularum Plautinarum, quae quidem superstites sunt, provectiore aetate atque adeo ingravescente senecta poetae scri-

*) Confer de ambitu supra disputata p. 232.

Digitized by Google

ptas videri, ipsius iuventutis paucas extare, longe plurimas olim extitisse. **)

Huc autem prorsus convenire quispiam universam indolem Trinummi dicat, quae fabula multis visa est maturam placidae senectutis sapientiam, lenitatem, temperantiam atque aequabilitatem haud ambigue prae se ferre. At vero, ut dicam quod res est, hoc omne genus argumentandi, quo praeter alios Petersenus cum Naudeto et mirifice delectantur et non sine summa confidentia nituntur, in simili caussa a nobis supra notati p. 200. 268, cum suapte natura certos fines habeat nullos, tum fallacissimum apparet earum fabularum exemplo, quae a Trinummo paucissimorum annorum intervallo distant. Quid enim Pseudolo petulantius? quid procacius Bacchidibus? quae fabulae a. 562 et circiter 565 actae sunt; quid protervius Truculento? quam una cum Pseudolo a poeta sene factam Cicero testatur: ut in his subsistam. Ergo sic potius statuendum, admirabili fuisse Plautinum ingenium non tantum fertilitate, verum etiam varietate et tanquam mobilitate, qua diversissimae indolis fabulae propemodum uno eodemque tempore nascerentur et ab effrenata lascivia ad sedatam urbanitatem facilis transitus fieret. Quanquam aliquantum intelligimus in hoc genere non ipsi Plauto tribuendum esse, sed eorum e quibus penderet Graecorum exemplorum dissimilitudini. Quam rem hic tetigisse satis habeo; pertinent autem huc ea, quae lubrica sane nec a dubitationibus vacua quaestione, sed non mediocri acumine Ladewigius exposuit Comm. de Volcatii Sedigiti canone p. 34 sq.

Atque his quidem hoc unum additurus eram, ut, quantum e certius descriptis singularum fabularum an-

*) De hoc dictum est p. 110. 117.

Digitized by Google

nis redundare in pleniorem temporum illorum morumque cognitionem posset, uno verbo monerem: cum mihi allatae sunt Simonis Visseringi Batavi beneficio eius Quaestiones Plautinae Amstelaedami proximo anno editae. In quibus cum alia non improbabiliter disputata sunt, tum quaedam ad Trinummum pertinent eaque ex parte cum nostris argumentationibus congruentia. Etenim eos qui sunt IV, 4, 25 sqq. versus ille quoque ad ambitum rettulit Part. II, p. 19, triumphorumque Fulvii Nobilioris Manliique Vulsonis exemplis illustravit P. I, p. 28: nihil tamen ad aetatem Trinummi investigandam inde colligens. Praeterea I, p. 25 ad caritatem annonae, quam videri per omne Punici belli tempus gravissimam fuisse, spectare haec dixit II, 4, 82:

Coena hac annona est sine sacris hereditas.

Quo potuerat versum I, 1, 10 addere:

Neque quidquam vile nunc est nisi mores mali: quando non sic locutus est poeta: *nihil tum vile quam mali mores*, sed *nihil praeter eos vile*. Sed tamen nec scripsit poeta inter Punicum bellum Trinummum, nec verum est per illud perdurasse caritatem. Immo tum a. 551 tantam fuisse Livius XXX, 38 annonae vilitatem testatur, ut pro vectura frumentum mercator nautis relinqueret, tum tertium quoque post annum pervili annona insignem lib. XXXI, 50 dixit. Gravius est nec fide carens, quanquam nec quicquam infringens nostrorum argumentorum nec ad horum ipsorum evidentiam accedens, quod de auro nummisque Philippeis Visseringus I, p. 87 sq. laudabiliter observavit. Neque enim illud genus pecuniae ante belli Macedonici tempora Romae increbruisse, nec eius mentionem apud Livium ante Flaminini de Philippo rege triumphum fieri, qui fuit a. 558. E quo consequens hoc sit, ut ultimo artis Plautinae decennio una cum Asinaria, Bacchidibus,

Digitized by Google

Curculione (omissa ab Visseringo), Milite, Poenulo, Rudente, Truculento etiam Trinummus tribuenda sit, cuius illuc hi versus spectant: I, 2, 115:

Nemost. — Nummorum Philippeum ad tria milia,

et a Visseringo praetermissi IV, 2, 113. 117. 123. V, 2, 34:

An ille tam esset stultus, qui mihi mille nummum crederet
Philippum. —
Si hunc possum illo mille nummum Philippum circumducere. —
Atque etiam Philippum, numeratum illius in mensa manu,
Mille nummum. —
Spondeo, et mille auri Philippum dotis.

Quorum versuum tertio quod vulgatur *Philippo*, vereor ut defendi possit. — Ex septem autem illis praeter Trinummum fabulis quinque sunt, quas, qui in hoc genere definiendo nostra memoria elaborarunt, item ad senectutem Plauti prorsus aliis de caussis prope communi consensu rettulerunt: duae tantum, quas priori poetae aetati tribuerunt, Militem et Rudentem. Harum igitur, ut reliquarum omnium, tempora cum primum statuissemus hoc ipso loco disceptare, nunc satius visum est omnem hunc locum ea dissertatione pertractare, qua poetae artem cum universam tum singulis in fabulis conspicuam, quippe cum vitae fabularumque temporibus coniunctissimam, dedita opera explicabimus.

Digitized by Google

DISSERTATIO VI.

DE

VETERIBVS PLAVTI INTERPRETIBVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE VETERIBVS PLAVTI INTERPRETIBVS. *)

§. 1.

In Plauti fabulis interpretandis constat iam a veteribus grammaticis haud segnem operam positam esse. Ab interpretum autem numero continuo eos esse segregandos apparet, a quibus indices tantum Plautinarum fabularum confectos esse Gellius prodidit Noct. Att. III, 3: L. Aelium Stilonem Praeconinum, Volcatium Sedigitum, Servium Clodium sive Claudium, Aurelium Opilium, L. Attium poetam, Manilium, M. Terentium Varronem. De quibus etsi post Osannum Anal. crit. p. 154 docta de L. Attii Didascalicis disputatione Madvigius in Opusc. acad. p. 106. 107. 108 dixit, ex parte etiam Van-Heusdius edita nuper de L. Aelio Stilone Rhetoricorum ad Herennium auctore disquisitione p. 33 sqq.: tamen nondum ita actum est, ut vel indicum illorum vel *Varronianarum* quae feruntur *fabularum* ratio satis pateat. Quod licebit alio loco ulterius persequi **). Tantum patet, ad singulorum

*) Edita a. CIↃIↃCCCXXXIX.

**) (Stetimus promissis in Diss. IV.) — Hoc unum tribus verbis tango,

Digitized by Google

interpretationem nihil haec quidem studia illorum virorum pertinere.

§. 2.

Aliquanto propius ad singula expendenda putet quispiam eos accessisse, quos de metricis rationibus iudicasse auctor est Rufinus Antiochensis de metris comicis libello. Sic enim ille haud immemorabili testimonio p. 2713 Putsch. vel in Gaisfordi Script. lat. rei metr. p. 387 sq.: *Mensuram esse in fabulis, hoc est μέτρον, Terentii et Plauti ac ceterorum comicorum et tragicorum, dicunt hi: Cicero, Scaurus, Firmianus, Varro, Victorinus, Caesius Bassus, Terentianus, Caecilius Vindex, Sisenna, Cinna, Diomedes, Albinus, Quintilianus, Sosipater Charisius, Helenus, Asper, Flavius Caper, Aruntius, Probus, Plinius, Euanthius Sacerdos qui et Donatus, Iuba.* Quae quidem testimonia quo spectent cuive usui cumulentur, planissime e Prisciano de vers. com. p. 1319 P. 410 G. intelligitur, qui *miror* ait *quosdam vel abnegare esse in Terentii*

---

quod prorsus praeter rationem Heusdius instituit. Aelio enim et Claudio tribuit *Indices super Plauti fabulis ambíguis* (vel *quae dicuntur ambiguae*), eamque inscriptionem p. 59. 64. 77. 81. 82 profert tanquam ab ipsis profectam. Sed nec per se credibile est sex septem litteratos homines ambiguarum tantum indices prodidisse, nec id ullo modo e Gellii his verbis consequitur: *Verum esse comperior, quod quosdam bene litteratos homines dicere audivi, qui plerasque Plauti comoedias curiose atque contente lectitarint, non indicibus Aelii nec Sedigiti nec Claudii nec Aurelii nec Accii nec Manilii super his fabulis, quae dicuntur ambiguae, creditarum, sed ipsi Plauto moribusque ingenii atque linguae eius.* Quem enim fugiat, illa *super his fabulis quae dicuntur ambiguae* non pertinere ad *indicibus*, sed ad *creditarum*, criticos autem illos cunctas esse fabulas complexos? Quod quidem ita esse vel ex eo poterat intelligi, quod ne latine quidem *indices super fabulis ambiguis* dicuntur. (Cf. quae supra dicta sunt p. 91.)

Digitized by Google

comoediis metra, vel ea quasi arcana quaedam et ab omnibus doctis semota, sibi solis esse cognita confirmare: quorum ut vel imperitiae vel arrogantiae vitium effugiamus, breviter de supradictorum (Terentii, Plauti, Ennii, Attii, Naevii, Pacuvii, Turpilii et similium) *metris exponamus.* Item contra negantes metra esse puto Servii verba scripta in Eichenfeldi et Endlicheri Anal. gramm. p. 535: *Terentius rhythmis scribit comoedias vel* (sic) *Plautus.* Verumenimvero illos, quibus Rufinus auctoribus utitur, ne in eo omnes elaborasse credamus, ut dedita opera numerorum rationes explorarent, ipse satis cavit Rufinus. Nam aut in transcursu tantum sententiam illi significarunt suam, aut ne hoc quidem fecerunt, sed vel versiculos quosdam veterum poetarum attulerunt tanquam versiculos, vel de Terentio Plautove generatim locuti sunt tanquam de poetis h. e. ligatae orationis scriptoribus: unde, non esse eos istius perversitatis participes, quam vidimus a Prisciano exagitari, haud sane fallaci coniectura assequi licebat. Intelligitur hoc ex ipsis illorum verbis ab Rufino antea excerptis: quibus quidem excerptis totum eius commentariolum continetur. Adversaria enim quaedam sua magister Antiochensis effudit nullo ordine digesta: quibus in fine indiculum eorum quos excerpserat auctorum adiecit. Et ex his quidem quindecim revera utroque loco redeunt; octo autem nomina in indice demum accessere nec in ipsis quae praecedunt excerptis habent quo referantur. Horum igitur excidisse testimonia eo proclivior coniectura est, quo negligentius habitae istae laciniae Rufinianae; quanquam potuit sane hoc etiam aliter se habere. Quattuor autem ex illis nomina ad Terentii interpretationem spectant: Euanthii enim et Aspri testimoniis supra positis nunc sine testimoniis accedunt Helenius (non *Helenus*), Aruntius,

Digitized by Google

Probus, Donatus scholiastae Terentiani. Reliqua quattuor sunt artis scriptorum, a quibus de veterum metris poetarum similiter dicta reppererat atque a Diomede, Varrone, Charisio, Caesio Basso, Capro, Mario Victorino, Terentiano Mauro, Iuba, Firmiano. Ac *Caecilius* quidem (vel *Caelius* editionis Venetae), est ille potius Caesellius Vindex, cuius non pauca fragmenta apud Gellium, Charisium, Priscianum exstant, sumpta ea omnia ut videtur e *Stromateo* (Prisc. VI, p. 685, 11. 696, 12 P.), quos commentarios fuisse per litteras dispositos et in totidem, quot sunt litterae, libros distinctos Charisius fidem facit p. 213, 30: *ut Caesellius Vindex lib. B litterae scribit:* et p. 176, 32: *libro L litterae* *). Nihili autem est *Cinna* grammaticus: quod nomen ex praegressis syllabis *Sisenna* vocis ortum: atque abest ab editione Veneta. Sed *Albini*, quem Putschius esse Alcuinum putabat, *librum quem de metris scripsit* unus commemorat Maximus Victorinus de carm. her. p. 1959 P. 289 Lind. *Plinium* intelligo aut librorum de dubio sermone aut Naturalis historiae scriptorem, in qua de *Plauto poeta* loquitur XVIII, c. 11. **) Denique postrema Rufini verba sic redintegramus: *Euanthius, Sacerdos qui et Plotius, Donatus, Iuba.* Nullus unquam fuit Euanthius Sacerdos; verum *Marii Plotii Sacerdotis* ex-

*) Adde p. 93: *Vindex A litterae lib. I notat* secundum codicem ms. — Ceterum prorsus eandem de Caesellio sententiam docta annotatione Osannus exposuit altero volumine Symbolarum ad hist. litt. Gr. et lat. (a. 1839 edito) p. 329 sq. Quem librum tametsi in fine dissertationis testatus eram sero ad nos perlatum esse, (ut nihil inde utilitatis capere potuerimus), tamen hoc neglecto testimonio an addubitato Lerschius in Diar. antiq. stud. a. 1841 p. 1103, ubi de Caesellio dedita opera agens nos impugnat, me scripsit sequi Osannum. Quem in eo nunc sane sequor, quod *Caesellium* pro *Caecilio Vindice* etiam apud Cassiodorum Putschii p. 2317 restituendum credo.

**) Quanquam etiam in Plin. Epist. I, 16 aliquid est huiusmodi. }

Digitized by Google

stat de metris liber apud Putschium p. 2623 (Gaisford. p. 242.) Ex interpolatione est, quod in Veneta Rufini editione exstat *Sacerdos, quod etiam docuit Donatus* *).

§. 3.

In ipsa verba et sententias comici poetae dedita opera et pristino scholiastarum more commentati esse inde a Fabricio Bibl. lat. I, p. 14 Ern. hi perhibentur: Aruntius Celsus, Flavius Caper, L. Cornelius Sisenna, Q. Terentius Scaurus: quibus alios quosdam recentiorum coniectura addidit. Ex illis autem quattuor unum, Terentium quidem Scaurum, mirabiliter sibi eripi passus est, qui historiam criticam scholiastarum latinorum pertexuit ex indicibus magis haustam quam e diligenti lectione natam, Suringarus. Qui quemadmodum suo iure debito Scaurum fraudavit, ita non magis ut arbitror considerate Celsum et Caprum Sisennae iunxit **). Sed dicam de his ordine: primum quidem de iis, quos immerito huc rettulerunt, deinde de illis, qui veri scholiastae Plautini fuerunt. Ordiar a Flavio Capro. Quem inter Terentii scholiastas recenseri solitum pridem de eo loco Schopenus movit eleganti de Terentio et Donato dissertatione p. 40 sq. Ac vide mihi, quale sit illud Charisii testimonium, quo explosa a Schopeno opinio nitebatur. Sic ille p. 175, 39: *Alias pro aliter. Terent. in And.: Quid alias malim quam hodie istas*

*) In Rufini verbis expediendis frustra elaboravit Osannus Symbol. II, p. 307 sq., probabiliter ille Rufinum saeculo quinto tribuens, de Plotio Sacerdote disputans p. 297 sqq., de Albino p. 361 sq.

**) Eadem fere Osanni condicio est, *inter eos qui ad illustrandas Plauti fabulas commentarios scripserint, maxime excellere Sisennam, Aruntium Celsum et Flavium Caprum* dicentis Anulect. p. 154.

Digitized by Google

fieri nuptias. ubi Fl. Caper de latinitate: non ausim affirmare e. q. s. Idem autem de latinitate liber eum etiam p. 186, 6 memoretur et simillimo quidem modo memoretur: *Novissime Tiro in Pandecte non recte ait dici, adiicitque quod sua coeperit aetate id adverbium: ubi Fl. Caper de latinitate, miror, inquit* e. q. s.: ecquis dubitabit, quin eandem in partem eiusdem Charisii p. 176, 1 haec sint interpretanda: *Abhinc . . . Plautus in Mostellaria* [II, 2, 63]: *Qui abhinc sexaginta annis occisus foret. ubi Caper, utroque casu recte dicimus, quamvis ut sordidum et vulgare, inquit, quidam improbent.* An vero cuiquam credibile, eundem hominem commentarios in Plautum scripsisse, in Terentium, immo in Tironem quoque, in ipsum adeo Ennium et — mirabile dictu — P. Sempronium Asellionem? Nam haec quidem omnia pari iure ex Charisii testimoniis efficias. Vide modo p. 107, 3: *Hebem . . . Ennius XVI. ubi Fl. Caper: non ut adiunctivo sed appellativo est locutus;* et p. 176, 21: *Asellio quoque rerum Romanarum quadragesimo: Tam pulcrum opus tamque artificiose factum passus est dirui. Vbi Fl. Caper: quamvis artificiosus dici non possit ut malitiosus* e. q. s. Praeterea etiam Virgilii interpretem Caprum testarentur Servii quaedam notationes, tales potissimum qualis est in Aen. XII, 120: *Caper tamen et Hyginus* (qui revera scholiasta fuit Virgilii) *hoc loco dicunt lectionem esse corruptum* e. q. s., nisi eiusdem Servii aliae exstarent, quibus vel *dubii generis* aut *enucleati sermonis libros* a Capro conscriptos commemorat tanquam a semet interpretando poetae adhibitos, vel aliis modis de scholiasta Capro cogitari vetat, ut in Aen. VI, 545: *quem Caper secutus, cum de praepositione* EX *tractaret, hoc exemplum posuit.* Quode non improbabiliter Suringarus II, p. 218 sqq. exposuit.

Digitized by Google

Ad Charisium autem ut revertar, plurium etiam qui istac quam reiecimus via pergat, scholiastarum segetem succrescere sentiet. Aderit, ut in paucis subsistam, Naevii interpres (Valerius) Probus, Lucretii Velius Longus: cf. p. 178, 33. 187, 44: utrobique enim allato poetae versui subiunxit *ubi* particulam. Et tamen utriusque hominis alia exstitere scripta grammatica, in quibus veterum poetarum dicta potuerunt tam vel copiose vel singillatim tractata esse, ut non minus recte in haec commentatus esse, quam locum quemque grammaticum explicasse scriptor diceretur. Ut breviter dicam, illud *ubi Caper* tantundem valet ac *quod exemplum* (per cuiuslibet quaestionis opportunitatem) *affereus Caper*. Atque aliquid eiusmodi suboluisse etiam Suringaro videmus: cuius tamen eo in genere mira et inconstantia fuit (cf. I, p. 60. II, 163.) et cum credulitate coniuncta timiditas: quo factum est, ut vel maxime suspectis scholiastarum nominibus, quae uno erant verbo removenda, integra capita destinaverit. Quid? quod p. 96, 17 apud Charisium haec leguntur: *Cur pridie Kal. Augustas et non Augustarum dicimus? ubi Plinius Secundus eodem libro sexto: A finita nomina singulari nominativo veteres casu genitivo As syllaba declinabant*: in quibus ne praecessit quidem scriptoris nomen, sed tantundem est illud *ubi* ac *qua de re agens*. Intelligisne cur nobis, qui ne adiecto illo *ubi* quidem moveri potuimus, multo minus, sicubi liberiore etiam vinculo cum poetae testimonio grammatici cuiusque nomen iungitur, de peculiari commentario persuaderi possit? Ita, ut exemplo utar, in Terentii fabulas Nigidii Figuli, de cuius *commentariis grammaticis* longe uberrimis satis constat, continuam interpretationem exstitisse negamus cum Schopeno l. c. p. 41 sq., quem hac in parte tacito sequitur Suringarus I, p. 109. Nam quod

Digitized by Google

in Phorm. I, 4, 13 Donatus ait Nigidium *protinam* legere, id prorsus conferri potest cum Capri iudicio de Virgiliani versus lectione; quae autem ad eiusdem fabulae I, 4, 4 et II, 1, 3 afferuntur, etsi paullo graviorem suspicionem movent, tamen non sunt dissimilia eorum, quae simili modo e Nigidio proferuntur ad Virgilii Georgica apud Servium in I, 47. 261. Quodsi Virgilianos quoque commentarios Nigidium edidisse statueris, non potest hoc quidem argumentorum necessitate refutari, sed verendum tamen est, ne ita infinita proditura sit scholiastarum latinorum multitudo. Ac reputandum ex altera parte, quot quamque variarum ac diversarum rerum capax praeter ipsos miscellaneos libros illud potissimum commentandi genus fuerit, quod in enucleanda *significatione verborum* versabatur: id quod facile ex Verrii Flacci et Aelii Galli apud Festum testimoniis intelligitur.

§. 4.

Plauti et aequalium poetarum in transcursu interpretandorum non est mirum nullos scriptores saepius occasionem nactos esse, quam quos priscarum et minus usitatarum vocum explanatione occupatos glossographorum nomine commode comprehendas, *glossematorum scriptores* Festus dixit. Quos tetigit nuper Lerschius de philos. linguae ap. veteres p. 111 idemque in Zimmermanni Diar. antiq. stud. a. 1838 p. 99 sqq. 405 sq. Ex eorum numero unum fuit qui ipsis Plauti scholiastis accensendum putaret, H. Meyerus in eisdem Diariis a. 1836 p. 378. Est is Aurelius ille Opilius e Sueton. de illustr. gramm. 6 notus, cuius non modo indices exstiterunt fabularum Plautinarum, sed etiam interpretationes quaedam supersunt obscuriorum

Digitized by Google

glossarum Plautinarum, Plautinis versibus *) a Varrone subiectae de ling. lat. VII, 50. 65. 67. 70. 79. 106 ed. Muell. Sed ex eo tamen illud, quod Meyero placuit, vix efficias, non prisci sermonis universi, sed solius Plautini antiquitatem (loquor cum Santra, qui de *verborum antiquitate* scripsit) videri Opilium dedita opera explicasse. Nam cum apud Festum non infrequens sit eiusdem Opilii memoria, tamen ibi quidem ter tantum eius nomen cum Plautinorum mentione exemplorum sociatum reperitur, voc. *Valgos, Nauteam, Querquera.* Et ea quidem, quae v. *Nauteam* afferuntur imprimis copiosa, eiusmodi sunt, ut facile possint ex Opilii libro omnia transscripta esse. Sed ne sic quidem aliud quicquam inde consequitur, nisi hoc, Plautinas fabulas praecipuam Opilio materiam glossographici operis praebuisse. Id autem ipsum non est tam singulare, ut non cadat vel in eorum quosdam grammaticorum, quorum opera aetatem tulit, in Festum h. e. Verrium Flaccum, Nonium, C. Iulium Romanum. Hunc enim certissima via demonstrari potest verum auctorem esse eorum, quaecunque non de trivio petita, sed utiliter praecepta et cum cruditione exposita in Charisii Institutionibus exstant: quod quidem imprimis valere de longe maxima parte testimoniorum e Plauto sumptorum et nos diligens disquisitio docuit, et unusquisque pro se ipse cognoscet, qui aliquam pellegendo Charisio operam navarit. **)

Eadem fere quae Opilii ratio Servii Claudii est, quem item inter eos, qui *indices fabularum Plautinorum* ediderunt, Gellius III, 3 commemorat, insignem habuisse artis linguaeque Plautinae consuetudinem

*) His conferenda sunt quae supra diximus p. 242 sq. et p. 180.

**) Vide post Freundium Lex. lat. praef. p. LXXIII, similiter iudicantem Osannum Symbol. II, p. 324 sqq. maxime p. 327.

Digitized by Google

Cicero narrat Epist. ad famil. IX, 16, *commentarium quendam* scripsisse lib. XIII, 21 Gellius prodit afferens ex illo reconditioris vocis explicationem, denique propter tres eiusdemmodi obscuriorum nominum interpretationes Varro de l. lat. VII, 66. 70. 106 antestatur et bis quidem una cum ipsius interpretatione Aurelii. Quae cum ita essent, omnes autem quattuor glossae illae evidentissime ad Plautina verba spectare viderentur, evenit ut *de commentario Plautino* Servii Heusdius Disqu. de Ael. Stil. p. 82, si modo recte eius verba interpretor, cogitaret. Qui quod de *etymologico* Plautino simul disserit deque surrepto per dolum a Servio Aelii Stilonis libro inedito, horum illud parum habet quo commendetur: atque abhorret istiusmodi inscriptio ab hoc genere et saeculo: alterum in mera est coniectura positum. De Plautino autem commentario quid sentiendum sit, ex iis quae de consimilis condicionis homine Opilio disputavimus sua sponte apparet.*) A Gellio enim *commentarius* dici quivis liber grammaticus potuit.

Scholiastis Plautinis haud scio an maiore etiam veri specie quam Servius Claudius addi illius socer Aelius Stilo Varronis magister potuerit propter unum Festi testimonium v. *Vapula Papiria*, ubi allatis Plauti in Feneratrice verbis sic pergit: *Aelius hoc loco vapula positum esse ait pro dole, Varro pro peri.* Itaque nec nos Plauti scholiastam Aelium agnoscere dubitabimus, simulatque eius, quocum copulatus est, Varronis quoque in Plautinas fabulas commentarios fuisse demonstratum erit. **) Quod quidem non magis quisquam

*) De Claudio quoque glossographo dictum est p. 242 sq. et 180. Adde p. 122 sq.

**) In glossematum sane interpretatione Varro quoque cum alibi tum in Plautinis Quaestionibus versatus est, de quo p. 178

Digitized by Google

demonstrabit, quam quod de Varroniana *Plauti contextuum recensione* olim Osannus somniavit Analectis p. 158. Quodsi ne Festi quidem verba illa negotium nobis facessere potuerunt, multo etiam minus in eo haereremus, si ad fabulam Plautinam spectans Aelii observatio quaedam a Plinio Nat. hist. XIV, c. 13 memorata revera Aelii Stilonis esset, quae Heusdio mens fuit *L. Aelium* pro librorum scriptura *Laelium* reponentis p. 77: quemadmodum idem pro eodem pridem Ciceroni de leg. II, c. 23 restituerunt. De quo paullo post dicetur.

§. 5.

Expeditior, quam de Capro, de Plauti si dis placet scholiasta Aruntio Celso quaestio est. Huic suum inter Terentianos interpretes locum concedere non dubitavit post Bentleium annot. in Andr. I, 1, 43 Schopenus p. 38. Atqui haec sententia solis nititur Charisii quinque testimoniis prorsus ita comparatis, ut in una *ubi* particula omnis argumentandi vis vertatur. Ut non mirer, si quis similem de Celso ac de Capro, Probo, Longo dubitationem moveat. Ac fatendum certe multa in hoc genere incerta manere. Quo pertinere etiam

---

sqq. expositum. Fuit tamen qui commentaria in Plauti fabulas composuisse cum Sisenna et Aspro etiam Varronem perhiberet, Gyraldus de poet. hist. dial. VIII, p. 887 Bas. — A talibus autem *glossematorum* interpretationibus, quales L. Aelii, Opilii, Claudii, ipsius Varronis fuerunt, profectus est sive Verrius Flaccus sive Festus, receptis continuis glossarum Plautinarum ordinibus, quorum quibusdam in locis non ambigua vestigia Muelleri diligentia indagavit praefat. Fest. p. XIX ann. 1. 5, p. XX, ann. 4. Cf. p. XXIX. — Ceterum hoc loco quod de Aelio significavi, non putaram ita a quoquam intellectum vel potius non intellectum iri, ut factum vidi a Koenighoffio Comm. de scholiastae in Terentium arte critica (Aquisgr. a. 1840) p. 18, ubi me ait in eam sententiam inclinare, ut Aelium Plautinis scholiastis accensendum esse putem.

Digitized by Google

Statilii Maximi in Catonem senem commentarii facile cuipiam videantur: de quibus vid. Suringar. I, p. 63 sq. Quid? quod ne multo contestatior quidem quam in Terentium, eiusdem Celsi in Virgilium commentarius (Sur. II, p. 160 sqq.) satis persuaderi Heynio vol. V, p. 532 potuit? Et tamen quanta in hac caussa in utramque partem cautione opus sit, non potest luculentiore quam Scauri exemplo monstrari, quem quis est, qui inter Virgilii interpretes referre propter unum idque ambiguum Servii in Aen. III, 484 testimonium ausus esset ante edita ab A. Maio Veronensia scholia? Cf. Suring. II, p. 189. Est hoc profectò eiusmodi, ut in memoriam nobis revocet illud veteris poetae, in hanc artem non minus quam in hominum vitam quotidianam accommodatum: *τάχ' ἄν τις εἰκὸς αὐτὸ τοῦτ' εἶναι λέγοι, βροτοῖσι πολλὰ τυγχάνειν οὐκ εἰκότα.* Sed tamen quo in Celsi caussa utare, unum superest hoc argumentum, quod grammatici libri ab illo editi, quo Terentiana exempla potuerint tractari, nullum apud veteres vestigium exstat: neque enim vel e Prisciani III, p. 607, 39, vel e Diomedis I, p. 307, 4 (ubi erratum *Aruntius Claudius* *) illud recte concluditur.

Hoc autem quomodocunque se habet, tantum certum est, longe longeque etiam suspectiorem Plautinorum Celsi commentariorum memoriam esse. Nititur ea solis Charisii p. 190, 29 verbis, quae infra posuimus una cum iis quae proxime antecedunt: *Perplexim. Plaut. in Sticho: Vtrum ego perplexim lacessam oratione. — Publicitus. Plautus in eadem: Nonne hoc publicitus. Vbi Celsus, publicitus et claritus, inquit, dicunt: nos publice clareque dicimus. Titinius in Se-*

*) Vidit hoc etiam Osannus Symbol. II, p. 343, credidit autem nobis Lindemannus in Charis. p. 127.

Digitized by Google

tina: Statui statuam publicitus. Terentius quoque in Phormione. Sed et Plautus in Bacchidibus: In aede Dianae publicitus aurum servant. Idem in Amphitruone: Ita peregre adveniens publicitus hospitio [accipiar]. Verumenimvero nec illa *Nonne hoc publicitus* in Sticho exstant, et vero omissum e Phormione exemplum non est aliud atque illud ipsum, quod Plautinae fabulae tribuitur. Leguntur enim haec Phorm. V, 7, 85: *Nonne hoc publicitus scelus hinc deportarier In solas terras?* *). Quod cum ita sit, Suringarus I, p. 70 vereri se ait, ne Charisius Plautum hic male citaverit pro Terentio. Esto, ut Plautus diceretur pro Terentio: ita restaret *Terentius in eadem.* Et commode sane accidit, quod, quo loco proximo Terentii facta mentio erat, ibi ex ipsa Phormione verba poetae prolata exstant, quanquam interiecta non illa tantum notatione quae est de *perplexim* adverbio, sed uberiore etiam de *propere.* Sed tamen ut has quidem notationes largiamur vel posterius insertas vel sua sede motas esse, quid fiat his, quae post Titinii exemplum iterantur molestissime: *Terentius quoque in Phormione?* Quocirca nos demptum grammatico crimen in librarios transferimus. Quodsi in nostris Stichi Plautinae exemplis mss. excidisse aliquem versiculum conieceris: atque exciderunt revera, ut ex Ambrosiano codice deleticio appareret, versus longe plurimi et alia plurima turbata sunt: haec potuerit pristina species notationis Charisianae esse: *Publicitus. Plautus in eadem: . . . . . Terentius quoque in Phormione: Nonne hoc publicitus, ubi*

*) Sic enim in libris omnibus scriptum est, qui fluxerunt ex Calliopii recensione. Pro quo e Bembino codice recipiendum:

non hoc publicitus scelus hinc asportarier:

cuius scripturae nullum apud Faernum vestigium.

Digitized by Google

Celsus — statuam publicitus. Sed et Plautus — accipiar. Nec tamen celabo, parum omnem illam de perdito Stichi versu coniecturam placere magisque probabilem mea sententia hanc esse quanquam specie violentiorem emendandi viam, ut sic disiecta membra redintegrentur: *Publicitus. Titinius in Setina: Statui statuam publicitus. Terentius quoque in Phormione: Nonne hoc publicitus. Vbi Celsus, publicitus et claritus, inquit, [antiqui] dicunt, nos publice clareque dicimus. Sed et Plautus in Bacchidibus: —. Idem in Amphitruone: — publicitus hospitio accipiar. Plautus in eadem: An foris censebas nobis publicitus praeberier.* Hoc enim alterum in Amphitruone exemplum exstat IV, 2, 7, prius illud I, 1, 8. Ac proclive est intelligere, quomodo ex ascriptis in margine exemplis turbae istae ortae sint. Quod addidi *antiqui*, feci comparato Charisio p. 190, 16: *nam ita Aruntius Celsus, et addit: antiqui enim dicebant ardere pro amare.* Quibus ita uti, ut de *verbis priscis* Celsum scripsisse colligat, is poterit, qui iustos commentarios Terentianos ab illo abiudicatum eat. — Ceterum nihil profecit de Charisii verbis disputans Osannus Anal. crit. p. 193: nec plus nuperus editor.

§. 6.

Propter eiusdem Osanni quaedam verba tanquam praetericns addo Ateium Capitonem, clarum iureconsultum, cui etsi ille iustos in Plautum commentarios non tribuit, tamen non magis ut puto probabiliter Anal. p. 66 haec posuit: *Ateium Capitonem, quem in Plauti comoedias commentatum esse duo testantur Plinii loca H. N. XIV, 15 et XVIII, 28.* Pliniana quidem testimonia haec sunt, XIV, § 92 Sill.: *Lautissima apud priscos vina erant myrrhae odore condita, ut apparet in Plauti fabula quae Persa inscribitur, quanquam in*

Digitized by Google

ea et calamum addi iubet. Ideo quidam aromatite delectatos maxime credunt. Sed Fabius Dossennus his versibus decernit: Mittebam vinum pulcrum, murrhinam, *et in Acharistione* *): Panem et polentam, vinum murrhinam. *Scaevolam quoque et Laelium et Atteium Capitonem in eadem sententia fuisse video, quoniam in Pseudolo sit*: Quod si opus siet, ut dulce promat indidem, ecquid habet? CHAR. rogas? Murrhinum, passum, defrutum, mella. *Quibus apparet non inter vina modo murrhinam, sed inter dulcia quoque nominatum.* Alterum XVIII, § 107 hoc est: *Artoptam Plautus appellat in fabula quam Aululariam* [*in*]*scripsit, magna ob id concertatione eruditorum, an is versus poetae sit illius; certumque fit Atteii Capitonis sententia, coquos tum panem lautioribus coquere solitos, pistoresque tantum eos qui far pinsebant nominatos* **). *Nec coquos vero habebant in servitiis, eosque ex macello conducebant.* Atque hoc loco ne dictum est quidem, ad Plautinam fabulam vel certum Plautinae fabulae exemplum spectasse Ateii sententiam. Quod etsi cadit sane in priorem, tamen aegre intelligimus, cur parum sibi constiterit Osannus nec vel quemlibet scriptorem, qui Plautino exemplo quamlibet sententiam confirmare instituit, vel certe Scaevolam quoque Ateio iunctum et illum sive Laelium sive Aelium *commentatos esse* in Plautum dixerit. Ceterum non potest meo iudicio dubitari, quin nec *Laelium*, nec *L. Aelium*, quod placebat Heusdio, sed *Aelium* simpliciter Plinius posuerit, ut scriptum esse in codicibus episcopi Aleriensis e Rezzonico testatur Silligius. Quis enim ita grammaticum, qualis ille fuit L. Aelius cognominibus Stilo et Praeconi-

*) Vide supra disputata p. 105.
**) Hoc tetigimus p. 207.

Digitized by Google

nus, duobus sociari iureconsultis facile credat? Et hoc ut detur, quis medio loco inter hos interpositum, nec vel praemissum Scaevolae vel Ateio subiectum? Ergo cum tres requiri iureconsultos appareat, tamen nec Aeliorum Ictorum ulli *L.* praenomen fuit, nec Laelius huc Ictus quadrat cognomento Felix, de quo Heimbachius in Aelii Galli fragm. p. 44 cogitabat: quippe quem Hadriani aetati post Maiansium Fragm. XXX Ictorum vol. II, p. 208 et Bachium Hist. iurispr. Rom. p. 418 ed. VI. recte Heusdius tribuerit. Huc accedit, quae res non profecto exiguam vim habet, quod in ipsius Plinii auctorum elenchis XIV et XV libro praemissis (p. 54. 56 Sill.) bis reperimus *Scaevolam*, *Aelium*, *Ateium Capitonem*, hoc quidem ordine, positos sine ulla quod sciam librorum discrepantia. Quodsi, quem ex Aeliis Ictis Plinius dixerit, quaeris, facile intelligitur hinc alienos esse Paetos Catos, Publium et Sextum, ipsius Plauti aequales, immo aliquot ante editam Pseudolum annis consules. Sed praeclare huc Aelius Gallus convenit, Ateii Capitonis Augusto imperante aequalis: cui praenomen fuisse Caio optimi libri Gelliani docuerunt, Noct. Att. XVI, 5 *Caelius Gallus* exhibentes *). Huic autem et Ateio sat commode Mucius Scaevola praemittitur, non ille ut puto Publius P. F. Q. N. consul a. 620, nec Quintus Q. F. Q. N. consul a. 636, sed nisi fallor Quintus potius P. F. Q. N. consul a. 658, mortuus a. 670. Et Aelii quidem Galli in promptu sunt *de significatione verborum* libri, quibus usus sit Plinius.

*) Mirae sunt Maiansii p. 48 dubitationes, et *L. Aelium* Plinio ante Heusdium tribuentis, et cum ipso Gallo Stilonem miscentis, id quod aliis quoque plurimis accidisse constat: cf Muellerum in Varr. V, 18. 25, Merkelium Proleg. in Ovid. Fast. p. CIV sqq. — Sextum Aelium a Plinio dici Harduinus putabat in Indice auctorum.

Digitized by Google

Quanquam et de pistoribus coquisque et de vino dulcibusque per multarum quaestionum opportunitatem disputari ab iureconsulto potuit: frequens enim harum rerum in testamentis potissimum usus. Quod quidem ita esse certissimis testimoniis intelligitur, velut Paulli Sentent. rec. III, 6, 70 sqq.: *Servis amanuensibus legatis omnes, qui ad manum serviunt, debebuntur .... Muliones et institores inter urbana ministeria continentur: item obsonatores et vestiarii et cellararii et cubicularii et arcarii et coqui, placentarii, tonsores, pistores, lecticarii, stabularii.* Ibidem § 77: *Dulcibus legatis sapa, defrutum, mulsum, dulce etiam vinum, palmae, caricae, uvae passae debebuntur:* quibus conf. Digest. XXXIII, 6, 16 § 1. Imprimis huc pertinet Dig. XXXIII, 6, 9: *Si quis vinum legaverit, omne continetur, quod ex vinea natum vinum permansit. Sed si mulsum sit factum, vini appellatione non continebitur proprie* .... et quae sequuntur de *zytho, camo, cervesia, hydromeli, vino condito, oenomeli, passo, defruto, acinaticio, cydoneo, aceto* praescripta. Similes habes gravissimorum Ictorum de *penu* controversias apud Gellium IV, 1: de quo integer Pandectarum titulus ibid. 9 exstat. Et Ateii Capitonis praeter cetera praesto sunt *Coniectaneorum* libri, qui etsi ad ius videntur omnes pertinuisse, tamen iuris explicandi caussa talia quoque tractarunt, quae per se spectata non minus grammaticum sapiant quam iuris peritum, velut quae Gellius excerpsit XX, 2: *siticines appellatos, qui apud sitos canere soliti essent, hoc est vita functos et sepultos: eosque habuisse proprium genus tubae a ceterorum differens.* Quae exscripsit Nonius p. 54, cum veri autem grammatici, Caesellii Vindicis, sententiis Gellius illo capite composuit. Ceterum quemadmodum solo librariorum errore *A. Atteii Capitonis* Plinii lib. XVIII

Digitized by Google

legitur: satis enim constat praenomen ei fuisse *Caio*, et *A.* illud omittunt Regii Broterii, codd. Rezzonici cum ed. princ.: ita non magis nos morari illud potest, quod in elencho libri III exstat *L. Ateio Capitone*, eo id quidem suspectius, quo certiore lege in his quidem elenchis binorum nominum appellatione sese Plinius continuit. De quo moniti a Bergkio supra diximus p. 40. Cum autem in elencho libri XXXII *L. Ateius* redeat, de alterius autem Ateii, grammatici Philologi cognomine, praenomine quidem aliunde nihil constet: nescio an hic ipse Lucius fuerit vocatus, illic autem pro *L. Ateio Capitone* restituendum sit *L. Ateio, Ateio Capitone:* uterque Ateius ut hoc loco item significatus sit atque libri IV elencho cognomine utroque adiecto sic: *Ateio Capitone, Ateio Philologo.*

§. 7.

Semotis a scholiastarum Plautinorum numero Capro et Celso restant Scaurus et Sisenna. Et Q. quidem Terentium Scaurum ex Gellii Noct. Att. XI, 15 novimus nobilissimum Hadriani aetate grammaticum, Caesellii errorum acrem castigatorem, eundem *artis grammaticae* auctorem e Charisio p. 107, 46. 110, 11, praeterea Artis poeticae Horatianae interpretem ex eodem p. 182, 4. 188, 17. De Virgilianis Scauri commentariis dictum est antea: Plautinos nescire se fassus est Suringarus I, p 75 sq. quo iure Fabricius huc rettulisset. Eius autem dubitationis caussa non fuit alia nisi vix excusabilis Rufini Antiochensis ignoratio vel potius rarus Putschiani indicis defectus. Nam propemodum incredibile est, qui de scholiastis latinis scribere instituerit, non esse his praeclaris Rufini excerptis usum, ad Scaurum simul et Sisennam spectantibus, quae e p. 2711 P. vel 384 Gaisf. transscripsimus:

Digitized by Google

(1) *Sisenna in commentario Poenuli Plautinae fabulae sic: Halonium Poeni dicunt deum et producenda syllaba metri gratia exigit iambus.*

(2) *Scaurus in commentario Plauti in Pseudulo dicit: Malai διαίρεσις metri causa.*

(3) *Scaurus in eadem fabula sic: Nunc iam: iam divisit in duas syllabas metri causa.*

(4) *Sisenna in Rudente sic: Fuit extente prima syllaba metri causa. Et postea sic: Habiliore metro usus est, ut solet in mulierum oratione. Postea sic: Latronem producit metri causa.*

(5) *Idem Sisenna in Amphitryone sic: His quattuor generibus quintum accedit, de genere versuum qui non sunt uniusmodi.*

(6) *Idem Sisenna in Captivis sic: Hic ornatus litteram metri causa amisit.*

(7) *Idem Sisenna in Aululari sic: Haec scena anapaestico metro est, sed concisa sunt ut non intelligas.*

Quae etsi in Pseudolum tantum scriptum a Scauro commentarium testantur, tamen multo veri est similius, reliquarum quoque fabularum vel certe quarundam illum interpretem egisse, quam in una sole substitisse. Ceterum prius illud Pseudoli exemplum *malai* hodie nec exstat nec propter aliquam corruptelam latere in iis, quae aetatem tulerunt, scenis videtur, sed petitum esse ex prologo, cuius iam IV vel V saeculo fabula iacturam fecerat, quandoquidem ne Ambrosianus quidem liber praeter duos extremos versus quicquam illius prologi tenuit. Nam quod inventus est, qui hos ipsos duos versiculos satis esse ad explendum iusti prologi munus sibi persuaderet: (vid. Niebuhri Opusc. hist. et phil. I, p. 169 sq.:) id quidem nunquam potui satis demirari.

Digitized by Google

Altera Scauri notatio a Rufino servata, quae quidem in re satis trita versatur, ad unum pertinet e quattuor Pseudoli locis hisce: I, 1, 116:

dabo: *molestus nunc iam ne sis mihi.*

I, 5, 82:

peccatan' ea sunt? animum advorte nunc iam: sic enim recte Bothius pro eo quod est in libris *peccata mea*. Deinde I, 5, 133:

indice ludos nunc iam, quando lubet.

I, 5, 144.

agite, amolimini hinc vos intro nunc iam: ubi etsi in longe plurimis codd. *amovemini* est, illud tamen cum Vetere testatur Ambrosianus.

§ 8.

E quinque fabularum commentariis Sisennae afferri fragmenta vidimus. Quem non diversum esse a clari nominis oratore, rerum Romanarum scriptore, Milesiacorum Aristidiorum interprete L. Cornelio Sisenna, communis sententia G. I. Vossii de hist. lat. I, c. 10, Krausii Vit. et fragm. hist. Rom. p. 303, Suringari I, p. 75 fuit. Nec nos habemus cur dubitemus. Nam nec grammatici ullius Sisennae ullum praeterea vestigium exstat, nec aetatis rationes repugnant, nec alienum est studiorum genus. Doctum enim virum et studiis optimis deditum appellat Cicero Brut. c. 64, emendatorem sermonis usitati esse voluisse, nec detcrreri, quo minus inusitatis verbis uteretur, potuisse idem testatur c. 74. Qui quod non multi illum laboris fuisse addit: id etsi Cicero voluit de caussis dicendis intelligi, tamen forsitan etiam in Plautinos commentarios cadat, qui ignoramus quam diligenter conscripti fuerint. De aetate autem Sisennae subtilius quam ab Ellendtio Proleg. in Cic. Brut. p. CII et probabilius quam ab

Digitized by Google

Weicherto Poet. lat. reliq. p. 99 sqq. factum erat, Madvigius disputavit Opusc. p. 100: omnium autem diligentissime C. L. Rothius in Vita Sisennae Basileae edita a. 1834. *) Et medio quidem saeculo V. C. septimo, quo pertinet Sisenna (a. circiter 634 natus, mortuus a. 686), quae condicio fuerit non dicam litterarum, sed disciplinae grammaticae, qui flos et vigor omnis eruditionis philologicae, tam accurate idem ille Madvigius p. 106 sq. descripsit et tanquam ante oculos posuit **), ut ne de L. Cornelii Sisennae quidem in Plautum commentariis quicquam dubitationis relictum esse videatur. Sed ceteri etsi similem Sisennae in singulis verbis rimandis operam posuerunt, tamen qui continua annotatione aliena scripta illustrarit, L. Sisenna priorem inter Romanos scio neminem. De iis scriptis loquor, quae artis sunt, non scientiae, nec ad vitae usus magis quam ad liberalium hominum oblectationem spectant. Nam de XII Tabularum explanatione L. Aelii eoque etiam antiquioris L. Acilii, deque eiusdem Aelii illius in Saliaria carmina commentariis non licet sane dubitare. Sisennam autem id praestitisse scripto videmus, quod ante eum ore fecerant grammatici: quos quidem *carmina parum adhuc divulgata diligentius retractasse atque in magna* audientium *frequentia legendo (pronuntiando) commentandoque etiam ceteris nota fecisse* Suetonius de illustr. gramm. c. 2 testatur, exemplis usus C. Octavii Lampadionis, Q. Vargunteii, Laelii

*) Neque enim digna visa, quae supra commemoraremus, *Sisenniana* hoc ipso anno Thoruni edita, e quibus nihil discitur, nisi quid non didicerit, qui e. c. talia scribere non erubuerit: *Sulla adhuc vivente, quo tempore metus ante dominum et adulandi studium historicam veritatem frangeret ac debilitaret* (p. 26). — (Adde Meyeri Fragm. orat. p. 356. ed. II.)

**) Cf. Diss. III.

Digitized by Google

Archelai Vectiique Philocomi *), Naevianae, Ennianae, Lucilianae poesis interpretum.

§. 9.

Accedimus ad ipsa commentariorum fragmenta Sisennae.

(1.) Pertinet prima annotatio ad Hannonis verba Poenuli V, 1, 1. *Halonium* autem non est credibile Sisennam scripsisse, cuius haec potius fuerint: *Alonim] alon Poeni dicunt deum.* In proximis, nisi forte plura turbata sunt, nescio an ferri possit: *et producendam syllabam metri gratia exigit iambus.* Haec autem non video quo spectare possint nisi ad productam *alonim* vocis antepaenultimam. Ac descripsit certe, qui de Punicis Plautinis nuper commentatus est, Wexius p. 20 Hannonis verba ad iambicorum numerorum normam hoc exemplo:

⏑ ˊ ⏑ – ⏑ ˊ ⏑ –
yth alonim vealonuth.

Quod si ita revera instituerit poeta, apparet *alonim* voce Romanorum aures assuetas fuisse ita pronuntiata, ut accentus vi in ultimam syllabam cadentis duae priores corriperentur: prorsus ut fit in Hebraeorum *elohim* **). Quam autem vellemus ex Punicorum illorum interpretatione Sisennae plura servata essent.

(4.) In Rudente Sisenna *fuit* repperit *extenta prima syllaba metri causa:* sic enim corrigendum. Atque in Veneta editione est *extrita.* Circumspicientibus au-

*) *Vectiique Philocomi*, non *Vectii, Q. Philocomi*, id quod demonstravimus p. 195. Illud mirere etiam diligentissimum Orellium servasse Horatii vol. II, p. 185.

**) Assentitur Wexius Mus. philol. vol. II, p. 131 sq Cf. ib. p. 160.

Digitized by Google

tem nobis in tota Rudente unus tantum locus apparuit, ad quem pertinere Sisennae scholium potuerit. Est is I, 1 v. 4 sic scriptus in nostris libris omnibus:

non véntus fuit, verum 'Alcumena Euripidi.

Quem hac potius forma legisse Sisennam oportet: *Non véntus fuit, vérum Alcmena Euripidi.* *) Valde autem hoc memorabile documentum est corruptorum iam antiquissimo tempore exemplarium Plautinorum: neque enim trisyllabam formam *Alcmena* novit poeta. Memorabile etiam hoc, non de *fuvit* sed *fuit* forma Sisennam loqui (cf. Prisc. X, 2, 12): quode Muellerus in Varr. IX, 104 ea nuper annotavit, quibus minime dirempta videri illa controversia potest.

In eadem fabula cum *habiliore metro usum* esse poetam idque *solere in mulierum oratione* facere Sisenna annotat, hoc quo pertineat difficile dictu est. Quid enim esse habile metrum dicamus? Deinde autem, quo certo metro aut quibus metris (si forte complura comprehenderit habilium nomine) Plautum in mulierum potissimum oratione usum putabimus? Sed ta-

---

*) Recte fecit quod mihi non credidit A. Fleckeisenus Exercit. Plaut. (Gotting. a. 1842) p. 52, quanquam verum ne ipse quidem assecutus. Verba eius haec sunt: *Nisi ad alium locum Rudentis fabulae, qui aut in nostris libris corruptus aut omnino perditus est, illud scholium spectat, multo probabilius . . . . . ego corrigere mihi videor fui, ut Sisenna observationem illam rettulerit ad Rud. I, 3, 43 Reis.:*

Libera ego prognáta fui máxume, nequícquam fui.

Non opus est hac mutatione. Rem acu tetigit G. Hermannus, humanissimis ad me litteris datis Sisennae annotationem referens ad Rud. IV, 4, 61, quem sic scriptum repperisse Sisennam:

Haéc Athenis párva fuit virgo surpta. dic mihi.

Nihil hanc coniecturam confirmare certius potest quam numerorum pravitas proditae in codd. scripturae: *Haéc Athenis párva fuit virgó surrepta. dic mihi:* cui transpositis *virgo fuit* consulere Reizius instituebat.

Digitized by Google

men hoc ipsum eo sane nos ducit, ut aut de actus I tribus scenis ultimis aut de III, 3 cogitemus, quae solarum sint mulierum. In quibus quattuor scenis cum magna sit varietas numerorum, tamen unum tantum est genus quoddam, quod redeat in omnibus: quod est creticum. Vt ex his quattuor unius fabulae exemplis potius quam ex universa poesi Plautina illud collegisse Sisenna videatur, quod de mulierum oratione narrat. Habilius autem creticum genus dixit cum iis versibus comparatum, quos illud excepit. Ei in III, 3 nulli sunt, bacchiaci in I, 5, quorum non est maior quam creticorum difficultas. Sed in reliquis duabus scenis qui praecedunt, ii quam sint non expediti, vel ex eo cognoscitur, quod, quos in I, 4 Reizius posuit trochaicos, anapaesticos. Hermannus dixit Elem. p. 315, similisque etiam de I, 3 discrepantia est. Ad alterutram igitur scenam Sisennae illa annotata fuisse arbitramur *).

Non expeditior tertia in Rudentem annotatio est, qua *latronem produci metri causa* observatur. Non enim exstat haec vox in illa fabula, nec videtur potuisse exstare, cum ab ipso argumento militis commemoratio aliena sit: nam milites (mercede conductos), nunquam praedones Plauto esse *latrones* satis inter omnes constat. Quantumvis autem dubitationis ipsa illa productio

*) De *habiliore metro* operae pretium est Hermanni cognoscere sententiam, cuius ipsa verba subieci: „Was Sisenna *habilius metrum* nennt, sind wohl allerdings besonders die Cretici und Bacchiaci, da diese meistens ganz leicht fliessen. Wenn er diese den Weibern beilegt, so konnte er ausser dem Rudens noch auf die Bacchiacos Amph. II, 2. Aul. II, 1. Cas. V, 1. Cist. I, 1. Bacch. V, 2. Poen. I, 2, auf die Creticos Curc. I, 2. Cas. II, 2. III, 5 Rücksicht genommen haben, wie auch auf manche Scenen, wo diese Versarten noch in Unordnung liegen. Vielleicht erstreckt sich aber die Benennung auch noch weiter. So passt sie auch auf die iambischen Dimeter Amph. V, 1."

Digitized by Google

brevis syllabae in Plautino quidem versu habeat, tamen non inepte fortasse videbimur hoc in loco alius exempli Plautini recordari, quod per se satis singulare est. Omnium enim librorum memoria in Curculionis IV, 3, 16 prodita haec sunt:

TH. nec mihi quidem libertus ullus est. LY. facis sapientius,
quam pars lenonum, libertos qui habent et eos deserunt.

Ibi cum nullo modo defendi posse lenonum mentio videretur Lambinusque expetisset *militum*, convenientius arti Ianus Dousa Plaut. Explan. I, 24 proponebat *latronum*, eiusque coniecturae veritatem persuasit Taubmanno, Pareo, Grutero, Gronovio, Bothio. In eo nobis offensioni semper fuit producta positionis vi brevis vocalis: quod enim de *agro, agrum* formis verissime Hermannus annotavit Praef. in Trinumm. p. XV sq., id patet latius et in universum genus cadit *). Quid autem, si ex ipso illo Sisennae scholio aliquantum auctoritatis Dousae coniecturae accedat? siquidem in hanc speciem illius verba haud incommode redintegrentur: *ut solet in mulierum oratione. Idem in Curculione sic: *** Postea sic: Latronum* e. q. s. Ita quidem

*) Vno, sed eo imprimis apto exemplo ostendam, quam et quantam illa observatio vim possit ad gravissimas quaestiones expediendas habere. Nam cum prologo Hautontimorumenu triplex exstet sive in codicibus sive in criticorum commentariis versus 5 scriptura:

Duplex quae ex argumento factast duplici:
Duplex quae ex argumento factast simplici:
Simplex quae ex argumento factast duplici:

continuo apparet falsam esse primam et tertiam quamvis ab ipso Bentleio defensam. E quo tamen nolo hoc consequens esse, a poeta profectam esse mediam formam huius versus, quem totum esse insiticium G. Ihnius vidit Quaest. Terent. p. 42.

Digitized by Google

satisfactum esse Sisennae fidei videri potest: non potest Plautinae arti et elegantiae. Rationem desideramus prosodiae praeter certam consuetudinem variatae. Vix enim huc accommodari illud poterit, quod in similis soni verbo *latrare* factum post Vossium Aristarch. II, 16 p. 222 C. L. Schneiderus Gramm. lat. I, 1 p. 680 statuit: cuius quidem verbi prima syllaba antiquitus videtur pro longa fuisse ac posteriore demum aetate in falsam talium societatem a poetis esse ascita, qualia sunt *pătris*, *pharĕtra*. Nec certe necessario correptae in *latrones* voce antepaenultimae Plautinum exemplum exstat praeter Stich. I, 2, 76:

vosne latrones et mendicos homines magni penditis?

idque ipsum ambiguum propterea, quod ad similitudinem *vin, audin* formarum ex *visne, audisne* contractarum potuit fortasse etiam *vosne* una syllaba si minus scribi, at pronuntiari, praesertim cum aliquid molestiae ille dactylus haberet. Sed tamen nec cum *latrare* verbi stirpe quicquam commune habent *latrones*, nec ab alia radice ulla, cuius quidem longa sit vocalis, duci posse *latro* videtur: sive cum Varrone cogitas de *lateribus*, sive de *latendo* cum Prisciano IV, 2 p. 144 Kr., sive Varronis, Festi Serviique sententiae cedis veri omnium simillimae, qui e λάτρον, λατρεύειν ortum perhibent.*)

(5.) Verbis aliquantum perplexis, sed plana tamen sententia testatus est Sisenna in Amphitruonis aliquo loco *quattuor generibus versuum accedere quintum*,

*) De hoc scholio Sisennae haec ad nos Hermannus perscripsit: „*Latronem* könnte Sisenna wohl im Commentar zum Rudens nicht aus diesem Stücke, sondern in einer gelegentlichen Anführung des Wortes aus dem Curculio erwähnt haben. Unrecht aber hat er dennoch, da gewiss Plautus die erste Sylbe nicht wird lang gebraucht haben."

Digitized by Google

eorum quidem, *qui non sint uniusmodi.* Non putamus quenquam dubitaturum, quin scena prima illius fabulae significetur, in qua cum quattuor generibus simplicibus h. e. iambico, bacchiaco, cretico, trochaico, ii versus coniuncti sunt, quos a Sisenna ut videtur non intellectos Hermannus demum Elem. doctr. metr. p. 393. 459 partim anapaesticis partim Sotadeis numeris disposuit. Creticos autem et trochaicos cum dico, non dico illos, quos ad haec genera Lindemannus rettulit v. 25 (vulgo 22) sqq., qui nescio an sic scribendi sint:

satiúst me queri illo modó servitútem:
qui hodié fuerim líber,
eúm nunc potívit patér servitútis.
hic quí verna nátust conquéritur.
SO. sum véro vere vérbero: nam número mi in
mentém fuit:

sed de v. 69 (64) sqq. et 112 (107) sqq. cogito. Quae si recte disputata sunt, apparet iam proximo post poetae aetatem saeculo parum perspectas numerorum Plautinorum rationes fuisse. *)

(6.) Mira est eius quoque ratio notationis, quae ad Captivos spectat. In qua fabula bis reperitur *ornatus* vocabulum, II, 3, 87:

ét tua et tua húc ornatus réveniam ex senténtia:

et V, 3, 20:

séd eccum, incedit húc ornatus haúd ex suis virtútibus.

Quid autem hoc esse dicamus, quod, cum abiectae in fine vocabulorum *s* litterae sescenta apud Plautum exem-

*) „Ueber das *quintum genus metri* im Amphitruo wird sich wohl nichts ausmachen lassen, da die Bemerkung sich auf eine der verloren gegangenen Scenen beziehen könnte. Betrifft sie aber eine der noch vorhandenen, so erwarte ich erst die nöthige handschriftliche Hülfe.“ Verba sunt eiusdem Hermanni.

Digitized by Google

pla exstent, tale affertur, in quod illa elisio cadere nullo pacto possit? Quid enim magis legitimum, quid elegantius illis e Captivis versibus? Ecquis vero Sisennam integerrimum versum putabit velut hoc modo corruptum legisse:

ét tua et tua húc ornatu' revénero ex senténtia —?

An rursum de elapso e nostris libris versiculo cogitabimus deve Rufinianorum verborum lacuna? Viderint alii: ego non expedio. Hoc unum video, de vulgata quidem apud Rufinum scriptura videri *s* illud in Sisennae exemplari Plautino revera omissum fuisse. Quanquam si scripserit Sisenna: *Hic ornatus s litteram*, possint haec fortasse etiam ita accipi, ut in chartis plene perscriptum *ornatus* dicatur *s* litteram tantum pronuntiantis ore amisisse. *)

(7.) Aululariae scenam, cuius anapaestica metra Sisennae tam concisa visa sunt ut non intelligeret, esse act. IV, 9 Hermannus vidit Elem. doctr. metr. p. 411 sq., cuius haec sunt verba: *quodsi homo Romanus iam ita iudicavit, tanto aequiores arbitros nobis fore speramus, cum scenam istam restituere numeris suis conabimur.*

§ 10.

Pertractavimus Sisenniana fragmenta a Rufino servata. Quibus nunc accedant, quae Charisius me-

*) De hoc sic Hermannus iudicavit: „Das *ornatu'* glaube ich ist wirklich auf Capt. V, 3, 20 zu beziehen. Denn obwohl Plautus gewiss nicht das *s* vor einem Vocal weggeworfen hat, scheint doch Sisenna das geglaubt zu haben. Und hieraus lässt sich erklären, warum er diese sonst so gewöhnliche Wegwerfung gerade hier erwähnt hat. Freilich beweist das keine besondere Kenntniss der Metrik und Prosodie: aber die Bemerkung über die Scene der Aulularia verräth ja schon, dass ihm das richtige Lesen der Verse nicht hat gelingen wollen."

Digitized by Google

moriae prodidit vel Iulius Romanus potius, longe ea expeditu faciliora. Sunt autem quattuor haec, iam a Suringaro p. 73 excerpta:

P. 178, 37 *EXAMUSSIM. Plautus in Amphitryone: Examussim est optima. Vbi Sisenna, pro examinato, inquit; amussis autem est tabula rubricata, quae demittitur examinandi operis gratia, an rectum opus surgat.*

Plauti verba sunt II, 2, 213, allata etiam a Nonio p. 9, 10 cum similibus.

P. 182, 43 *LVCI. Plautus in Amphitryone: Hoc luci. Vbi Sisenna: quaecunque nomina E littera ablativo singulari terminantur, I littera finita adverbia fiunt, ut mani.*

Est Amph. I, 1, 11, ubi *lucis* unus Florentinus. Vide Hartunguum de casuum form. et potest. p. 183.

P. 196, 10 *TVATIM. Plautus in Amphitryone: [Iam tuatim facis.] Vbi Sisenna: ut nostratim; significat autem tuo more.*

Tuatim ex eodem versu II, 1, 4 protulit Nonius p. 179, 30. Adverbiorum in *tim* (vel *sim*) exeuntium amantissimum ipsum Sisennam in historiarum libris fuisse Gellius testatur XII, 15.

P. 196, 16 *TRACTIM. Plautus in Amphitryone. Vbi Sisenna, pro lente, inquit, non ut Maro, pro iugiter, quarto Georgicorum: tractimque susurrant [inquit].*

Hoc quoque exemplum (I, 1, 157) Nonius habet p. 178, 27. *) Quodsi eidem Sisennae Iulius Romanus ea de-

*) Hinc, nisi fallimur, coniectura fieri potest, qualibus e fontibus pars copiarum Nonianarum fluxerit. De quo nihil Gerlachius suspicatus est in eorum fontium recensu, quibus Nonium uti potuisse narravit praef. p. XIX sq.

Digitized by Google

beat, quae e veteribus commentariis sumpta coniecimus Diss. VII, § 7, haec dico p. 184, 7: *Plautus in Bacchidibus*: *Edepol ne tu illorum mores perquam meditate tenes. In quibusdam non feruntur*: consequens etiam hoc sit, non solius Amphitruonis commentarios Sisennianos illius in manibus fuisse.

§ 11.

Noverat autem sive Sisennae sive Scauri sive utriusque commentarios uno ante Rufinum saeculo, compluribus post Romanum (cf. Osann Symb. II, 330), etiam D. Hieronymus, cuius non dubito quin ad illos potissimum haec verba spectent Apol. adv. Rufin. I, p. 367 vol. IV ed. Martian.: *Puto quod puer legeris Aspri in Virgilium et Salustium commentarios, Vulcatii in orationes Ciceronis* *), *Victorini in dialogos eius, et in Terentii comoedias praeceptoris mei Donati, aeque in Virgilium, et aliorum in alios, Plautum videlicet, Lucretium, Flaccum, Persium atque Lucanum.* — Hodie vero tametsi non tantum singulae verborum interpretationes, sed etiam continui integrarum fabularum commentarii, praeterea satis memorabile glossarium quoddam in certis codicibus Plautinis exstant, et in his quaedam ex antiquis sane fontibus (sed iis nunc pridem editis) hausta, tamen scholiastis quidem Plautinis veteribus horum omnium nihil debetur **): immo vel XV, vel etiam prioribus saeculis a doctis indoctisve hominibus aut excogitata aut e grammaticis aliisque antiquitatis scriptoribus corrasa sunt omnia. Quo pertinet etiam illud, quod e Florentino, nisi fal-

*) Vide supra p. 241.

**) Cf. tamen Diss. VII, § 7.

Digitized by Google

lor, codice excerptum, eoque longe et uberrima et doctissima scholia tenente, Osannus Symbol. II, p. 302 commemoravit: quod quidem acceptum refertur Charisio p. 38. Sed de his, quoniam ad veteres Plauti interpretes nihil pertinent, commodior erit in Diss. XIII commentandi locus.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIO VII.

DE

PLAVTI BACCHIDIBVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE PLAVTI BACCHIDIBVS. *)

§ 1.

Inter Plauti fabulas quae aetatem tulerunt viginti cur nonum locum Bacchides obtineat, probabiliter nuper significatum est Muelleri in Varron. de ling. lat. annotatione p. 304. **) Et universum quidem fabularum ordinem neminem unquam fugit ex grammatica litterarum serie aptum esse. Quod disponendi genus satis veteribus usitatum praeter alia ab Welckero commemorata Prolegom. in Theognid. p. CV, in Anthologia Graeca post Iacobsium Passovius demonstravit, ad Ciceronis adeo orationes Niebuhrius accommodavit. ***) E compluribus autem formis illius generis, de quibus post Rankium Comm. de Hesych. p. 70. 84. ipse egi Proleg. in Thom. Mag. p. XV sq., unam eamque minime raram scimus hanc fuisse, ut neglectis reliquis prima quaeque singularum vocum littera spectaretur sola. Quocirca etsi non est quod miremur nominum hos ordines: Captivi, Curculio, Casina (nisi quidem Sam. Pe-

*) Edita Vratislaviae a. CIↃIↃCCCXXXVI.

**) Eadem duobus ante saeculis Marollii coniectura fuit, ut praefatio editionis in usum Delphini paratae p. XX testatur.

***) Cf. supra commemorata annot. p. 322.

Digitized by Google

titi inventum arriserit Canissam substituentis ioculariter Miscellan. II, c. 19), Cistellaria: Mostellaria, Menaechmi, Miles, Mercator: Pseudolus, Poenulus, Persa: Bacchides tamen non videtur alia caussa exputari posse cur mediam inter Epidicum et Mostellariam esse, quicunque hodiernum ordinem instituit, voluerit, nisi quod vel seiungere ab Epidico vel huic adeo praemittere eam fabulam vereretur, in qua tanquam prius editae Epidici ipsius mentio fieret II, 2, 36:

Non erus, sed actor mihi cor odio sauciat.
Etiam Epidicum, quam ego fabulam aeque ac me ipsum amo,
Nullam aeque invitus specto, si agit Pollio.

Vbi nunc non ausim defendere in libris mss. proditum *Pellio*, pro quo editiones Aldo priores tenent *pelio*, *Pollio* autem e Symmacho (vid. sup. p. 256. 262. 336) correxit Gulielmus Plaut. Quaest. in Bacch. c. I, p. 150, quem secuti sunt Bothius et Windischmannus Mus. phil. Rhen. I, p. 112. Dubia per se vis est comparati a Gulielmo *Apellinem* ap. Fest. p. 22 M.: alienissimum Prisciani I, 6, 34 p. 33 Kr. *compes* pro *compos* allatum a C. L. Schneidero Elem. gramm. lat. I, p. 12: aliquanto rectius congruere Festi p. 100 glossae *helus*, *hemo* pro *holus (olus)*, *homo*, rem conficere illud videri possit, quod gentilicii nominis non tantum *Pollius*, sed etiam *Pellius* forma reperitur in Gruteri Inscriptionibus, eis exemplis quae consignata habes in Scaligeri indice p. CCXXXIII: sed nihilo tamen magis talia Plautinae quidem vel aetati vel artis indoli tribuenda sunt, in tanta praesertim codicum depravatione Plautinorum. Illuc ut revertar, ab ipso Varrone profectum esse totum, qui hodie obtinet fabularum Plautinarum ordo, aegre persuaserit Muellerus. Qui etsi Varronem lib. VII de ling. lat. § 107 et 108 in commemorandis

Digitized by Google

Naevii fabulis secutum esse litterarum ordinem initialium coniecit non sine magna veri specie *), tamen de Plautinis disserens ideo minus mihi satisfecit, quod, qui temporum rationi tantum tribuisse putatur, ut tam gravi inconstantia simplicis ordinis concinnitatem turbaret, profecto eandem temporum normam videtur ad universi generis dispositionem adhibiturus fuisse. An quis dubitabit, quin potuerit, ut voluisse aliquantisper statuamus, certa annorum descriptione, si non omnes, at plurimas fabulas, earum potissimum plurimas, quae nunc superstites sunt **), Varro definire? cui praesto fuerint L. Attii, natu maioris quidem, sed eiusdem etiam aequalis poetae et amici, Didascalicon libri Graecorum exemplo compositi, de quibus post praeclaram ***) Madvigii disputationem (Opusc. acad. p. 87 sqq.) nihil iam controversiae superesse credo; qui praeterea ipse non tantum de poetis, de scenicis originibus, de comoediis Plautinis, sed etiam de actionibus scenicis dedita opera quaesierit et singulis commentariis exposuerit; eas denique fabulas, quarum vel nobis duae servatae didascaliae suppetant. Quare si quid video, aut alio omnino ordine superstites Plauti fabulas Varro disposuit: nam

*) Cf. tamen Ott. Iahn. in Mus. phil. III, p. 140.

**) Id quidem eam ob caussam, quae significata est Diss. III, p. 117 sq. E qua dissertatione plenius, quas hoc genus universum cautiones habeat, cognoscere licet.

***) Praeclarum cum dico, discedo ab uno loco p. 109, ubi Attii apud Nonium p. 150, 12 tetrametros potuisse hos esse credidit:

Et eo plectuntur poetae, quam suo vitio, saepius,
Ductabilitate nimia vestra aut perperitudine.

Nam de *tertia vocis ductabilitate syllaba ictu producta* fefellit eum opinio. Scribe:

Aut ductabilitate nimia vestra aut perperitudine.

Nisi quidem ulterius continuata oratione a *Quod* vel *Cum* vel *Vt* versus incipiebat. (*Aut* adiiciendum esse etiam Hermannus vidit de Att. Didascal. p. 3.)

Digitized by Google

superstites XX cum Vidularia quin ipsae illae XXI Varronianae sint, non video cum Grauerto (Diar. scholast a. 1828 p. 1166 et Anal. hist. et philol. p. 130) dubitandi rationem: aut, quod amplector lubentius, ne Bacchides quidem ex reliquarum societate exemit, sed ante Captivos collocavit. Vnde posteriore demum tempore avulsa religiosi sive grammatici sive librarii sedulitate locum post Epidicum invenit. Quod num iam saeculo p. Ch. quinto factum sit, quo antiquissimum librum Ambrosianum postea rescriptum, quem Antoninorum aetati liberalius tribuerat Angelus Maius Plaut. Fragm. p. 10, modestius Niebuhrius rettulit Opusc. hist. et philol. p. 174: ex Maii quidem narratione non apparet *). Sed factum sit oportet ante ea tempora, quibus dirimi in duas partes Plauti fabulae coeptae sunt, quarum altera octo fabulas nunc priores ab Amphitruone ad Epidicum complectens nulla aetate non legi describique solita est, altera a Bacchidibus pertinens ad Truculentum per quingentos ut perhibetur annos delituit, soloque Germanicorum beneficio coenobiorum ab interitu vindicata, saeculo demum XV Italis hominibus, ut accuratius Musei philol. Rhen. IV, p. 154 sq. exposui, denuo innotuit.

§. 2.

Facile intelligitur, si alterius Plautinarum fabularum voluminis initio collocata Bacchides erat, quomodo eius comoediae ipsum caput perire potuerit **). Quem-

*) Tum quidem nondum factum esse nobis apparuit Ambrosianum codicem tractantibus: de quo monuimus Diar. antiq. stud. a. 1837, p. 744.

**) Haec caussa perditi fabulae principii etsi videri poterat sat magna probabilitatis specie commendari, tamen nunc non dubito,

Digitized by Google

admodum Varronianarum XXI unam, Vidulariam, item novimus non aliam ob caussam intercidisse, nisi quod extremum locum teneret voluminis Plautini temporum iniuria laceri facti. Deesse autem Baechidibus aliquantum ad integritatem, inde ab saeculo XV creditum est. Quod quidem primum inscriptio fabulae testatur, *Bacchides Dimidiatae*, quae est in Bartholomaei Schobingeri Ieti codice apud Pareum, editionibusque a Merula ad Aldum omnibus, nisi quod levi lapsu in Venetis a. 1511 et 1518 est *Bacchides Dimiatae*. Haec inscriptio quomodo accipienda sit, docent antiquiorum interpretum notationes Bernardi Saraceni et Ioannis Baptistae Pii. Ille enim argumento ab semet facta haec praemisit: *Haec una de duodecim comoediis postremo habitis caret principio et in plerisque locis dimidiata est ut reliquae subsequentes: quae hoc nostro pro suo contenta erit argumento.* Pius autem enarrato omni Bacchidum argumento primum haec subiicit barbaro ut assolet sermone, quae sane ad finem potius videntur quam ad initium fabulae spectare: *Sed ut poetarum festivissimus et amabilissimus est plautus reliquit inabsolutam ut puto comoediam scilicet exemplum secutus apellaeum: qui opera graphice et consummatissime polituras semipolita posteritati commendavit ut superesset artifici regressus ad veniam: et ut daret existimandum quod et quantum fuisset opus ni mortis intempestivitas obstrepuisset: et artifici ad sequiora tendentem interpellasset.* Paullo autem post sic pergit: *Inditium quod haec fabula dimidiata sit est Nonnius Marcellus: qui in bacchidibus plautina fabula citat*

---

quin rectius cum Marollio credatur communi iactura finis Aululariae et insequentis fabulae initium perisse. Cf. Diss. XI et XIII.

Digitized by Google

haec carmina: quae non exstant. Limaces viri: quos dictos autumat quod atterant et consumment: et hoc: quibus ingens in animo nobili modicum sine vernulitate: et hoc praenestinum opino esse ita erat gulosus: haec omnia desunt in tritis exemplaribus. Apparet vetustissimorum editorum sententiam hanc fuisse, ut ferme dimidiam partem Bacchidum deesse existimarent, et ab initio quidem ut puto fabulae deesse, quandoquidem vel Argumentum versibus astrictum, quo reliquarum nulla fabularum caret, desideraretur oportebat. Nec discrepans Pii fuit iudicium. Qui etsi ambigua sententia dimidiatam vocare fabulam videri potest: tamen ex iis, quae infra § 4 afferentur, intelligitur non alio in loco nisi ab initio mutilam habuisse et ad hanc partem deperditam versus ab Nonio servatos rettulisse. Sed Saracenum non item est ambiguum aliquantum diversam in sententiam *dimidiatus* vocem interpretatum esse. Is enim cum principium fabulae desiderat, significare solum argumentum videtur; cum autem etiam aliis in locis plerisque dimidiatam iudicat ut reliquas subsequentes, de universa condicione cogitat posteriorum XII comoediarum, easque in codicibus peius habitas magisque quam priores octo esse mutilas et truncatas significavit. Eodem prorsus modo de Plauti *fabulis dimidiatis* iam in edit. princ. praef. Merula locutus erat. Quem *dimidiatus* vocabuli significatum, ut sit simpliciter *divisus, sectus*, etsi ex Tertulliano firmare velle Ducangius videtur Gloss. med. et inf. lat. II, p. 1506, tamen in illis quidem duobus exemplis, quae sunt de carne Christi c. 5 *(quid dimidias mendacio Christum?)* et adv. Marc. I, c. 24 *(unde haec dimidiatio salutis?)* de bipartita tum Christi natura tum salutis condicione agitur. Prorsus autem singulare est, quod eius prologi auctor, ad quem iudi-

Digitized by Google

candum statim accedemus, geminas sorores Bacchides *dimidiatas* dixit u. 50.

§ 3.

Eorum, quae antea disputavimus, veritas eo arguitur, quod brevi interiecto temporis intervallo Bacchides prodiit amplis redintegrata videlicet supplementis, nec extremae fabulae subnexis nec insertis mediae, sed in ipso capite collocatis. Quae enim vulgo praemissa feruntur Argumentum, Prologus et Scenae primae septem et viginti versus priores, ea primus vulgavit in Iuntina prima a. 1514 Nicolaus Angelius, idque in praefatione ipse his testatur: *Hoc de plurimis vere licet gloriari quod nos omnium primi quos legerimus prologum bacchidibus Dimidiatis et primi actus initium diligentia nostra repertum restituimus.* Vere autem illa ab Angelio reperta dici nec esse ab ipso facta, documento vel hoc esse potest, quod versum a fine quartum cum lacuna, qualem in chartis eum invenisse apparet, typis repeti iussit:

Si astartan on Bromion, Deosque voluptarios.

Quod quominus callide institutum suspicere dissimulandae fraudis caussa, Angelii additamenta reputes ab ipso editore inscribi *Argumentum subditivom, prologus subditivos, Scena itidem subditiva.* Repertis igitur in aliquo codice supplementis quaeritur quae sit fides tum habita tum habenda. Ac proximo quidem intervallo Iuntinam excipiens Venetae a. 1518 editor Lucas Olchinensis Canonicus quam illis nihil tribuerit, testatur ipsa litterarum dissimilitudo, quibus ea exprimi curavit seiuncta ab reliquorum continuitate; prorsus omiserunt Aldus eumque secuti Cratander in Basileensi a. 1523, Stephanus in Parisina a. 1530, item Lambinus; Giber-

Digitized by Google

tus autem Longolius etsi in Colonienses a. 1530 et 1538 (e quibus pependerunt Hervagii Basileenses a. 1535 et 1550, Gryphiique Lugdunenses a. 1535. 1537. 1540) recepit, tamen ne quis falleretur, cavit his verbis: *Argumentum sequens cum prologo et primi actus initio, quoniam carmina illa non satis redolere Plautinam elegantiam nobis visa sunt, subditicia putamus.* Ab his aliquantum discrepuerunt acerrimorum virorum iudicia Iosephi Scaligeri et Adriani Turnebi, quorum ille in Catalectis *) *prologum Bacchidibus Plauti praepositum οὔτε πρώην οὔτε χθές factum* dicit, hoc est, ut ipse interpretatur epistola ad Taubmannum in huius edit. II, p. 1314, *non quidem recentioris, sed tamen sequioris aevi;* hic autem Adversar. lib. II, cap. 15, p. 31 b *extat* inquit *in Bacchid. prologus non ille quidem a Plauto scriptus, qui tamen antiquitatem olet;* et lib. XIII, cap. 22, p. 246 b: *prologus qui Plauti Bacchidibus praetexitur, non ille quidem a Plauto scriptus: apagesis illum a tam eleganti latinoque comico: verum tamen a veteri aliquo scriptore profectus, non recenti memoria natus.* Quorum non veritus auctoritatem modestius, ut consuevit, Camerarius *quae vero* ait *addita leguntur in editis libris, ut licet per me de iis sentiat quisque quod voluerit: ita vel mediocriter literis Latinis erudito dubium esse non potest, Plautina illa non esse;* multo autem confidentius nostra demum aetate Niebuhrius tralaticiam fidem supplementorum illorum adortus est. De cuius commentatione, quae de scenis suppositis Plautinarum fabularum scripta primum in Actis academ. Berolinens. a. 1816 prodiit, nunc repetita est in Opusculis historicis et philologicis, non diffiteor me

*) Hoc dico aliorum fide: ipse enim in *Virgilii Appendice* a Lindenbruchio L. B. a. 1595 iterata frustra quaesivi.

Digitized by Google

sic sentire, ut eam nequaquam ex omni, ac ne maxima quidem ex parte probandam putem. Nam cum persuasissimum habeam, ex omnibus, quae suppositarum nomine comprehendi solitae sunt, unam illam scenam, quae est in fine Poenuli, ex ipsa antiquitate esse repetendam: tum nihil unquam meo iudicio institui a tanto viro infelicius potuit, quam quod eam scenam, quae subiicitur Aululariae praeter Codri Vrcei supplementa, tribuere Plauto, eas autem, quae mediae Mercatori inculcantur, certe ad Plautinam aetatem referre est aggressus, utrasque autem absolutissimis nescio quorum *senariorum Italicorum* numeris compositas pronuntiavit, quae nullos unquam numeros vel habuerunt vel ullis machinis recuperabunt. *)

§ 4.

Ad Bacchides autem quod attinet, Niebuhrii equidem sententiam non tantum ex animo amplector, sed etiam satis mirari nequeo, qui tandem aliquot haud exigui acuminis et doctrinae viri aliquamdiu caecutire de iis si dis placet carminibus potuerint, quorum extrema futilitas sua sponte quasi incurrit in oculos. Nam sive inventionem spectas poeticam: nihil excogitari ab ipsius fabulae argumento et nexu alienius potuit, nihil magis abhorrens ab antiquitatis sensu, moribus veteris comoediae nihil repugnantius, nihil sententiarum vel insulsitate frigidius vel obscuritate impeditius vel earundem molestius repetitione; sive verba et numeros contemplaris, nihil sermonis aut inficetius ieiunitate aut insolentia importunius, prosodiae autem et metrorum puerili imperitia nihil turpius, immo flagitiosius. Cuius ge-

*) Cf. Mus. philol. Rhen. IV, p. 167. 188 sq. 496.

ASHMOLEAN OXFORD MUSEUM
Digitized by Google

neris pauca specimina ex infinita multitudine decerpta animi caussa infra posui, quae apparet receptam novicio usu et consuetudine pronuntiationem sequi solam:

Frequénter frémunt átque málе mússitant.
Aequom ést, vos déo fácerе silèntium.
Eccé fabór iam vóbis quód expétitis.
Quicquíd huiúsce géntes férunt inclytae,
Nonnihil nóstro gésta sunt consílio.
Nunquám quod míhi plácet, illi displícet. *)

*) Taetrioribus etiam versibus Argumentum acrostichum conscriptum est. Pro quo paullo melius factum Mediolani repperi. Exstant enim in bibliotheca Ambrosiana tria exempla editionis Aldinae, numeris signata 478. 523. 528, quorum tertium paucas, longe autem plurimas annotationes in marginibus scriptas reliqua duo tenent. Et harum quidem annotationum pars emendationibus verborum Plautinorum continetur, petitis illis tantum non omnibus e codicibus Palatinis: altera pars innumerabili multitudine similiter dictorum, quae vel verbis vel sententiis poetae explicandis adhibentur. Quae omnia apparuit e n. 478 in 523 transscripta esse. Ibi igitur in fine libri haec leguntur saeculo XVI scripta:

„*Argumentum Bacchidum.*

Bacchidis amator in Ephesum Mnesilochus abit,
Aurum exacturus; et Pistoclero eam interim
Commendat. ille Bacchidem alteram perit.
Credit reversus Mnesilochus eum sibi
Haud esse fidum; et omnem aurum numerat patri
Iratus. at re cognita Chrysali opera
Demungit bis patrem: a stupro qui filium
Existimabat redimere et periurio.
Senex cum socio tandem illectant Bacchides.

Huius argumenti copiam L. Annib. Cruceio copiam fecit Pomp. Cotta Iuriscons. quod quidem verum putatur: cum alterum falsum omnino sit. neque enim in tota hac comoedia mentio legitur ullius Bacchidis navigantis. sed tantummodo reditus prima scena, in fine: Nam ut e navi vecta et c. Haec ex codice Phil. Giūt. Flor. An. CV.“ — Ceterum ne I. Scaligero quidem argumenti acrostichi pangendi opera satis successit. Cuius hos versus nescio unde protulit Marollius Interpretationis Gallicae vol. II, p. 293: *Bacchidem amat scortum Mnesilochus, eius pater || Auri ducentis*

Digitized by Google

Diutius versari in probandis iis, quae supra dixi, et me indignum puto et lectoribus et hodierna horum studiorum luce: tametsi scio in istis ineptiis emaculandis et resarciendis aliquid studii I. H. Vossium, multo autem plus posuisse Bothium, eundemque in ea Plauti editione, quam elegantiorum hominum in usum paravit, ipsum Scaligeri iudicium comprobasse.

Nunc autem ulterius etiam progrediar atque, a quo ficticia illa supplementa profecta sint, patefaciam. Eiusmodi aliquid primus significavit Gibertus Longolius, sic commentatus in editione Coloniensi priore a. 1530, Annot. in Bacch. init.: *Primus actus Bacchidum desideratur cum prologo, caeterum quod nos subnexuimus, non esse Plautinum, praeter id, quod ipsa dictio per se satis testatur, etiam in Romano codice tantum hoc deerat, pauci tamen mutilique versus referebant adhuc nescio quid Plautinum. Quod autem habemus dedit Lascaris grammaticus ille graecus, ut testatur in epistola ad Bembum, quod Messanae in Sicilia invenit. Sunt multi, qui a Francisco Petrarcha effictum putent.* Repetita haec in altera Longolii Coloniensi a. 1538 ita sunt p. 344, ut ex parte intelligi nequeant. Pro illis enim: *praeter id, quod ipsa dictio* posita haec sunt non mutatis reliquis: *praeter id: Nam quod ipsa dictio.* Sed hoc ut sit casu factum, aliquanto gravius est, quod, quae in edit. I dicitur *epistola ad Bembum,* in altera facta est *epistola quaedam Plauto praefixa.* Eiusmodi epistola cum impresso Plauto nulli praemittatur, consequitur aut manu scriptum Plautum aut scriptam

---

nummis circumducitur, || *Credens hanc cui cum consuescat filius* || *Cleomachi uxorem legitimam esse militis.* || *Hac lege miles quam tamen conduxerat,* || *In annum, ut illi serviret tantummodo.* || *Dein relatu Cleomachi discit senex* || *Eam mulierem a lenone emptam auro suo.* || *Senes germanae ad se allectant Bacchides.*

Digitized by Google

certe in impresso Plauti exemplo epistolam significari: ut non sit mirum, nec in Petri Bembi scriptis Niebuhrium, nec alicubi vel me vel versatissimum in Italicarum litterarum historia Theoph. Friedlaenderum Berolinensem, qui mea caussa illam in rem inquisivit, eius vel minimum vestigium indagasse. Constantinus autem Lascaris (qui quidem Liscaris non Taubmanno tantum, sed hodierno homini Bothio dicitur) cur non magis possit quam Petrarca auctor ipse haberi eorum, quae a se detecta est professus, apposite Niebuhrius p. 171 sq. disputavit. Quis autem fuerit auctor, etsi non ea, quam hic commendabat via repperi: nec enim operae pretium videri potuit in Italorum illius saeculi philologorum simul et poetarum lectionem me insinuare, ex ipsaque versuum indole coniecturam capere: tamen haud paullo ut puto certiore afferendi testimonii utar. Atque aperuit iam ante cccxxxv annos Plauti interpres Io. Bapt. Pius, illis quae § 2 posteriore loco posuimus verbis haec continuans: *Circumferuntur integrae bacchides carminibus additis a panormitha: quae non adstituere visum cum absque controversia Plautina dignitate careant. Quid cum leonibus vulpes iungam? Sincerum cuperem vas incrustare.* Manifestum est Antonium illum Beccadellum significari, qui Panormitam se vocari a patria maluit, academiae Neapolitanae, cui postea Iovianus Pontanus praefuit, socii autem ascripti praeter alios a praestantissimo Tirabosco commemoratos Hist. litter. Ital. Vol. VI, part. I, p. 105 sq. (lib. I, c. 3 § 27) Laurentius Valla et Ianus Parrhasius fuerunt, conditorem, carissimum Alphonso regi: de cuius vita et scriptis idem Tiraboscus erudite exposuit Vol. VI, part. II, p. 687 sqq. (lib. III, c. 1, § 57. 58.) Apprime autem huc convenit, quod de eo Paulus Cortesius, aequalis Panormitae, iudicium fecit, ex libro de hominibus

Digitized by Google

doctis a Tirabosco p. 691 excerptum: *In aliquo igitur numero fuit Antonius Panormita, homo doctus, et iuris bene peritus. Diligenter etiam satis loquutus est, et ut esset paullo politior, elegantiam sermonis Plautinam volebat imitari, sed ab eo aberat illa orationis integritas ac sententiosa concinnitas: itaque sunt epistolae eius languidiores. Fuit tamen perargutus Poeta, et illis temporibus non contemptus: nam is primus versus ad mensuram quandam numerosumque sonum revocavit: antea enim fractis concisisque numeris parum admodum versus a plebeiis rhythmis differebant, quamquam eius fere tota Poesis est obscena.* Tertius igitur nunc in Antonii s. Codri Vrcei et Hermolai Barbari societatem Antonius ille Panormita asciscendus. Nam de Hermolao etsi in eo sive Morellius sive Niebuhrius p. 177 fallitur, quod illum Amphitruonis scenarum auctorem se profiteri dixit: neque enim vel huius vel alius certae fabulae ullum indicium exstat in Hermolai ad M. L. Phosphorum episcopum Signinum epistola, quae est inter Angeli Politiani Epistolas lib. XII, 25 p. 419 ed. Gryph. a. 1536: tamen verum est omnino *octonariolos suos* commemorare Hermolaum, quibus Plauti sive unam sive plures comoedias, quae *ambustae et mutilatae* circumferrentur, reconcinnarit interpolaritque de suo. *) Non autem aegre intelligitur,

*) Vide Mus. philol. Rhen. IV, p. 191 sq. Vbi quod suspicatus eram suppositicias Amphitruonis scenas primum prodisse in ea editione, quae sine loci et anni significatione vulgata Hermolai, Merulae, Politiani et Beroaldi nomina in fronte habet, id ita revera esse cognovi, postquam unum illius editionis exemplum Vindobonae, alterum (si recte memini) Lugduni Batavorum vidi, tertium Hermanni Sauppii beneficio domi habeo. — Ceterum hoc loco errorem liceat corrigere ibid. p. 197 not. 27 commissum. Nam de qua ibi Plauti editione, num omnino exstaret, dubitabam non satis Eberti testimonio confisus, eius exemplum in bibliotheca

Digitized by Google

quomodo, quos versiculos natu Siculus homo Neapoli composuisset, in eos Messanae forte incidere Lascaris potuerit. Ac forsitan aliquid lucis in hanc quaestionem redundare ex eo codice potuerit, quem duodecim fabulas posteriores complectentem Messanae Goettlingius vidit, nunc relatum in Blumii Biblioth. libr. mss. Ital. p. 227. Nec quicquam caussae esse video, cur dolo malo potius egisse, quam lusisse animi caussa Panormitam suspicemur, vel de fraudis participe Lascare cogitemus cum Niebuhrio: eo minus caussae, quod non obscuram fuisse illius supplementi originem ipso Pii exemplo doceri videmur, cui quidem reliquarum scenarum suppositarum auctores, quantum ex eius commentariis licet iudicare, non item cogniti fuerunt. Quod valere etiam in Aululariae illam scenam volo, quam errarunt omnes qui a Carpentario primum editam narrarunt. Ceterum quem Longolius codicem Romanum antestatur, de eo hic dicere eo minus attinet, quo diligentius in eum alio loco inquisivimus. *)

§. 5.

Vnum quiddam restat, silentio non praetermittendum, quia coniunctum est cum utiliore quaestione. Lepidum enim Bacchidum instauratorem ne origo quidem fabulae Graeca fugit Prologi u. 36:

Philemon Graecam olim dedit fabulam.
Hanc qui graecissant, Euantides nuncupant:
Plotus, qui latinassat, vocat Bacchides.

---

academica Leidensi servatum monstravit I. Geelii propensa in me voluntas.

*) Mus. ph. Rh. l. c. p. 166 sqq. Quanquam eorum, quae illic de Romano codice Longolii conieci, quamvis studiose Romanis bibliothecis pervestigatis nihil affirmare licet.

Digitized by Google

Nihil hoc scrupuli iniecit Parei credulitati in editione III, quam collectis *imitationis Plautinae* exemplis ditavit; ficticium dicere Niebuhrius non dubitavit. Nec praeterire quenquam potest, fictum Graecae fabulae nomen esse ab eo, qui latinum *Bacchides* vertere volens, non valens, de Bacchi nomine *Euan* cogitaret: cuius dei a Plautina fabula alienissimi in toto prologo ineptissimum in modum mentio frequentatur. Quod autem cuius Graeci poetae exemplum expresserit Plautus, etsi non est testimonio proditum, tamen haud improbabili ut arbitror coniectura assequi licet. Reddidit enim, nisi fallor, Menandri Δὶς ἐξαπατῶντα. Nam primum ipsa inscriptio in Bacchides quadrat ut quae maxime; quippe omnis argumenti inventio et tractatio fundamento nititur hoc, quod ab uno callidissimo servo Chrysalo uno eodemque die eademque in caussa bis decipitur Nicobulus senex. Quod in ipsa fabula tum Nicobulus fatetur tum Chrysalus gloriatur tum seni exprobrat cavillabunda una Bacchidum. Sic enim V, 1, 4 senex:

Perii: pudet: hocine me aetatis ludos bis factum esse indigne. *)

Bacchis autem V, 2, 9:

Pol hodie altera haec iam bis detonsa certo est:

ubi inseruimus *haec* in libris omissum. Denique ὁ δὶς ἐξαπατῶν ipse IV, 9, 4:

Sed Priamus hic multo illi praestat: non quinquaginta modo,
Quadrigentos filios habet, atque equidem omnis lectos sine probro.
Eos ego hodie omnis contruncabo duobus solis ictibus.

*) De hoc versu vide Epimetrum

Digitized by Google

Vbi *quadrigentos* scripsi cum C. L. Schneidero Gramm. lat. elem. I, p. 735 Reiziique exemplo in Rud. V, 3 (2), 37. Levius est, quod Bacch. IV, 9, 10 *quadragentis tenent* alter Palatinus et Lipsiensis; gravius, quod V, 2, 64 in illo ipsa *quadrigentis* forma servata est. *equidem*, non *quidem*, consentiens librorum scriptura est. Maioris autem momenti illud est, quod e Menandria fabula quaedam servata sunt, quae monstrare posse in Bacchidibus videare. Nam qui a compluribus, quos habes apud Meinekium p. 48, scriptoribus affertur, ad Δὶς ἐξαπατῶντα autem a Stobaeo Serm. CXX, 8. p. 460 Gaisf. refertur Menandri versus:

ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν, ἀποθνήσκει νέος,

eum in Bacchid. IV, 7, 18 reperimus sic conversum:

quem di diligunt,
Adulescens moritur, — (dum valet, sentit, sapit.)

Recte enim ita transposuisse Pyladem arbitror, quae in codd. et vet. edd. scribuntur *quem diligunt di* vel *dii*.

Alteram congruentiam quandam non afferendam propter singularem aliquam probandi vim, sed tamen, quanquam non vacuam dubitatione non leviter praetermittendam duco. In Bacch. II, 3, 74 memoratur Ephesiis carissimus sacerdos Dianae Ephesiae, sive *Megalobuli* sive, ut aliis visum, *Megalobuzi* vel *Megabyzi* filius, cui pecuniae vim servandam crediderit Mnesilochus cum Chrysalo. Constat autem aliunde, Μεγάβυζος nomen fuisse illius Dianae sive sacerdoti sive, quod est veri similius, sacerdotium genti: quode satis egerunt Turnebus Adversar. XVIII, cap. 31, p. 352, Meursius Exercit. crit. P. I sive Cur. Plaut. Comment. in Bacch. cap. 3, p. 128 sq., Casaubonus et Menagius in Diog. Laert. II, 51, Albertus in Hesych. vol. II, p. 552, Burmannus in Quintiliani Inst. orat. V, 12, 21, Harduinus in Plinii Nat. hist. XXXV, 10, 36, p. 697 et 11, 40, p. 704,

Digitized by Google

Perizonius in Aelian. Var. hist. II, 2, Hemsterhusius in Lucian. Timon. cap. 22 vol. I, p. 134 sq., Wyttenbachius in Plutarch. de discern. adul. ab amic. p. 58 D. (Animadv. in Moral. vol. I, p. 471), Schweighaeuserus in Appian. de bell. civil. V, 9. p. 723. Ad eos autem sacerdotes communem tradendarum concredendarumque pecuniarum morem pertinuisse, profugi exemplum Xenophontis docet apud Diogenem et in ipsius Expedit. Cyr. V, 3, 6. In haec sane vix videtur casu convenire, quod Megabyzi aeditui mentio facta est Menandri Δὶς ἐξαπατῶντι testibus Photio p. 50, 6 et Suida v. ζάκορος, quorum haec sunt verba: Ζάκορος: νεωκόρος. Μένανδρος Δὶς ἐξαπατῶντι·

οὐ Μεγάβυζος ἦν,
ὅστις γένοιτο ζάκορος.

Sic enim haec recte Bentleius disposuit. De interpretatione autem nec Hemsterhusio assentior, Μεγάβυζον pro eunucho positum putanti, nec Toupio Emend. in Suid. P. II, p. 153 Lips. sic vertenti: *alius est* Μεγάβυζος, *alius* ζάκορος, vel: *qui* ζάκορος, *non idem utique* Μεγάβυζος. Quid est enim, cur de sententia communi quadam cogitemus? Immo verba in mutuis comoediae sermonibus posita aut sic verto: *nullus* (Ephesi) *Megabyzus fuit, qui aedituus esset Dianae*, aut quod multo magis placet: *non Megabyzus aliquis fuit, qui aedituus Dianae Ephesiae esset?* h. e. ut arbitror, *cui crederetur pecunia?* Quam sententiam si cum Plautina scena in Bacchidibus conferimus, non est difficile intellectu, quomodo, siquidem Menandri fabulam latinus poeta expresserit, apud utrumque omnis rei ratio comparata esse potuerit. Quaerit apud Menandrum Mnesilochi pater, quod sua sponte narrantem Chrysalum Plautus fecit non prius de Megabyzo interrogatum. Vides, quantumvis potuerit profecto exemplum suum in qui-

Digitized by Google

busdam etiam deserere Plautus, tamen ne necesse quidem esse ut Megabyzo Menandrio Megabyzi filium Theotimum Plautus substituisse credatur. Quidni enim etiam apud Menandrum interroganti Nicobulo respondere mendacissimus servus potuerit: *non quidem Megabyzus ipse, sed sane ex eo natus quidam Theotimus: — ?* Quid? quod rationem adeo perspicere licet, cur praemissam Chrysali mendaciis Nicobuli interrogationem Plautus sustulerit. Namque qui Graecis Menandri aetate notissimi fuerunt Megabyzi sive aeditui Ephesiae Dianae, non item credibile est inter Romanos tam in vulgus notos fuisse, ut, qui de pecuniae apud Ephesios periculo audiret, nihil ei citius quam Megabyzorum recordatio succurreret. At, inquit, istos Megabyzos eunuchos prodiderunt Strabo XIV, p. 641 (950 a.) et, si dis placet, Heraclitus Epistola ad Hermodorum apud Politianum Miscellan. cap. 51. Nam sane apud reliquos scriptores supra memoratos nihil eiusmodi exstat. Mitto, quibus argutiis Meursii ineptias diluere Hemsterhusius instituit, mitto infelicissimam huius coniecturam Plautino versui adhibitam: *Megalobyzus fidius.* Verumenimvero ad Plautum quidem eiusque fabularum spectatores quid tandem attinebat, accurate condiciones tenere illius sacerdotii? Quas ut largiar Menandri aequalibus non potuisse ignotas esse, tamen vel hic ipse tantum abest ut non potuerit Plautinae scenae convenienter rem instituere, nihil ut factu fuerit commodius. Ecquid enim facetius, quam improbum servum fidei faciendae caussa primum negare, de quo quaesierat senex, Megabyzum aliquem fuisse, continuo autem ad captandam veritatis speciem quandam cupidius iactare Megabyzi filium? Quo apertissimo mendacio se ipse coarguere ridendumque praebere iis spectatoribus putandus est, quos Megabyzorum Ephesiorum condicionem tan-

Digitized by Google

quam rem tritam et pervulgatam illico recordatos cogitamus. Haud dissimilis aliqua ex parte ratio est responsi in Milit. glor. I, 1, 61:

Rogitabant: hicine Achilles est, inquit mihi.
Immo eius frater, inquam. *)

Atque haec disputavi velut certo fundamento hoc nitens, quasi non controversa Megabyzi versu Plautino mentio esset. At vero in Palatinis libris Lipsiensique est *megalobuli*, in veterrimis editionibus *megaloboli*: quemadmodum in iisdem *Nicobulus* scribitur *nicobolus*. Nam quod Pareus ex Palatinis *Megalobusi* affert idque eos tenere omnem fidem testatur in Analect. Plautin. p. 325: de eo diligentem alioqui hominem oculorum acies fefellit. *Megabyzi* nomen primus commendavit Pius, haud contemnenda pro illius aetatis ratione vir eruditione, sed rudi et incondita, in cuius annotatione Plinii, Plutarchi, Aeliani, Diogenis, Quintiliani, Appiani de Megabyzis testimonia afferuntur omnia; in continuitatem autem verborum Pium secuti receperunt Beroaldus, Pylades, Vgoletus, Carpentarius, Angelius (cuius exemplum Iuntinum Meursius significat de vetere codice loquens), Lucas Olchinensis, Aldus, recipi iussit Tur-

*) Horum priore versuum *inquit mihi* pro *inquit, tibi* praebuit Ambrosianus, prorsus ut est paullo post *Ergo mecastor pulcer est, inquit mihi*. Alteri versui, qui sic vulgatur: *Immo eius frater inquam. Innuit illarum altera*, olim putabam transpositione verborum succurrendum esse: *Immo, inquam, eius frater. Innuit illarum altera*. Cur autem *innuat* tandem earum una mulierculārum, quae iam prope sunt et *pallio reprehenderunt* Palaestrionem? Et in Ambrosiano post *inquam* visae sunt (nam pro certo affirmari nequit) potius *est* . . litterae exstare. Vnde haud scio an poetae manum sic assequar:

Immo eius frater, inquam, est. Ibi illarum altera.

Ac ne in Palatinis quidem ipsum apparet *innuit*, verum aut *inuit* aut *inmt*, quod in Vetere cod. secunda demum manus in *innuit* mutavit.

Digitized by Google

nebus: a quo non multum differt, quod Meursio placuit et Pareo, *Megabuzo*. Tantum autem apparet, si quid mutandum sit, non esse *Megabyzi* scribendum, sed *Megalobyzi*. Versûi enim cum metueret Hemsterhusius et ad metri leges aptius respondere hanc formam censeret:

N. Qui istic Theotimus est? C. Megabuli filius:

non cogitavit de lenissimo artificio, quo vel caesurae rectius consulitur:

N. Qui istic Theotimust? C. Megalobyzi filius.

Nam quos reliqui Μεγαβύζους, eosdem ipse Strabo Μεγαλοβύζους nomine vocavit: ubi non erat, cur illud reponi Coraes Σημειώσ. p. 289 iuberet. Fatendum autem certe hoc est, non solos Plauti libros Palatinos cum in aliis Graecis tum in *y*, *z* litteris errasse frequentissime. Ac de *y* littera cum vix opus sit exemplis: testantur enim hoc *Chrisalus*, *Lidus* nomina in Bacchidibus, *Argirippus* in Asinaria, *Aegiptii* tum alibi tum Poen. V, 5, 12, *xittilis* vel *xutilis* in Pseud. I, 2, 76: *zonam*, qui Palatinos scripserunt, exararunt *sonam* Merc. V, 2, 84, ubi *senam* Lipsiensis; qui autem Decurtatum, ibid. III, 4, 62 *Zacynthum* scripsit *acingthum* praemissa singulari nota quadam, quae nec litterae ullius est nec ab haesitabundo librario ipso vel intellecta vel certo consilio posita. Ita apud Quintilianum in quibusdam libris *megabuxum* exstat, *negabusum* in ed. princ. Nolo enim corruptelae fontem ab ipsius aetate Plauti repetere, quem sane probabile est omnino non usum esse illis duabus litteris, quas ne Ennius quidem et Attius usurparunt, si vera tradiderunt Cicero et Marius Victorinus apud Schneiderum Gramm. lat. elem. I, p. 376. coll. p. 39. Vt, si non ipsam illam, quae Pareo arrisit, *Megalobusi*, certe non valde dissimilem formam Plautus exarasse ipse videatur.

Digitized by Google

Menandriae fabulae Plauto duce attribui fortasse quaedam ex incertis quae feruntur Menandri fragmentis poterunt, velut Sententiarum singularium u. 423 Mein. 532 Brunck.: *οὐκ ἔστιν οὐδὲν κτῆμα κάλλιον φίλου*, comparatus a Bothio cum Bacch. III, 2, 2:

arbitror,
Homini amico, qui est amicus ita uti nomen possidet,
Nisi deos, ei nil praestare.

Sed nec huic exemplo multum tribuo, praesertim in aliqua frequentia similium apud Plautum sententiarum, ut Epidic. III, 3, 44:

Nihil homini amico est opportuno amicius —:

nec hoc omne genus video cum proposita quaestione ita coniunctum esse, ut non possit missum fieri. Multo etiam minus tribuo ab eodem Bothio comparatis Bacchid. V, 2, 76 sqq. *) cum Amphidis e *Γυναικοκρατίᾳ* versibus, qui sunt apud Athen. VIII, p. 336 c. d., nec tribuerem, si vel maxime certa imitatio esset: alioqui quid illis facias, quae de veteri deque nova puerorum disciplina ab Lydo prolata Bacch. III, 3, 16 sqq., ad Aristophanis Nub. 961 sqq. imitationem composita post Lipsium Epistolic. Quaest. III, 17 nuper Osannus iudicavit Comment. de Plauti Amphitruone in Mus. phil. Rhen. II, p. 331?

At, audio, Menandriae fabulae et Plautinae qualiscunque similitudo uno quodam fragmento corruit, quod ex Disexapatonte Fulgentius Myth. III, 1. p. 704. Stauer.

---

*) Versus anapaestico systemate comprehendendos puto:

Non tibi venit in mentém, amabo,
Si, dum vivas, tibi béne facias,
Pol jam id quidem esse haud perlonginquom:
Neque si hóc hodie amisis, post in
Morte id venturum esse umquam?

Digitized by Google

attulit, cuius ὦ Δημέα verba nihil utriusque fabulae potuisse commune esse demonstrare videantur manifesto. Itane vero? Quid enim, si personarum nomina seu cuncta seu nonnulla mutare latinus poeta consueverit? Quod quidem Terentium certis testimoniis constat sic instituisse, quae vide apud Meinekium Men. p. 7. 67. 98 sq. vel Grauertum Analect. hist. et phil. p. 140. 154. 166. *) Itaque ne de eo quidem licet ex Plautina fabula coniecturam capere, num Bacchidibus sororibus hoc nomen iam Menander fecerit: quemadmodum hunc scimus Glyceram suas delicias in aliqua fabula celebrasse (cf. Mein. p. 38 sq.), eundemque fortasse etiam Bacchidem amasiam, si vera sint quae p. XXVIII et 303 Meinekius disputavit. Sed ne his quidem versibus quicquam commune esse cum Plauti fabula potest.

§. 6.

Revertor ad Bacchidum initium, quod cum per aliquot saecula creditum esset intercidisse, nostra quidem memoria exstitit, qui vanissimam omnem illam opinionem censens nihil quidquam deesse, sed integerrimam haberi fabulam et sibi persuaderet et aliis omnibus se crederet tam idoneis argumentis posse probare, ut nemo iam praepostera quadam *antiquitatis reverentia errare cum prisca aetate, quam cum nova malle verum videre* videretur. Tanta enim non consolita alioqui confidentia suam sententiam F. G. E. Rostius pronuntiavit edito a. 1811 Plautinorum Cupediorum ferculo secundo (nunc Opusc. Plaut. I, p. 108 sqq.). Cuius integerrimi viri non possum quin omnem disputationem satis esse leviter institutam iudicem. Est autem ea tripartita. Ab

*) Vid. supra p. 278 dicta.

Digitized by Google

Iuntinae enim editionis additamentis profectus *obscurum illorum auctorem* ait, *nisi inanis gloriae aut lucelli vano studio ad hoc exordium Plauto supponendum impulsus sit, non potuisse aliam male seduli laboris caussam habere, quam quod poetam aut prologo supersedere, aut personas eo, quem finxit sermone loquentes in scenam introducere, aut utrumque non potuisse arbitraretur.* Itaque primum prologi praemittendi nullam plane necessitatem esse studet earum exemplis fabularum ostendere, in quibus illam consuetudinem poeta omnino neglexerit, Curculionis, Cistellariae, Epidici, Mostellariae, Militis, Persae, Stichi. E quarum numero statim eximendae Cistellaria cum Milite, quibus non sine aliqua ratione Mostellariam iunxit Eichstadius de dram. com. satyr. p. 120: in quibus non omnino neglexit, sed *post principium fabulae* prologum *induxit, ceterorum magnae auctoritatis poetarum veterum exemplo,* ut ait Donatus praefat. extr. in Terent. Phormionem. Contra addendae potius quaedam fabulae, quarum certe a Plauto profecti esse prologi nequeunt. *) *Nec vero ex iis caussis, cur fabulis interdum praefandum esse poetae putarint, ut aut excusarent sese commendarentve, aut spectatoribus perplexius argumentum exponerent, aut plebis erga histriones iniuriam, aliosque perversos mores notarent, quaeque plures cogitari possint, ullam* Rostio p. V (110) *verosimile est Plauti animo in hac fabula scribenda obversatam fuisse.* Atqui hoc nemo non videt prorsus ita comparatum esse, ut non maiore iure affirmetur quam negetur. Vnde enim tandem istam suam Rostius

*) Hoc genus Diss. III persecuti sumus. Levidensia sunt, quae de prologis comoediae latinae Badenius in Iahnii Annal. nov. phil. et paed. Suppl. I, p. 441 sqq. commentatus est.

Digitized by Google

hausit scientiam? Enimvero de qua una caussa ne nobis quidem iudicare negatum est, quae quidem pertinet ad ipsius fabulae argumentum, eam, si id sequimur, quod probabile videatur esse, in contrariam potius partem valere intelligemus, ubi, quam sit vel expeditum vel non expeditum Bacchidum argumentum, quaesierimus. Sed tamen concedimus disputationis summam: concedimus nullam Plauto fuisse prologi scribendi necessitatem, et ad alterum locum progredimur argumentationis Rostianae. *Neque enim abruptum fabulae initium iustam caussam praebere de eius integritate dubitandi; manifestum esse eius Bacchidis, a cuius verbis ordiatur fabula, sororem antea verba aliqua, eaque non pauca fecisse: sed hoc etsi poeta persuasum cepierit spectatoribus, tamen non in scena fieri, sed priusquam velum caderet factum cogitari eum voluisse. Hoc enim illud esse artificium, quo illudere poetas spectatoribus, ut in rem praesentem hi venire, nec agendae fabulae, sed rei gerendae sese interesse arbitrentur; cuiusmodi fabularum ordiendarum rationem et plurimum habere gratiae et lenocinii, nec a Plauto neglectam alibi esse, ut Asinariae, Casinae et Cistellariae initiis.* Adiici, ut arbitror, alia exempla Plautina potuerant; sed hoc ipsum quaeritur, num, quod artificium a Plautina arte minime abhorrere et nos concedimus liberaliter nec quisquam negavit, conveniat in Bacchides, an huius fabulae singularis quaedam ratio sit et in ipsa similitudine dissimilitudo? Sed tamen ut etiam hoc largiamur potius aliquantisper quam concedamus, quid tandem binorum vi argumentorum efficitur? Nihil profecto aliud, nisi parum idoneas Antonio Panormitae male seduli laboris caussas fuisse; integram haberi Plauti fabulam probatur minime. Quae reliqua sunt, iis non tam probare sententiam suam, quam de-

Digitized by Google

fendere ab aliorum dubitationibus animum induxit. Nam quod eius codicis Plautini, quem saeculo XV e Germania perlatum in Italiam supra dixi, apographum in Marciana bibliotheca Florentina repertum sic doctissimus Laurentius Mehusius describit Praef. in Ambrosii Traversarii Epist. et Orat. p. XLIII, ut duodecim posteriorum primam fabulam esse *acephalam* dicat: id sane Rostio (p. 111) facile credimus posse ad solum, quod desideretur, Argumentum spectare: non posse ad ipsius initium fabulae, non concedimus. Ac ne illud quidem ita disputavit, ut non sit aliqua ex parte notandus. Nam quod suae necessitatem interpretationis argui eo dicit, quod argumentum Graecis κεφάλαιον dicatur: nec, hoc Graece dicendum ὑπόθεσις fuisse, nec, a qua stirpe ἀκέφαλος ducatur, cogitavit. Praeterea veterrimi illius codicis, e quo singularum fabularum initia Mehusius excerpsit, librarium ait variandae orationis gratia modo *argumentum* modo *prologus* modo *incipit feliciter* vocabulis usum esse. Hoc etsi ab nostra caussa alienum possum missum facere, tamen verum quidem non est; in una enim Pseudolo erratum est plurimis in libris in hunc modum, ut turbatis Mercatoris et Pseudoli confiniis illi fabulae continuentur duo prologi versus, qui est Pseudoli, huic autem praemissa *Prologus* inscriptione, quae illuc pertinebat, argumentum perscribatur. Denique nec illud vim habet ullam, quod ex eiusdem Mehusii vita Ambrosii p. 388 Rostius p. VIII (112) attulit alius codicis, quo Excerpta tenentur complurium scriptorum, haec verba: *Incipiunt Notabilia de comoediis Plauti noviter repertis, quae sunt XII, et primo de Bacchide, cui deficit principium.* Quod non minus est ambigue dictum, quam cum acephala fabula vocatur, sed, quandoquidem in anquirendis testimoniis adhuc disputationem continuimus, ne

Digitized by Google

in censum quidem venit prae illis, quae § 2 sunt congesta.

§. 7.

Aegre autem feras aliud argumentorum genus, quod suapte natura gravissimum consulto huic loco reposuimus, adeo ab Rostio neglectum, ut vix in transcursu leviter tetigerit p. V (110.) Vbi parum se moveri Camerarii sententia dicit, qui *ex Bacchidibus Plauti* ait p. 418 *adducuntur a Charisio, quae in hac fabula non leguntur, ut esse mutilam illam facile existimare possimus.* Et interposito de noviciis Panormitae commentis iudicio: *Fulgentius quidam interpres veterum nominum, Nasiternam adducit de Plauti Bacchide, Nasiternam cum aqua feras. Nescio an alia illa fabula fuerit: nam huius nomen est Bacchides.* Et apud Fulgentium quidem p. 563, 31 hodie legitur *Plaut. Bacch.;* quodsi legeretur *Bacchide* *), ut in Mehusii codice antea commemorato, non maioris hoc momenti esset, quam quod idem levissimus quidem homo Fulgentius p. 564, 4 e *Plauti Chrysalo* citat Bacchidum versum II, 3, 44: quode supra dictum p. 163: vel quod *Bacchae* nostram fabulam inscribi in codice San-Danielensi Car. Wittius testatus est in Blumii Biblioth. libr. mss. Ital. p. 232, itemque Charisius p. 176, 12 Plautum prodit *ampliter* pro *ample* dixisse *in Bacchis* **) h. e. Bacchidum IV, 4, 26. Contrario vitii

*) Hoc nuperae editiones praebent.

**) Id quidem in sola Putschiana exstat. Codex: *Ampliter Plautus in pro ample.* Prorsus incredibile est et propemodum ioculare, quod Lindemannus comminiscitur, *in* corruptum esse ex *M.*, hoc autem valere *Mercatore.* Nihil nisi nomen fabulae excidit post *in*, sive ea Casina fuit sive Cistellaria sive Bacchides sive Miles sive Mercator sive Stichus. E Sticho *ampliter* profert Nonius p. 511, e Casina, Mercatore et Sticho vetus glossarium, quod tractabitur Diss. XIII.

Digitized by Google

genere affectus Seruius in Virg. Aen. XII, 695 versus protulit ex *Attii Bacchidibus* h. e. e Bacchis, quos quidem Pareus non dubitavit reponere in Plautinae fabulae fragmentis. Sed Rostium demiror sane tam sicco pede illarum velut fluctus dubitationum praeterisse, ut neminem ignorare diceret, saepe grammaticos in citandis librorum titulis allucinatos esse, ipsumque Fulgentium errasse, qui quae in Stichi II, 2, 18 se legere verba meminisset *nasiternam cum aqua*, in Bacchidibus reperiri temere contenderet. Ac de Fulgentii testimonio viderimus deinceps: cuius quidem ventosissimi hominis satis hodie perspecta vanitas nullo pacto componi cum ceterorum grammaticorum diligentia debet. Sed scire velim, quam saepe in commemoranda Bacchidibus hallucinatos istos grammaticos Rostius putarit? Quanto ab hac parte consultius duobus ante saeculis Iosias Mercerus iudicarat, cui fragmentorum multitudo ab uno Nonio ex Bacchidibus citatorum, in hodiernis autem exemplis non repertorum, satis praebere caussae videbatur, cur de duabus eius fabulae editionibus cogitaret Notis in Nonium p. 676. 696. 761. 642, quanquam non uberius expositis rationibus eius sententiae. Nec Ianum Gulielmum vis fugit illius multitudinis; sic enim Quaestionum in Plauti Bacchides caput I orditur: *Bacchides Plauti fabulam mutilam hodie et truncam multis partibus circumferri compluria argumento sunt. primum prologi et prooemii nihil, quod argumentum, ut solet, explicet, et in rem ipsam spectatorem inducat. tum in medio grammaticorum testimonia, quae frustra quaeras in ea quam nunc terimus.* Rursus autem quanto idem ille, cuius equidem minime probo coniecturam, Mercerus consultius tamen quam Fridericus Osannus egit, qui Analecton criticorum capite X in recensionum diversitatem exemplarium Plau-

Digitized by Google

tinorum dedita opera inquirens huius quoque, in qua versamur, fabulae duplicem agnoscere recensionem et sibi visus est et aliis persuadere studuit adeo neglecto illo argumentorum genere, quo usus iam Mercerus erat, ut ne unum quidem fragmentorum ex Bacchidibus a grammaticis repetitorum suae adhiberet disputationi. Quae autem et qualia ipse argumenta in medium protulerit, post paullo, simulatque alius rei mentionem fecerimus item ab Osanno praetermissae, videbimus. Apprime enim congruere in duplicis recensionis suspicionem debuerat memorabile Charisii testimonium videri p. 184, 7: *Meditate. Plautus in Bacchidibus: Edepol ne tu illorum mores perquam meditate tenes. in quibusdam non ferunt.* Apertum est (sed opertum Lindemanno) exemplarium discrepantiam significari, in quorum parte non legatur ille versus, qui est III, 6, 16. Corruptum enim *ferunt* est ex *feruntur*, idemque verba illa valent, quod non raro apud Graecos obvia ἔν τισιν οὐ φέρεται. *) Simillime Donatus in Adelph. III, 5: *hi sex versus in quibusdam non feruntur.* Videri autem illam annotationem ex veteris scholiastae commentario manasse supra significavi p. 386. Ac notabile est in codice Palatino altero s. decurtato voculis Plautinis *ne* et *perquam meditate* superscriptas eadem quidem veteri manu has esse: *certe, valde sapienter.* Eiusmodi autem glossemata non ab noviciis

*) Nam cum *ur* syllaba scribendi compendio hoc notaretur *ferunt*, non raro peccatum est in utramque partem. Sic Bacch. I, 1, 10 *reuehatur* in Ed. princ. corruptum est in *reuehat*, V, 2, 13 *intuentur* in Decurtato in *intuent*. Contra pro *cruciat* III, 3, 89 Ed. princeps cum Lipsiensi cod. exhibent passivum: in iisdemque libris legitur quod vulgatum est III, 6, 19 *frustrantur*, cuius emendandi viam monstrat Decurtati scriptura *frustranf*:

Atque hi se cum fruistrant, frustrari alios stolidi existumant.

Digitized by Google

hominibus scripta ille codex tenet tam rara *), ut facile suspicere e vetere fonte repetenda esse, in tanta praesertim eorum scholiorum similitudine, quae e Sisennae commentario excerpta supra composita habes p. 385. Sed ut illum in Bacchidibus versum sive Sisenna sive alius quilibet desiderari in quibusdam exemplaribus dixerit: quid tandem inde consectarium? Nihil profecto gravius quam ex eo, quod in prima Bacchidum scena unus quidam versus bis scriptus est, v. 40, qui iam aderat post v. 30, recte priore fabulae loco expungi iussus ab Acidalio Divin. et interpr. in Bacch. cap. 1 (in Gruteri Thes. crit. VI, p. 194 sq.), expunctus a Bothio. At, inquit, satis gravis haec ipsa iteratio Osanno visa est: ut quo altero e duobus argumento demonstrandae duplicis recensionis usus sit. Audio. Verumenimvero, ut simile genus contendam, quotusquisque scriptus liber est velut Graecorum poetarum scenicorum, quin in eo aut omissus aliquando unus aliquis versiculus sit incuria librariorum: (atque abesse salva sententia ille potuit, qui est Bacch. III, 6, 16, nec alienum hoc genus negligentiae a Plautinis libris fuisse cum alibi ostendimus tum luculentissimo documento codex rescriptus Ambrosianus exstat:) aut non suo loco

---

Simillimaque ratione vulgatum IV, 9, 16 *gerantur*, quod praeter principem editionem etiam Vetus codex (sed is *gerunt*) tenet, corrigendum ex Decurtato Lipsiensique sic est:

Hunc ipsum exurit. 'Ego sum Vlixes, cuius consilio haec gerunt.

*) Vt mittam appictas scripturae discrepantias (quarum quidem etiam maior quam in Decurtato multitudo est in Vetere), solas quae superscriptae sunt explicationes ex una fabula afferam. Bacch. IV, 7, 16 *venire*] *.i. vendi*, quod transiit in ed. princ. IV, 8, 42. *inque*] *dic* (eo enim valet calami errore scriptum *dio*.) IV, 9, 2 *menitum*] *pro munitum*. IV, 8, 60. *i vise estne*] *imp. exibo eo* h. e. *imperativus ex verbo eo*.

Digitized by Google

iteratus proclivi scribentis lapsu. Quemadmodum in ipso altero Palatino non paucos versus inter scribendum praetermissos librarius in marginibus adiecit: unde quam facile ab aliis in fabulae continuitatem inseri alienis locis potuerint, non est quod persequar longius. Atque perperam iteratorum versuum exempla in ipso Bacchidum initio Palatini libri praebent, in quorum veteri I, 2, 60. 61 et suo loco et ante v. 58 positi, in altero autem I, 1, 73 et 74 sic scripti sunt:

Nā ut navi vectes credo timida es. aliquantū soror
Simul huic nescio qui turbare quihuc it decedamus
Nā ut innavi vectes credo timida es aliquantū soror.

Non magis autem altero moveor Osanni argumento, ut duplicem mihi fabulae recensionem persuaderi patiar sive ab ipso poeta sive prisca aetate dedita quidem opera et certo consilio factam. Nam sane si quaslibet vel librariorum turbas vel sciolorum lusus *) habere recensionum in numero animum induxeris, nec ego litem Osanno moveo. Neque enim alio ex fonte eorum in Bacchid. III, 4, 14 sqq. versuum condicionem repeto, quos infra posui:

Verum quam illa unquam de mea pecunia
Ramenta fiat plumea propensior, 15
Mendicum malim mendicando vincere.
Nunquam edepol vivom me irridebit: nam mihi
Decretumst renumerare iam omne aurum patri.
Igitur mi inani atque inopi subblandibitur
Tum, quom nihilo plus [ad suam rem istuc] referet, 20

*) Vberius hoc genus universum Diss. IX et XIV pertractatum est.

Digitized by Google

Quam si ad sepulcrum mortuo dixit iocos. *)
Sed autem quam illa unquam meis opulentiis
Ramenta fiat gravior aut propensior,
Mori me malim excruciatum inopia.
Profecto stabilest me patri aurum reddere,
Eadem exorabo, Chrysalo causa mea
Pater ne noceat neu quid ei suscenseat e. q. s.

Horum versuum 14—18 et 22—25 Osannus geminas partes esse duplicis recensionis censuit p. 201, male seduli grammatici studio in nostris exemplaribus con-

*) *dixit iocos* effeci ex Ambrosiani scriptura *dixerit iocos*. Est enim illud *dixit* pro ipso *dixerit*: vid. Struvium de decl. et coni. lat. p. 176. Vulgo e reliquis libris editur *dicat iocum*. — Superiorem versum Palatini codices sic scriptum exhibent: *Tum cum mihi nihilo pluris referet*. Soloecismum ut tolleret simulque consuleret versui, Camerarius corrigebat *Tum cum mea illud n. pl. r.*, secutique sunt recentiores omnes. Non autem *mea* potius quam *sua* efflagitat sententia: *dann, wann ihr das nicht mehr helfen wird, als wenn* e. q. s. Fraudi fuit *mihi*, quod e proximo *nihilo* ortum esse Ambrosianus fidem facit, in quo ab initio TVMQUOMNIHILOPLU et post XIV vel XVI litterarum intervallum REFERT legi potuit. Et hoc apparet soli calami errori deberi: prorsus enim necessarium futurum tempus Ab initio autem non fuisse *nihilo pluris*, numerorum ratio probat. *Plus refert*, pro *pluris*, eadem ratione dicitur qua *multum, plurimum, nihil refert*. Cicero pro Quinctio V, 19: *non plus sua referre, quam si, cum auctionem venderet, quidpiam promisisset. Suus* pro *eius* pervulgatum in Plautino sermone; *refert aliquid ad rem* cum alibi habes tum Epid. II, 2, 91: *quam ad rem istuc refert?* et Pers. IV, 3, 44: *quid id ad me aut ad meam rem refert?* Quae exempla non neglexit Freundius in lexico, ubi diligentius varia *refert* verbi structura explicatur quam alibi factum memini. Ceterum non me fugit, etiam alias posse emendandi viam iniri; nec dissimulandum est duobus litterarum spatiis fere mediis ambigua apparuisse LÁ litterarum vestigia. Tantum certum est, a vero aberrasse Haasium in Reisigii schol. gramm. p. 388: cui assentitur Fleckeisenus Exerc. Plaut. p. 16. — Praeterea v. 17 correxi *vivom me* pro *viva me*, quod non intelligo.

Digitized by Google

glutinatas. Vellem addidisset, utri plus fidei tribueret: quam in rem uti commodissime Nonii testimonio potuerat, versum 15 e Plauto sine fabulae nomine afferentis p. 222, 5 cum levi corruptela *plumbea*, quam pro vulgato ante Pyladem *plumia* a Pio commendatam suscepit Carpentarius. Longe ab Osanni ratione diversam viam Bothius ingressus temere utriusque partis versibus mixtis et confusis protulit, quod probari nullo modo possit. Sed ne Osannus quidem satis fecisse iudicari potest: nec enim apto sententiae vinculo v. 26 verba *eadem exorabo* e. q. s. coeunt cum versuum 19—21 sententia. Quapropter ego ex interpolationis societate eximendum v. 25 statuo, ut hoc ordine singuli versus antiquitus sese exceperint: *Decretumst — Igitur mi — Tum cum mihi — Quam si ad — Profecto — Eadem exorabo —*. Etenim imprimis apposita ad Mnesilochi animum describendum repetitae v. 18 et 25 sententiae gravitas est. Qui quod antea se decernere dixerat simpliciter, de eo paullo post magis magisque confirmato consilio multo etiam fortius *profecto* ait *stat sententia, a qua non me patiar avelli.* Illis autem *me patri aurum reddere* (imperite enim Bothius *patri me aurum reddere*) tam apte annectuntur quae consequuntur *eadem exorabo*, nihil ut ad sermonis concinnitatem desideretur. Nec enim rara locutio *stabile est* credi potest interpretando *decretumst* esse adhibita; nec pro versus 25 interpretatione priorem illum 18 habebit, qui quid in hoc genere criticae artis ratio postulet, perspexerit. Qui autem reliqui sunt tres versus, eos sane deberi scioli alicuius sedulitati credo, in versuum speciem concinnantis quae interpretationis caussa ascripta videret. Quod quidem cum de v. 22. 23 sua sponte intelligatur: nam ut taceam ineptissime sociata *gravior aut propensior*, nec numeros prioris versus placere cui-

Digitized by Google

quam puto, nec *opulentiae* vel usitate dicuntur vel satis opportune: consequens est etiam ad v. 24 pertinere. Cuius duplex hiatus, male defensus ab Lingio Quaest. Plaut. p. 21, mirum quantum auget suspicionem. Neque enim futilissimi supplementi e Schobingeri codice proditi, a Pylade autem, Vgoleto, Angelio, Aldo suscepti: *mori me malim misera excr. inopia,* ulla ratio habenda, nec Camerariae scripturae *mori me mavelim,* nec Bothii commentorum olim *moriri malim med* proponentis, nuper *moriri malim excr. me inopia* amplectentis. Vnum quod aliquid dubitationis iniiciat, illud est *sed autem*, quod in Palatinis scriptum exstat pro vulgato per omnes editiones et Lipsiensem codicem *sed ante:* sed tamen ne hoc quidem esse eiusmodi videtur, ut non potuerit ex ipsius imitatione Plauti nasci.*) Confer Rud. II, 5, 15. Truc. II, 3, 14.

§. 8.

Restant quidam Bacchidum versus, quos etsi Osannus in duplicis recensionis societatem non ascivit, tamen non praetermisit Analectorum capite IX, quo *interpolationem* fabularum Plautinarum indagare studuit. Namque a Plauto profectos esse hos versus negat IV, 9, 149 sqq.:

Sed, spectatores, vos nunc ne mirémini,
Quod nón triumpho. pérvulgatumst: nil moror.
Verúmtamen accipiéntur mulso milites.
Nunc hánc praedam omnem iam ád quaestorem
déferam.

*) Simile quiddam tetigimus Diss. IX, c. I, § 2. — Ceterum quos hoc loco Bacchidum versus suppositicios diximus, eosdem nec vel plus vel minus abesse ab Ambrosiano postea comperi: vid. Diar. antiq. stud. a. 1837 p. 743.

Digitized by Google

Vbi *iam* accessit e Vetere codice Camerarii. Illorum igitur versuum fidem operae pretium est audire, quibus argumentis Osannus impugnarit. *Quod Ciceroni* ait *in Pis.* 25 *de vana triumphandi cupiditate et studio declamare licet, non idem a Plauto dici poterat, cuius aetatem vix plus quam duo triumphi, alter Marcelli a. V. C.* 531, *alter P. Scipionis Africani a.* 549 [immo 552] *attigerunt; quo tempore si Plautus triumphandi morem ut pervulgatum et tritum propinavisset deridendum, non posset non ineptus videri. Ad ea potius tempora Plautinus locus spectat, ubi triumphandi frequens usus in abusum verterat.* Quae ubi primum legebam, aliquamdiu animi perturbatus, mox velut longinquae memoriae recordatione de Livii in hoc genere diligentia admonitus coepi triumphorum exempla circumspicere, reperta disponere, conquisitorum numerum computare, cum lectis relectisque Osanni verbis comparare: postremo vix mihi ipse non diffidens tamen credere sum coactus, quod persuasit oculorum fides. Quippe quinque ab urbe condita saeculis, si ne regum quidem tempora praetermittimus, triumphatum est centies vicies septies, ab initio autem sexti saeculi ad mortem Macci Plauti, quae accidit a. 569 Capitol., quadragies bis, hoc est quadragies praeter binarium numerum Osanni, itemque praeter ovationes.*) Quodsi quis tantum aberrare a veritate Osannum potuisse diffidat, suadeo ut Fastos consulares et triumphales adeat, velut pridem ab Onuphrio Panvinio compositos in edit. Venet. a. 1557 p. 200 sqq., vel ab Sigonio Oper. omn. ed. Mediol. a. 1732 vol. I, p. 11 sqq. Nunc autem persentiscisne, quam commode

*) Mirum est Kampmannum quoque hoc fugisse Comm. de reb. milit. Plauti p. 41.

Digitized by Google

pervulgatum dicere triumphandi honorem is poeta potuerit, quem haud ita multo post initium sexti saeculi natum esse constet*). Praeterea autem minime negligere illud Osannus debebat, quod, in quibus versamur Bacchidum versibus, eis Chrysalus respicit prius a se dicta eiusdem scenae v. 47 sq.:

Nunc etiam alteris ducentis usus est, qui dispensentur
Ilio capto, ut sit mulsum, qui triumphent milites.

Sed nondum missum facio hunc locum, e quo si minus cogere argumentandi necessitate, at coniecturae certe probabilitate assequi posse actae fabulae tempus videmur. Nam cum sit consentaneum in ipsis temporum rationibus aliquid caussae quaerere, cur levi irrisione triumphandi honorem poeta perstrinxerit, ego quidem imprimis commoda eius irrisionis tempora duo potissimum reperio, finiti belli Philippici, et belli Antiochini. Posteaquam enim inter a. 535 et 542 nullus decretus fuerat triumphus, nullus a. 543. 545, ab a. 547 ad 552 item nullus, nullus denique a. 554. 555, secuta sunt ea tempora, quibus propemodum continua exstitit triumphorum sese excipientium frequentia. Bis est triumphatum a. 556 ab C. Cornelio Cethego de Insubribus Cenomanisque, ab Q. Minucio Rufo de Liguribus Boiisque Gallis (Liv. XXXIII, 22 sq.); a. 557 de Comensibus et Insubribus ab M. Claudio Marcello (Liv. c. 37), a. 558 ab Q. Minucio Thermo ex Hispania citeriore (Liv. XXXIV, 10), ut ovationes praetermittam Cn. Cornelii Lentuli et M. Helvii Blasionis, de quibus Liv. ibid. et XXXIII, 27; bis deinde a. 559 ab M. Porcio Catone ex Hispania, ab T. Quinctio Flaminino de rege Philippo ex Macedonia (Liv. XXXIV,

*) Vide Diss. II.

Digitized by Google

46. 52). Sed tamen habeo, cur aptius etiam in proxima tempora convenire Plauti verba putem. Missa enim M. Fulvii Nobilioris ovatione (Liv. XXXVI, 21. 39), de Boiis Gallis a. 562 triumphum egit P. Cornelius Scipio Nasica, a. 563 de Aetolis et rege Antiocho M'. Acilius Glabrio (Liv. XXXVI, 40. XXXVII, 46); proximus autem annus quaternos triumphos vidit L. Cornelii Scipionis Asiatici, navalemque L. Aemilii Regilli de rege Antiocho, Q. Fabii Labeonis item navalem ex Creta (Liv. XXXVII, 59. 58. 60), et L. Aemilii Paulli ex Hispania ulteriore (Vellei. Paterc. I, 9 coll. Sigon. comment. in Fast. p. 316); quos uno interiecto anno secuti sunt a. 566 M. Fulvii Nobilioris de Aetolis et de Cephallenia, et Cn. Manlii Vulsonis de Gallis Asiaticis triumphi (Liv. XXXIX, 5. 6), nullus autem proximis annis ad mortem Plauti. Habes multitudinem satis ut videtur idoneam, cur pervulgatus diceretur mos triumphandi; nondum habes rationem, cur in summa frequentia amplissimum honorem parum se curare Chrysalus dixisse videatur. Etsi igitur iam Minucium Rufum non satis triumphandi honore dignum tribunis visum Livius memorat, etsi eundem honorem non sine aliqua tribuni intercessione tum Scipionem Nasicam impetrasse tum Fulvium Nobiliorem narrat XXXVI, 39. XXXIX, 4: tamen haec levia fuerunt nec comparanda cum acerrimis certaminibus, quibus pervicacissima contradicentium repugnantia superanda Manlio Vulsoni, ac multo etiam magis Fabio Labeoni fuit. Ac de Cn. Manlio quae Livius XXXVIII, 44—50 memoriae prodidit, faciunt ut anceps sit iudicium; sed Q. quidem Fabio neminem unquam indigniorem ad triumphi honorem accessisse, satis aperte ab eodem declaratum est XXXVII, 60 et XXXVIII, 47. Quippe *triumphavit, quem non bellum iniustum gessisse, sed hostem*

Digitized by Google

omnino non vidisse inimici iactabant. Nunc igitur si licet coniecturam facere ex eo, quod sit probabile, annum V. C. 564 credo eum fuisse, quem non longo intervallo secuta sit eius fabulae Plautinae actio, in qua pervulgatus triumphandi mos dicatur multumque de prisca eius dignitate esse detractum significetur. *)

Atque haec hactenus: in exordio enim Bacchidum coniecturae ope instaurando Dissertatio XI versabitur.

EPIMETRVM.

Ad p. 405.

Bacchidum versu V, 1, 4 *ludos* asciscendum ex utroque Palatino pro vulgato inde ab editione principe *ludum*: cuius corruptelae fontem monstrat Lipsiensis, in quo est *ludus*. Duae sunt locutiones, in quibus constans usus Plautinus respuit singularem numerum, *ludos facere alicui*, et *aliquem ludos facere*. Illam habes Merc. II, 1, 1 et Rud. III, 1, 1:

Miris modis di ludos faciunt hóminibus.

*) His adde supra p. 252 sq. disputata.

Digitized by Google

Trucul. IV, 2, 46:

Iam hércle ego tibi, illécebra, ludos fáciam clamore in via.

Mostell. II, 1, 80:

Ludós ego hodie vívo praesentí seni
Faciám:

vere enim nunc receptus est dativus, quem a manu secunda Vetus Cod. tenet, pro eo quod est in Decurtato, Lipsiensi, Principe, *sene:* neque enim illius libri manus secunda fere est recentior quaedam, sed optimarum saepe scripturarum servatrix. Similiter est in Casin. IV, 1, 3:

Quam hic íntus fiunt lúdi ludificábiles
Seni nóstro.

Frequentior etiam altera locutio est, quanquam aliquoties affecta librariorum vitio. Amphitr. II, 1, 21:

Rogásne improbe étiam, qui lúdos facis me:

sic enim Vetus et Vrsinianus: reliquorum pars Palatinorum *ludifacis*, alia pars cum Lipsiensi et Principe *ludificas.* Aulul. II, 2, 75:

Quém senecta aetáte ludos fácias haud meritó meo.

Capt. III, 4, 47:

'Vt scelestus, Hégio, nunc íste te ludós facit:

ubi *iste* pro vulgato *is* commode praebuit Lipsiensis, nihili faciendae aliorum quorundam criticorum nugae sunt. Bacchid. V, 1, 14:

Me hoc aétatis ludificari, immo edepól sic ludos fáctum:

ubi in Decurtato erratum est *ludus.* Menaechm. II, 3, 54:

Idm me amabo désine ludos fácere atque i hac mecúm simul:

rectius enim *me*, quod ab omnibus libris abest, Grute-

Digitized by Google

rus addidit, quam *ium* geminarat Camerarius. Pers. V, 2, 23.:

Lúdos me fácitis, intéllego.

Bud. II, 5, 13 Vetus Cod. (nam in Decurtato, Lipsiensi, Principe hic quaedam desunt):

Nusquam hércle equidem illam vídeo: lúdos mé facit.

Pseudoli IV, 7, 71 sq.:

S. 'Exploratorem húnc faciamus lúdos súpposititium.

B. 'Adeo, donicum ipsus sese lúdos fieri sénserit:

quorum priore versu *ludos* coniecit Lambinus et ante eum eius recensionis auctor, quam Lipsiensis codex tenet: reliqui libri *ludo.* Sed *ludo facere aliquem* Plautus alibi non magis dixit, quam *ludum aliquem facere*: tametsi in Argum. Mostell. 7 legitur

Ludósque rursum fit senex:

ubi mirum est in Decurtato (quanquam in hoc ambigue), Lipsiensi, Principe, itemque a manu prima in Vetere legi *ludósque*, quod non habeo quomodo explicem, nisi ut ex vetustissima linguae aetate repetam, cuius non adeo pauca vestigia in optimis libris Plautinis resident. Sed argumenta quidem acrosticha Plautinis fabulis praemissa, quale illud est Mostellariae, quis tandem adduci poterit ut cum Lingio Quaest. Plaut. p. 21 sq. ab ipso Plauto profecta credat*)? Plautus autem quam fuerit in hoc genere tenax pluralis numeri, ex alia quoque loquendi forma apparet ad illius, quam tractavimus, similitudinem facta. Rudentis enim III, 5, 12 dixit:

Si té non ludos péssumos dimísero:

ita enim pro *non te* transponitur in Ambrosiano. Eius-

*) Vide Diss. XII.

Digitized by Google

dem autem fabulae versum IV, 1, 9 quanquam communi consensu codices sic scriptum testantur:

Nam nunc et operam ludos dat et rétia:

tamen tanta est productae *dat* syllabae insolentia, ut alteri alicui locutioni, quae sit *aliquid ludos dare*, parum inde fidei paretur. Et ipsum *facit* pro *dat* prodidit eum versum afferens Priscianus VII, 11, 55 (I, p. 328) Kr. E quo et illud et *retiam* in principem editionem Merula ascivit.

Digitized by Google

DISSERTATIO VIII.

DE

TVRBATO SCENARVM ORDINE

MOSTELLARIAE PLAVTINAE.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE TVRBATO SCENARVM ORDINE MOSTELLARIAE PLAVTINAE. *)

Caput I.

§. 1.

Mostellariam Plautinam in veteribus libris constat perturbatissimo seenarum ordine proditam esse eamque speciem, quâ et legi et intelligi posset, editorum demum studio induisse. Quae opera quam tarde et tanquam per gradus quosdam successerit, satis olim Pyladis, Angelii, Lucae Olchinensis duplicique Camerarii exemplo ostendi in Musei Rhenani vol. IV, p. 208. 496. 502. 508. 523. Rei summam ut paucis comprehensam ante oculos ponam, a Gronoviana editione, quae in his pendet e Camerarii auctoritate, sic discrepant cum antiquissimis editionibus libri mss., ut duae partes scenae primae actus III, praeterea pars scenae secundae, denique tota scena tertia eiusdem actus certis in locis actus IV et V insertae legantur. Interpositi enim sunt act. III sc. 1 vv. 72 ad 113 post IV, 2, 2: deinde III, 1, 114 ad 155 post V, 1, 17: porro III, 2, 115 ad 155 post IV, 1 extr.: denique III, 3 post IV, 2, 23.

*) Edita a. CIↃIↃCCCXLIII.

Digitized by Google

Eoque de ordine inter codices convenit praeter Ambrosianum palimpsestum ad unum omnes: nisi quod in Etrusco nostro miro sane casu in his ipsis turbis magis etiam eo est turbatum, quod una scheda sedem suam bibliopegi vitio mutavit. *)

Ac pleraque quidem rectissimo iudicio Camerarium transposuisse non probabile potius est quam sanae rationis necessitate extra controversiam positum. Nec extitit praeter unum Pareum, qui insanire cum scriptis libris quam cum impressis sapere mallet: quod ille piaculum in altera editione commissum vix eo eluit, quod ad Camerarii exemplum sero rediit in tertia: meritoque rustico homini Grutero vapulavit p. 647. 651. 661. Vna sola offensio non potuit non restare, spectans illa ad act. III scenam tertiam. Extrema enim scena III, 2 in Simonis aedes Theuropides Tranioque inspiciendi caussa intrant: nullo autem intervallo proximae scenae initio prorsus eaedem personae apparent de in-

*) Pertinet haec schedarum traiectio etiam ad eam quae antecedit fabulam, ut hoc sese ordine singula excipiant: Sched. I = Bacch. IV, 9, 95 ad V, 1, 19 med. — Sched. II = Most. III, 2 28 ad 102. — Sched. III = Bacch. V, 1, 19 med. ad V, 2, 59. — Sched. IV = Bacch. V, 2, 60 ad fin. et Most. init. ad I, 1, 30 med. — Sched. V ad XI = Most. I, 1, 30 ad III, 1, 28. — Sched. XII = III, 1, 29 ad 70 156 ad 159. III, 2, 1 ad 27. — Sched. XIII = III, 2, 103 ad 114. 156 ad 170. IV, 1 tota. III, 2, 115 ad 134. — Sched. XIV = III, 2, 135 ad 155. IV, 2, 1. 2. III, 1, 72 ad 113. IV, 2, 3 ad 23. III, 3, 1. — Sched. XV = III, 3, 2 ad 28. IV, 2, 24 ad 65 med. — Sched. XVI = IV, 2, 65 ad 75. IV, 3 tota. V, 1, 1 ad 17. III, 1, 114 ad 124. — Sched. XVII = III, 1, 125 ad 155. V, 1, 18 ad 66. — Sched. XVIII = V, 1, 67 ad finem fabulae. Apparet schedam II collocandam fuisse inter XII et XIII. Quod si feceris, ipsum habebis veterum librorum ordinem singillatim descriptum.

Digitized by Google

spectis a semet aedibus sermocinantes. Quod patet tam absurdum esse, ut non modo defensionem, sed ne excusationem quidem ullam habeat. Accedit aliud quiddam. Actus enim IV sc. 2 v. 26 unde tandem subita Theuropidis praesentia, non ullo vel indicio significata vel artificio praeparata? quando nec a servis fores pultantibus ante conspicitur ille ut adveniens, nec quid agens veniat ipse memorat: prorsus id quidem praeter morem comoediae et profecto etiam praeter rationem.

Quae cum ita essent, non sane inepte Koepkius, cui obsecutus est Bothius, ab ea scena, quae est III, 3 apud Gronovium, voluit actum quartum ordiri: satis enim temporis potuit inter duos actus praeterlapsum cogitari, quo omnes aedium opportunitates commodissime pervestigarentur. Nec illud non probabiliter institutum, quod Lambini suasu unius scenae perpetuitate primam et alteram actus IV continuarunt: tam necessario inter se vinculo extremus primae secundaeque primus versus continentur:

Póstremo minóris pendo tergum illorum quám meum:
Illi erunt bucaédae multo pótius quam ego sim réstio.

Nec novae scenae ullum ante posteriorem versum in libris scriptis indicium. Sed ita quid fiat Theuropide? Eumne credibile est, postquam extrema scena III, 3 (quam illi IV, 1 fecerunt) Tranio discesserat, per totum illud tempus, quo sc. IV, 1 et 2 (quae illis una IV, 2 sunt) Phaniscus tum secum loquitur tum iocatur cum conservo, h. e. per integros versus 53, otiosum astare et prorsus nihil agentem? Quod sentiens ut videtur Koepkius cum senem tantisper consedisse in aliquo scabello putat, nihil animadvertentem eorum quae circa eum agerentur: non reputavit de constanti consuetudine

Digitized by Google

illud ipsum considendi et expectandi (velut filium expectandi) consilium Theuropidi aliquot verbis significandum fuisse, prorsus ut III, 1, 152 *ego hic tantisper* ait *dum exis, te opperiar foris,* priusquam per magnam partem scenae III, 2 otiosus sane astat. Nec scabelli artificium illud valde placet; probabilius certe, si modo de lacuna cogitandum, in extrema III, 3 Theuropidem credideris tale quiddam dixisse: *Séd quid illi homines meás ad aedis húc habent rectám viam? Paúllisper lubet óbservare quid agant: huc concéssero.* Quanquam ne quid dissimulem, vel sic aliquid offensionis relictum est: fatendum est enim Theuropidis verba IV, 2, 26 posita

Quae illaec res est? quid illic homines quaerunt
apud aedis meas?
Quid volunt? quid introspectant?

haec igitur non eius potius esse, qui iam per aliquod tempus placide observarit, quam eius quem repentinus mirae alicuius rei aspectus advertat.

Quid autem, si reliquis omnibus rationi convenienter constitutis in hoc uno a vero aberraverit Camerarius, quod ulterius quam par erat progressus transpositionis artificium etiam ad illam ipsam scenam, quae nunc est III, 3, pertinere voluit nec intactum in illa fabulae parte reliquit veterum librorum hunc ordinem: IV, 2, 3 ad 23. III, 3. IV, 2, 24 ad fin.? Quo quidem haec rerum continuitas efficitur, ut III, 2 extr. Theuropide et Tranione in Simonis aedes ingressis tertius actus terminetur: proximi initio prodeant Callidamatis servi, ero apud Philolachetem comissanti adversum euntes, deinde, postquam foribus pultatis nemo aperuerat, speculantes atque exspectantes: haec autem dum aguntur, in altera parte scenae e Simonis aedibus satis nunc perlustratis Theuropides cum Tranione ex-

Digitized by Google

eant, iisque sermonibus habitis, qui nunc sunt III, 3, Tranio quidem discedat quaerendi filii erilis caussa, Theuropides autem Phanisci verbis his auditis:

Hic quidem neque convivarum sonitust, item ut antehac fuit:
Neque tibicinam cantantem neque alium quenquam audio:

repente exspectantes illos ac speculantes apud aedes suas homines conspicatus in illa erumpat? *Quae illaec res est* c. q. s.

§. 2.

Atque haec quidem illa ipsa via est, quam memet una cum Lachmanno ingressum olim significabam in Zimmermanni Diar. antiq. stud. a. 1837 p. 744. Quae priusquam diligentius expendatur ratiocinando, illud agendum, quo in hoc genere ratiocinatio omnis tanquam certissimo fundamento superstruitur, ut, e qua condicione formaque externa antiquissimi alicuius codicis Plautini singularum partium transpositio quaeque tanquam e communi fonte repeti possit, coniectura assequamur. Et praestitit id quidem princeps in hac arte Lachmannus ea ratione, quam indiculo aliquo sic planam fecit.

Verus ordo singularum partium	Versuum numeri editionis principis	Traiectarum ordo schedarum	Pristinus ordo schedarum
III, 1, 72—113	35	VI	I
III, 1, 114—155	36	XI	II
III, 1, 156—2, 114	104	I. II. III	III. IV. V
III, 2, 115—155	41	V	VI
III,2,156—170. IV,1,1—27	37	IV	VII
IV, 2, 1. 2	1½	*	
IV,2, 3—23. III, 3, 1—28. IV, 2, 24—V, 1, 17	150	VII. VIII. IX. X	VIII. IX. X XI

Traiectionis apparet hanc caussam cogitari, ut nec integra schedarum paria locos mutarint, nec binis sche-

Digitized by Google

dis unius paris praepostere plicatis peccatum sit, sed parium quorundam prorsus divulsorum singulae schedae ordine non suo sint collocatae. De duobus autem versiculis illis, qui primi sunt act. IV sc. 2, omitto nunc quid statuerit Lachmannus: secundarium enim hoc quidem. Verum quod ille ut primarium in hoc genere iure meritoque consectatus est, ut par vel prope par esset versuum numerus singulis schedis distributorum, ab ea quidem aequalitate ipse sensit nimium abesse schedam V (VI), ut in qua versus perscripti essent quadraginta unus. Quam discrepantiam inde natam esse eoque levari credidit, quod, qui post III, 2, 129 in libris duo versiculi leguntur (*Vin qui perductet placet, Quïd — quispiam*), tantum in margine scripti fuissent: suum enim illis locum post v. 156 (*Latius demum — mones*) esse, ubi cum forte omissi essent, postmodum animadverso errore non in scheda IV (VII), quo pertinerent, esse ascriptos, sed in V (VI) positos, et in summo quidem margine positos iccirco quod quo pertinerent nesciretur. Atque hoc quidem cum possit verissimum esse*), tamen parum est quod duobus tantum de unius et quadraginta versuum multitudine detractis profecerimus ad eam qua opus sit aequalitatem consequendam: nimia enim a triginta quinque ad undequadraginta versus varietas, quam quae necessitatem persuadeat illius potissimum, quae proposita sit, errorum originis. Quodsi relicto Merula a Decurtati qui dicitur Vrsinianive libri numeris proficiscare, sane magis etiam turbata aequalitate has reppereris versuum in singulis schedis summas: 32. 31. 108. 41. 37. 142: sciendum est enim saepissime illos ipsos libros prorsus

*) Tractavimus hunc locum cum iis quae coniuncta sunt Cap. III, §. 1.

Digitized by Google

neglecta versuum distinctione Plautina verba una perpetuitate tanquam non astricta numeris exhibere. Non mirandum, sed laudandum in Lachmanno, quod qua est prudentia noluit in computandis numeris ea versuum descriptione uti, quae in editionibus hodie fertur: non veriturus facere, si summam esse in hoc genere editionum inde a Camerario proditarum cum Vetere codice congruentiam scivisset: cuius quidem codicis beneficio dici nequit quoties sanior versuum descriptio debeatur. Vnum illud tenendum, quod tetigi in commentariolo de biblioth. Alexandr. scripto p. 122, quod aliquoties in illo libro, quo chartis parceretur, praesertim sicubi brevius esset genus versuum, non quidem omnino licenter et promiscue perscriptos, sed certa consilii constantia binos in unum ita coniunctos reperimus, ut a grandiuscula littera alterius initium fiat. Atque hoc in hanc ipsam partem Mostellariae ita cadit, ut non modo a III, 2, 37 ad 59 viginti versus numerentur pro viginti duobus et a IV, 2, 4 ad 23 quindecim pro viginti, sed pro duobus et viginti undecim tantum a IV, 3, 18 ad 39. Qui versus cum non possit dubitari quin in antiquissimis codicibus singillatim fuerint perscripti, iam hi prodeunt schedarum numeri quos infra posui.

VI	42
XI	41
I. II. III	121
V	41
IV	42
VII. VIII. IX. X	166

Quorum concinnitas tanta est ut nec quicquam desideretur, et eius, quem pristinum diximus, ordinis tamdiu necessitas demonstrata sit, quamdiu non alio computandi exemplo, cuius non minor sit concinnitas, alium posse partium disiectarum ordinem excogitari, ostenderis.

Digitized by Google

Et tamen demonstrationis gravitatem sat magnam licet etiam certiore argumento confirmare. Quod quidem ex Ambrosiani libri deleticii auctoritate petitum est, cuius laciniis etsi modica pars huius fabulae servata est, tamen hoc ipsum, modo recte utare, satis esse ad pristinum scenarum ordinem perspiciendum olim significavi. Quattuor supersunt schedarum paria, verum ea non unius (ut vocant) quaternionis, sed duorum, ita quidem ut utriusque quaternionis bina paria perierint. Indicem subieci singularum schedarum, in quo minusculis litteris deperditas, superstites grandiusculis notavi, additis simul paginarum numeris ad posteriorem scripturam spectantium.

Pristina schedarum iunctura	Paginarum numeri	Partes fabulae
a		
B	199. 200	III, 1, 49—66. ‖ 67—85
c		
D	71. 72	III, 1, 121—139. ‖ 140—158
E	77. 78	III, 1, 159. III, 2, 1—16. ‖ 17—...
f		
G	201. 202	III, 2, 72—90. ‖ 91—109
h		
J	295. 296	III, 2, 141—155. ‖ 156—...
k		
l		
M	447. 448	III, 3, 20—28. IV, 2, 24—30. ‖ *** IV, 2, 31-42
N	463. 464	IV, 2, 43—59. ‖ 60—75
o		
p		
Q	301. 302	V, 1, 2—13.*** ‖ ***V, 1, 14—25.

Non hoc tantum ex Ambrosiano libro intelligitur, tertiam scenam actus tertii ab IV, 2 versu 24 excipi, sed

Digitized by Google

illud quoque facile demonstrabimus, non potuisse priorem partem scenae 2 act. IV non collocatam esse ante III, 3. Nam cum scripturae versus (non necessario item metricos) singulae codicis illius paginae sine ulla exceptione undeviginti teneant, consequens est ut in schedis k et l perscripti fuerint sex et septuaginta. Quibus ubi addideris illos undeviginti, quorum qui finis sit in corruptissima pagina altera schedae J dignosci nequit, habebis nonaginta quinque. In quem numerum satis convenit versuum summa eorum, quos e vero scenarum ordine hoc computaveris:

ab III, 2, 156 ad 170	versus	15
ab IV, 1, 1 ad 27		29
nulloque intervallo		
ab IV, 2, 1 ad 23		23
ab III, 3, 1 ad 19		21
		88

Sciendum est enim inter singulas scenas in Ambrosiano binorum ubique versuum spatia intercedere, quorum alterum vacuum est, personarum nomina tenet alterum. Quodsi hac ratione deesse septem versus videntur, quos excidisse in Palatinis ceterisque codicibus credendum sit, ut ratio conveniat nostra: habet quidem hoc genus concludendi necessitatem in iambicis senariis, in quibus metricorum versuum numerum nunquam non aequant scripturae versus, non habet in trochaicis ceterisque tetrametris, ut qui versus propter nimiam longitudinem non raro binis scripturae versibus Ambrosiani codicis librario dispescendi fuerint.

§. 3.

Ergone satis nunc omnia expedita sunt nullique iam dubitationi obnoxia? Non ita vero. Remotum est sane

Digitized by Google

illud incommodum, quod secundum tralaticium scenarum ordinem per longissimum temporis spatium nec agens quicquam nec audiens conspiciensve, nec conspectus a Phanisco, Theuropides astet: sed verendum ne aliud ita incommodum succreverit. Quid enim iam agere Phaniscum et conservum existimabimus, dum per duodetriginta versus (III, 3) Tranio et Theuropides e Simonis aedibus reduces colloquuntur? Scilicet Callidamatis exitum exspectant et ecquis tandem intus sit speculantur. Audio. Exspectent igitur et speculentur: nec vel illi Tranionem conspiciant cum Theuropide exeuntem, nec hi ipsi per maximam partem colloquii sui adversitores illos. Ac reputandum sane, diversis in locis utrosque versari, ante Theuropidis aedes adversitores Callidamatis, ante aedes Simonis cum Tranione Theuropidem. Nec offensioni talia fuisse, quae, si e rei veritate censeantur, parum probabilitatis habeant, satis esse documento haec una fabula poterit. Neque enim III, 1 initio sermocinantem cum Theuropide Tranionem ante v. 33 danista animadvertit, nec III, 1 extr. et III, 2 init. vel Simo aut Tranionem aut Theuropidem, vel ipse Theuropides ut videtur aut Simonem aut Tranionem: et tamen vicinae sunt Theuropidis Simonisque aedes. Quid? quod post colloquium cum Simone habitum tantum iter Tranio, ut ad erum redeat, conficere cogitandus est, quantum decem versibus (88 sqq.) recitandis sufficiat, ipse autem Theuropides *heus Theuropides* verbis (v. 97) servo inclamandus?— Sed tamen quod per maximam partem illius, in quo versamur, colloquii non esse Tranioni conspectos Callidamatis adversitores largiti sumus, id non item pertinere ad ipsum finem huius scenae potuit. Non nescio, quid excusationis paratum sit. Nam Tranio cum sane ad congerrones se suos collaturus sit v. 27, tamen hoc

Digitized by Google

quoniam non potest non clam facturus esse, ita quidem ut Theuropidi videatur rus potius petere arcessendi filii caussa: in contrariam Theuropidiis aedibus partem oportet iter deflectat, unde per viarum ambages quasdam ad posticum aedium illarum reversurus sit. Esto. Verum ne oculos quidem discedentem in eam domum coniicere, unde tantum tamque praesens ei periculum immineat, id profecto nimium fuerit nec ullo modo credibile, praesertim cum ad illius domus cogitationem semet ipse his verbis revocet:

Dicam ut hic res sint quietae atque hunc ut hinc amoverim. *)

Ergo illuc spectet necesse est et nihil tamen conspiciat. E quo consequens est ut nunc lateant, qui antea ante fores steterint: quos si conspexisset Tranio, ilico de se actum esse omnemque fraudem suam etiamtum praesenti Theuropidi patefactum iri intellexisset. Quodsi, quo se abdiderint, quaeris, non est difficile respondere. Quippe pone vestibulum aedium Theuropidiarum se receperant, et pone eum quidem parietem vestibuli, qui a Simoniis aedibus remotior esset. Frequens enim cum

---

*) Nulla Maio fides habenda, qui in Ambrosiano codice sic legi hunc versum perhibeat:

Dicam ut hinc res est quaeso ar(ma ferte) manum pueri.

Nostris oculis nihil nisi haec apparuerunt:

Dicam ut hinc res sint qu..s . . . . . moueri

ut de eo certe non sit dubitandum, quin *amoverim* scriptum fuerit in fine versus. Quo in loco aliquoties ille liber Ī habet pro IM et quae id genus alia sunt. Nec quicquam ineptius verbis a Maio positis. Vnum S illud, quod est post QU. ., haereo quam in partem interpreter. Quod ubi missum feceris, in litterarum spatia ea quae vulgatur scriptura apprime convenit. — Ceterum cum in scriptis libris sit *atque ut hunc hinc amoverim*, poteris si males de elapsa syllaba cogitare: *atque ut e g o hunc hinc amoverim*.

Digitized by Google

in reliqua Romanorum comoedia tum in hac fabula vestibuli usus est et late patens: quem si non satis animadvertas, saepe fiat ut sive poetae artificium sive consilia personarum parum perspicias. Velut quod Most. II, 1 fit convivium, id cum non in aedibus fieri, sed ante aedes vv. 47. 50. 54. 58. 78 doceant, ubi tandem nisi in vestibulo haberi cogitabis? — Quodsi pergis quaerendo, cur illuc isti se servoli receperint, satis hoc eo versu significatur, qui ultimus est ante IV, 2, 24: *cauto opus est, ne huc exeat qui male me mulcet.* Tergo igitur suo Phaniscus metuit: quod qui potest in tutum certius recipere quam angulo aliquo, in quo latitet, occupato? An vero, qui, quid mos comodiae flagitet et constans Plauti consuetudo, perspexerit, illud ipsum latendi consilium credat significatum potius a Phanisco esse quam planis verbis enuntiatum? Quod cum fieri potuisse confidenter nego, tum huius confidentiae habeo unde certissimum firmamentum petam. Namque aliquid post ea, quae attuli, verba excidisse iam ita demonstrabo, ut prorsus omissa de scenarum ordine actionisque rationibus quaestione Phanisci orationem extremam, qualis tandem sit per se spectata, excutiam. Est autem illius in Vetere codice inde a IV, 2, 19 haec species:

Heus ecquis hic est maximam qui his iniuriam
Foribus defendat? hecquis ecquis huc exit atque aperit?
Nemo hinc quidem foras exit. ut esse addecet nequam homines ita sunt.
Sed eo magis cautò est opus Ne huc exeat qui male me mulcet.

Quorum nemodum qui numeri essent cum aliqua probabilitate definire potuit. Nec fieri hoc prius poterit, quam lacunae alicuius sedem indagaveris sententiae quidem vitio nullo indicatae. Nulla arte ullum opinor

Digitized by Google

metrum extundes nisi ascitis inter *foras exit* et *ut esse* aliquot vocibus. Quod ubi feceris, mirum est non unam, sed duas inter se diversas vias patere summae numerorum concinnitatis recuperandae: ut aut hoc genus versuum restituas sat multis exemplis comprobatum:

⏑ – ‖ ⏑ – ⏑ –

aut hoc non usitatum quidem, sed minime vel ineptum vel incredibile:

– ⏑ – ⏑ – ‖ ⏑ – ⏑ –

Ad priorem formam ut Phaniscr verba revocentur, paucis quibusdam emendationibus opus est:

Heus,
Écqui hic est máxumam qui his iniuriam
Fóribus defèndat? ecqui éxit atque aperit?
Némo [homo] hinc quidém foras éxit [qui aperiat. *)
Hércle] ut esse áddecet néquam homines, ita sunt.
Séd eo mage cáuto opust, ne húc [nunc] exeat,
Quí male me múlcet – ‖ ⏑ – ⏑ –

Paucioribus etiam mutationibus alteram formam nancisci licet:

Heus, écquis hic est máxumam qui his iniuriam
Foribus defendat? écquis huc éxit atque aperit?
Nemo hínc quidem [huc] exit foras, [nóbis qui aperiat.
Profécto pol] ut esse áddecet néquam homines, ita sunt.
Sed eó magis cautóst opus, ne húc [nunc] exeat,
Qui málе me mulcet ⏑ – ‖ ⏑ – ⏑ – **)

Vides utramcunque viam inieris, mancum evadere extremum versum. Quo facillima opera aut sic suppleto

Qui male me múlcet: hinc paúllum abscessero

*) *quidem* pro una syllaba est, ut sescenties alibi.
**) Vide Epimetrum.

Digitized by Google

(vel *illúc concessero, illúc iàm abscessero*): aut sic

Qui málе me mulcet: sátius est me hínc abscedere:

id consequimur, quo prorsus exspectationi satisfiat. Nam etsi potuerunt sane etiam plura intercidere: quando septem versuum spatia secundum calculum supra a nobis subductum suppetunt: tamen ne solet quidem istud secedendi consilium nisi brevissime apud Plautum declarari: velut solis *huc concessero* verbis illud cum alibi fit tum Most. III, 1, 156.

§. 4.

Atque haec omnia ita disputavimus, ut de versibus 1 et 2 sc. 2 act IV (*Illi erunt bucaedae multo potius quam ego sim restio. SE. mane tu atque assiste ilico*) non dubitaremus quin recte a Camerario ante IV, 2, 3 repositi essent: nam in codicibus quidem inter III, 2, 155 et III, 1, 72 interiectos esse ab initio exposuimus. Quibus cum aliam commodam sedem nec potuerit quisquam, nec ut arbitror possit indagare, tum ex Ambrosianis fragmentis tantum certe cognoscitur, nec post III, 2, 155 nec ante III, 1, 72 collocatos fuisse. Rectissime autem Lachmannus hanc transpositionem vidit cum reliqua schedarum permutatione ita connexam esse, ut qui duo versiculi forte elapsi traiectarum schedarum septimae (= VIII) praemittendi fuissent, ascriberentur initio sextae (= I). Cuius erroris caussam apparet hanc fuisse, quod simillima utroque loco verba (*mihi*) *molestus ne sis* sequuntur.

Digitized by Google

Digitized by Google

ad. p. 447

. . . . . NITAQU D N NOI

. . . . UMA V ISTEO IUS RA I ONUS

SES ALTRA N ESQUAI N I A D S

UN LAMP B S I Q NO I I I MS N II

ALU ES IAC LI QUID MST A EE MUSUS

UIAPII SIDQ T LIS O B AI S LOQUAR

ad. p. 451.

NONEDEPOLUIDEO ATEGOUIDEO NIAUOLTURIOSDUOS

Digitized by Google

Caput II.

De lacunis.

§. 1.

Tantum de vero scenarum actus tertii quartique ordine, quem Ambrosiani auctoritate prorsus confirmare licuit. Pergendum est ad reliquas schedas eiusdem libri diligentius excutiendas, sive eas superstites sive deperditas, quando hae quoque quid olim continuerint e superstitum comparatione intelligitur, postquam magnarum illarum turbarum immunem fuisse Ambrosianum patuit.

Et ut ab iis ordiamur, quae superstites sunt, gravissimarum lacunarum indicio illae sunt, quas M et Q litteris signavimus. Illius enim pagina altera (448) sex habuit ab ipso initio versus inter eos, qui nunc sunt IV, 2, 30 (*Heus vos, pueri*) et 31 (*Erus hic noster*) interpositos. Quorum versuum prope evanida vestigia, vix umbram quandam litterarum referentia, lithographi opera repraesentari in adiecta huic paginae tabula iussi. E quibus si extiterit qui voculas probabiliter extricet, laetabor laudaboque; equidem abstineo, idque eo magis, quod ad sermonum integritatem concinnitatemque nihil quicquam desideratur. Itaque iocos quosdam et facetias interpositas fuisse puto, quibus aliquantisper Theuropidem servoli lùdibrio haberent, sed ita tamen ut petulantior Phanisco conservus esset, quoniam de illo senex v. 34 *nam te* ait *esse arbitror puerum probum*. Ergo cum quaerenti seni:

Heus vos, pueri, quid istic agitis? quid istas aedis frangitis?

ab initio tale quiddam respondissent: *quid id ad te? tuas res cura, non alienas*, et quae cogitari possunt

Digitized by Google

vel similia vel consectaria, postremo demum Phaniscus deposita superbia ELOQUAR inquit (nam hoc vix dubium): cui sat commode proxima continuantur:

Erus hic noster potat. TH. *erus hic voster potat?* PH. *ita loquor.*

Paullo autem post in eadem pagina versiculus ex Ambrosiano accedit post 35, e cuius paucis his reliquiis:

. ABI . : . . U . BUM . . . C . . . . . n . . . . .
L . . . HISCEAEDIBUS

vix fallar si hanc sermonum continuitatem effecero:

TH. *Puere, nemo hic hábitat: nam te esse árbitror puerúm probum.*

35 PH. *Nón hic Philolachés adulescens hábitat hisce in aédibus?*

TH. *[H]dbi[tavit:] v[e]rum [émi]g[ravit p]r[idem il]l[e ex] hisce aédibus.*

36 SE. *Hic senex cerebrósus certest.* PH. *érras pervorsé pater:*
Nám nisi hodie hinc émigravit aút heri, certó scio Hic habitare. TH. *quin sex mensis iam hic nemo habitat.* SE. *sómnias.*

Nisi males *verum emigravit ille quidem ex h. a.* Talis autem versus accessione sententiarum nexui vel sine librorum indicio consulendum fuerat. Quo enim spectare Phanisci verba *erras pervorse pater* dicamus? quando illis, quae v. 34 dixit Theuropides, Phaniscus quidem iam responderat v. 35. Ac de emigratione locutum esse senem, satis esse documento v. 37 potest. Omittendi autem caussam in propatulo est parem versuum exitum fuisse. *Puere nemo hic habitat* v. 34 transposuimus cum Ambrosiano: ex eodemque *in* adiectum proximo versu.

Progredior ad Q, quae scheda paginas 301 et 302 aequat. Et p. quidem 301 ima quinque versus tenuit,

Digitized by Google

summa autem 302 duos, qui omnes hodie desiderantur atque iam in Palatinis libris exciderant. Ex his quattuor prorsus evanuerunt in membranis Ambrosianis; eorum autem, qui ultimi sunt paginae prioris, haec tantum initia legi potuerunt:

AUT (vel MET) . . . . . .
PRO . . . . . .
ILLI . . . . . .

Acquiescendum igitur in eo, ut inter V, 1, 13 et 14 lacunam esse cognoverimus septem vel prope septem versuum: siquidem unus alterve propter nimiam longitudinem potuit divisim scriptus esse. Et aliquid sane deesse facile potuerat inde existimari, quod v. 13 *clam esse* verba subiecto grammatico carent. Septem autem versuum illorum in promptu est quale potuerit argumentum esse: cuius ut expositionem compendiaceremus, hos lusimus quos infra posuimus.

13 *Nám scio equidem núllo pacto iam ésse posse clám senem,*
Quíbus dolis concénturiatis éum ego ludificátus sum.
Nam út erum vidi géstientem fálso mercimónio,
Métuo ne ad nostrúm vicinum prótinam contulerit pedem,
Pro émptis aedibús, quas inhiat míser, ut pretium sólveret.
'Ille ubi vendidisse se unquam eas aédis pernegáverit,
Néque se argentum accépse, sat scio rem ésse factam omném palam,
Quíbus mendaciis celarim a gnáto rem dispérditam.
14 *Séd quid hoc est, quod fóris concrepuit próxumae viciniae?*

Digitized by Google

Ceterum quod ne sic quidem, quanquam duobus in pagina 302 versibus accedentibus, expletur constans undeviginti versuum numerus, id duplicem caussam habet. Nam non modo binorum spatia divisi vv. 15. 21 et 22 aequant, sed duo praeterea post v. 15 spatia intercedunt novae scenae, ut consentaneum est, ab v. 16 ordiundae:

'Ilico intra limen ista state, ut, cum extemplo vocem:

sic enim Ambrosiani has litteras LIMENIS . AST . . . . . UM interpretor, cum vulgo sit *limen astate illic ut cum,* pro quo recte, absque Ambrosiano esset, *astate illi* Bothius.

§. 2.

Praeter schedas autem M et Q singulos versus nunc elapsos conservarunt etiam J et N. Pertinent enim huc ea, quae incredibili et negligentia et perversitate Angelus Maius de ineditis quibusdam, quos in Ambrosiano codice reppererit, versibus his verbis narrat: *In alio Mostellariae folio haec legebam:*

Non edepol video. At ego video volturios duos.

. . . . . .

Puere atque . . . . hac me

Quorum priori cum praeterea conferri iubeat Most. III, 2, 147 sqq.: hoc omne quale tandem sit et quo valeat, diligentius declarabo. Vix enim mortalium quisquam divinando illud assequatur, priorem versum, sed aliquot syllabis auctiorem, positum esse post ipsum illum, quem commemorat Maius, versum 147 sc. 2 act. III: alterum autem longo ab illo intervallo remotum exstare in IV sc. 2 eiusque scenae esse antepaenultimum. Di-

Digitized by Google

cam ordine de singulis. Et priorem quidem Bothius sat inficete sic suppletum *Non edepol ego video*: *At* e. q. s. collocandum post 152 putavit. Nec vero librariorum ille culpa mancus est, sed vitio editoris Itali, qui eas, quae sunt inter *video* et *volturios* litteras circiter octo novemve turpiter neglexit. Quarum quae tenuissima vestigia supersunt, quantum potui calamo imitatus repeti curavi exemplo lithographico. Potuerunt eo loco multa non inepte dici, velut *video pictos volturios, video hisce oculis volturios,* alia: propius quam reliqua, quae in mentem venerunt, ad vestigia illa accedere visum est *video ad laevam volturios.* Simul emendatiores apposui coniunctos cum illo versus:

147 TR. *Viden pictum, ut ibi lúdificatur córnix volturiós duo?*
TH. *Nón edepol video.* TR. *at ego video ad laévam volturiós duo:*
148 *Córnix astat: éa volturios duó vicissim véllicat.*

Ita et caussa omissi versiculi tanquam in oculos incurrit, et multo commodius versus 148 verba ibi collocata habes, ubi iam non interrogat Tranio, sed exponit et affirmat. V. 147 vulgatur *pictum, ubi ludificatur una cornix,* pro quo Bothius substituit *p. ubi ludificat u. c.* Sed nec *ubi* particulam habeo qui satis expediam, et supervacaneam *una* vocem, quae facile addi ab interprete potuit, omittit Ambrosianus. Ergo *ut ibi* scripsi servata deponentis forma, *ibi* illud referens ad idem, in quo perscrutando versantur vestibulum. *ubi* num sit in Ambr., non magis patet quam primo versu *duo,* an *duos* item ut altero tertioque versu, habeat: *duo* utroque loco est in Palatinis.

Difficilius est de altero versu iudicium, cuius hic fuit, si librorum fidem sequimur, cum contiguis nexus:

Digitized by Google

73 PH. *Alio credo comissatum abisse: abeamus nunc iam.*

TH. *Puere . . q . . . . . hac me . . . .*

74 TH. *Puere, iamne abis? libertas paenulast tergo tuo.*

75 PH. *Mihi, nisi ut erum metuam et curem, nihil est qui tergum tegam.*

Sic enim ultimum scripsi duce Ambrosiano, in quo est NIS . U . IIRUM h. e. *nisi uti erum.* Vulgatam scripturam *nisi herum* e Palatinis, in quibus est *nisi erum ut,* sic correxerat Bothius: *nisi hérum uti*, non male, sed ut illud praestet. Eo autem, qui excidit versu, nos quidem nihil potuimus nostris oculis expiscari nisi ab initio *Puere .. q . .*: syllabarum quae sunt *hac me* nec vola nec vestigium apparuit: sed tamen Maio credamus olim apparuisse. Quo autem illa tandem spectare dicamus, quae Theuropidem puero dicentem faciunt: *libertas paenula est tergo tuo* —? Explicant: liberum paenula tibi tergum est h. e. paenulam non gestas. Id ut saltem posset fieri, lenissima mutatione Bothius scribebat *libertas paenulae est tergo tuo:* nam *penula est* tenent Pall., *paenulast* Ambr. Sed quae vis esset, quae ratio, qui nexus huius ioci (nam de ioco cogitarunt), nec Bothius nec alius quisquam demonstrare potuit: qui quidem iocus, ut dicam quod res est, ineptissimus est et ultra quam dici potest frigens. Quid multa? sermocinantibus sic illa distribuenda sunt:

TH. *Púere, iamne abis?* PH. *libertas paénulast tergó tuo:*

Mihi, nisi ut erum métuam et curem, nihil est qui tergúm tegam.

Hoc enim servolus sibi vult: tu quidem non habes cur tergo timeas, ut qui sis liber: tibi igitur ipsa libertas praesidio et tanquam tegumento tergi est: contra mihi,

Digitized by Google

qui servus sim, nihil praesidii paratum praeter ipsam eri curam et servilem obedientiam. Ecquid autem caussae est cur nihil Theuropidi, omnia sibi timenda esse Phaniscus hoc quidem locó dicat omnino? Nihil enim, quod huc spectaret, protulerat senex: quando nimis profecto leve illud est, quod *iamne abis* interrogarat. Ergo hoc ipsum indicio est, qualis paullo ante versus exciderit. Qui quidem si non fuit, at potuit hic esse:

TH. *Púere,* [*se*]*q*[*uere, te óbsecro,*] *hac me.* [PH. *tergo timeo.* TH. *né time.*]
Púere, iamne abis? PH. *libertas* e. q. s.

Secum una ire Phaniscum iubet, ut habeat quo teste utatur in Tranionem iam consulturus. Eri timorem puer caussatur. Leve hoc esse et nihil timendum senex respondens iamiam facessere illum videt discedentemque his verbis inclamat: *puere, iamne abis?* Quorum haec vis est, ut omisso iam comitandi consilio saltem aliquantisper etiam remanere Phaniscum velit, quo plenius rerum a Tranione gestarum rationem sciscitetur. Puer autem illuc respiciens, quod Theuropides *ne time* dixerat, facile tu quidem, inquit, istud dicis, quippe qui ipse caussam timoris nullam habeas: a qua longe mea condicio distat. *Paenula* igitur pro tutela dicta propter *tegendi tergi* notionem: ut ne opus quidem sit huc ascita Nonii notatione quadam, qua is *penulam* ait p. 448, 24 *abusive* [*ad* inserendum] *omne quicquid tegit nobilissimi veteres transtulerunt.* Cuius usus quod e Varronis Manio exemplum posuit, eo non illud potius, etiam figurate dici, docetur, quam transferri ad aliarum corporis partium tegumenta.

§. 3.

Denique e B quoque novus versus prodit: quae res cum caussarum nexum paullo intricatiorem habeat,

Digitized by Google

longiorem sibi disputationem poscit. Sciendum est enim, qui inde a Camerario inter III, 1, 70 et 72 collocatus est:

TH. *Eia mastigia, ad me redi.* TR. *iam istic ero:*

eum versum non hic legi in codicibus, sed post III, 2, 32. Atque generatim consideranti facile apparet omnino alienum a neutra scena esse. Nam tantum in aperto est, inclamari illis verbis digressum a Theuropide Tranionem et ad eum revocari: digressus autem Tranio in illa scena ad danistam erat, ad Simonem in hac. Praeterea fatendum est ita verba comparata esse, ut de nexu non sit nimis timendum. Nam id ipsum agitur profecto, ut subita eri acclamatione sedulum aliquod Tranionis sive cum danista sive cum Simone colloquium interpelletur, servus autem, quamvis se obsecuturum respondens, tamen in intercepto sermone parumper pergat. Verumenimvero bono poetae quoniam in ipsa imitatione vitae quotidianae tamen illud curandum est, ut ne inepte imitetur, is de quo agimus versus credi nequit post III, 2, 32 positus fuisse: ubi quidem vix institui coeptus sermo quidam, qui quo evasurus sit prorsus lateat, interrumpatur importunissime. Quod cum Camerarius vere sensisset, non tamen continuo ad aliam scenam transferre debebat. Et repugnat ipsum metrum evidentissime: fugit enim illum, trochaicam mensuram *eia* particulam aequare et accentu in paenultima notari*): e quo consequitur non iambicum versum esse, ut

*) Vnum est quod repugnare videtur exemplum Merc. V, 4, 38:

LY. Ora ut ignoscat delictis eius atque adulescentiae.

DE. Pergin tu autem? eiā superbe invēhere? spēro ego mihī quoque

Tempus tale eventurum e. q. s.

Nolo e collocatione particulae argumentari: fortius eam a memoriae fide adorior. Nec enim *eia* vel in Vetere vel in Decurtato exstat, sed in hoc est *hia*, in illo *huc*. Vnde profectus Bo-

Digitized by Google

reliquos scenae primae, sed creticum, satis eum et leni et certa emendatione sic pridem ab Hermanno Elem. doctr. metr. p. 217 restitutum:

TH. Éia mastigia ad mé redi. TR. iam ísti ero.

Atqui hinc relegato molesto versiculo qui tandem satis coeunt contigui versus 70 et 72? Nam post danistae verba *quin non pato* prorsus praeter exspectationem sane Tranio *molestus ne sis* infert: quando qui petit potius, quam qui non petit, molestiam exhibet. Nec hoc incommodum ullo modo probabiliter iis transponendi machinis vel Pistoris vel Bothii sublatum est, quas prorsus evertemus cap. III, §. 4. Contra praeclaro auxilio codex Ambrosianus praesto est, integrum post 70 versum excidisse monstrans, cuius lacera membra

. . . . . U . . . . . FAENUS . . . . U
. . . U . . . . MIHI

nescio an recte in hoc corpus colligam:

Reddundumst faenus, faenus reddundumst mihi.

Faenus enim, non sortem se petere etiam eo versu, qui nunc est 64, inculcat: *TR. Sortem accipe. DA. immo faenus, id primum volo.* Sortem autem cur Tranio promittat, parum expediit Taubmannus: immo id ille promittens, ad quod parandum aliquantum temporis necessario concedendum, moram dedita opera nectit si-

---

thius scripsit: *Pergin tu autem in hunc superbe invehere?* dupliciter quidem lapsus. Nam et *in hunc* est cur hoc loco merito displiceat pro *me* positum: multum enim differt praegressum *hunc senem:* et seloecum est ac sine exemplo *invehere* activum. Duabus litterulis, quae exciderint, revocatis mecum scribe:

Pérgin tu autem? [ad]huc superbe invéhere? e. q. s.

Nulla autem accentus offensio in concursu trium brevium syllabarum Cas. II, 3, 14:

Eŭ mea Iuno nón decet tam tristem te esse tuó Iovi:

(vel *te tam tristem esse*, vel cum Bothio *esse té tam tristem t. I.*: nam in libris est *te esse tam tristem*).

Digitized by Google

mulque falsa spe exhilaratum danistam facilius hinc se amoturum sperat. Non minus autem commode ille, quem recuperasse videmur, versus a Tranionis responso (*Molestus ne sis*) excipitur, quam in ea convenit quae praecedunt. Quae cum valde lacunosa in libris mss. exstent, imprimis dolendum est huius totum initium paginae in Ambrosiano codice prorsus evanuisse. Sed qualiacunque fuere, quae ibi vetustissimae membranae consignata tenuerunt, diversa ab intolerabilibus Camerarii supplementis fuisse certum est. Quibus sine mora expulsis vide num diligentissime observatis lacunarum spatiis, qualia sunt in Palatinis, ascitisque cum aliorum tum Acidalii quibusdam inventis sic rectius sermones illi procedant:

Non dat, non debet. DA. *nón debet?* TR. *ne gry quidem*
Ferri hinc potest. an [vis hinc ali]quo abeat foras? *)
Vrbem éxul [linquat faéno]ris caussá tui?
Quin sórtem [pol]licébitur. DA. *quin nón péto:*
Reddúndumst faenus, faénus reddundúmst mihi.
TR. *Molèstus ne sis: némo dat: age quid lubet.*

Nimium est, quod Tranionem v. 67 respondentem faciunt *ne gry quidem debet*: quo fit ut satis inepte proximi versus initio quaeratur *ferre hoc potes?* quod quidem, praesertim sequente altera interrogatione illa quae fit *an* particula, intelligi prorsus nequit. *Non dat, non debet* ab initio dixerat intemperantius vociferans nec singula verba pensitans; mox ubi acrius instans danista *non debet?* obstupefactus quaerit, iam non serio asseverare Tranionem convenit, quod incogi-

*) Vitandi proceleusmatici caussa Hermannus mavult:
Ferri hinc potest. an vis aliquo hinc abeat foras?

Digitized by Google

tanter antea iecerat nec postea ullo modo tenet: at illud convenit, asseverantius iterata altera parte prius dictorum (*non dat*) callide declinare responsionem. V. 69 quae vulgantur: *Vrbem exul linquat factus hic causa tui*, non hercle latina sunt, sed barbara. Nec *hic* in Vetere codice est, sed ipsum quo usi sumus *ris* post lacunam. Versus 70 supplementum Camerarianum (*Quoi sortem vix dare licebit*), ut de dativo illo taceam, non magis metrum habet quam quod versui 68 adhibuit (*an mavis ut al. ab. f.*) Trium litterarum spatium recte explevisse reposito *pollicebitur* verbo videmur: quod sic exaratum *pollicebit* peperit Palatinorum scripturam *sortem... licebit*: nam *sortem potius licebit* in solis est noviciis libris interpolatis. Nec *dat* dicit, nec *dabit*, ac ne *pollicetur* quidem, sed exquisitius etiam levissimum omnium *pollicebitur*.

Ad III, 2, revertor, unde illum, de quo quaerere instituimus, versum in III, 1 Camerarius transtulerat. Nam ne illic quidem ferendum esse cum antea significavimus, tum multo evidentius eorum, quibuscum in libris mss. iunctus est, rationes accuratius expensae docent. Quorum haec est in Palatinis species:

30 *Quid agis* TR. *hominem optumum teneouamice facis*

31 *Quom me laudas.* TR. *decet certe* SI. *hercle te habeo hau*

32 *Bonum teneo servom . . . . . .*
Eia mastigia ad me redieram istic ero

33 *Quid nunc quam mox.* SIMO. *quid est.* TR. *quod solet fieri.*

34 SI. *Dic . . . . . quid id est*

nisi quod in Decurtato est *melaudis* pro *me laudas*, *Etiam astigia ad me redie am* v. quarto, et *Hic* pro *Dic*. Statim apparet horum tertium versuum mutilum

Digitized by Google

esse: quod non fugit Camerarium. Huius enim supplementum est quod nunc fertur repugnante metro, satis apta sententia: TR. *quid ita vero, Simo?* Id cum parum sibi constans non significasset in sua editione Gronovius dispari litterarum forma, accidit ut pro Plautinis illa verba ab Hermanno haberentur Elem. d. metr. p. 217. Quae autem v. 33 sequuntur, res ipsa clamat sermocinantibus ita dispertienda esse, ut *quod solet fieri* Simoni, *quid est* Tranioni tribuantur: unde consequitur Simonis esse *quam mox* verba, quorum facile intelligitur hanc esse vim *ἀποσιωπητικήν*: *quam mox nequitiae et helluationis tuae poenam lues?* vel definitius etiam: *quam mox in malam crucem ibis?* Eaque nemo non videt illis continuari quae antea Simo dixerat: *te haud bonum servum teneo.* Rursum his praeter opinionem auditis fieri prorsus nequit quin vel miretur vel indignetur vel etiam interroget Tranio, quid tandem rei sit quod ille crepet: idque fecit iis quae exciderunt verbis. Nec quaerenti querentive deest senex, non ille quidem aperte respondens, sed per cavillandi ambages opprobrium in Tranionem coniectum illis ipsis interpretans quae consequuntur: *quam mox finem ista flagitia habitura sunt?* Exemplum ponam redintegratorum versuum, propterea potissimum incertum, quod multa comminisci pari probabilitate licet.

Quid agis? TR. *hominem óptumum téneo.* SI. *amicé facis,*
Quóm me laudás. TR. *decet cérte.* SI. [*at*] *hercle* [*égomet*] *te*
Haút bonum téneo servom. [TR. *hém quid est, óbsecro?*]
SI. *Quid nunc? quam móx —?* TR. *quid est?* SI. *quód solet fíeri.*

Digitized by Google

TR. *Dic[edum, te óbsecro, mi Simo,] quid[nam] id est?**)

Vides tam necessario hos omnes sermones inter se vinculo invicem connexos esse, ut nullo pacto dirumpi interiecta Theuropidis inclamatione Tranionisque responso possint. Et ut potuisse interpellari largiamur potius quam concedamus: at ita qui tandem fiat, ut nihil eorum, quae inter servum et erum agantur, Simo animadvertat, vel si animadverterit, non aliquo modo

---

*) Versu 31 ut aliquid excidisse credatur, et numeri flagitant sane et sententia: sed potuit id aliquanto minus esse. Nam etsi Hermanni auctoritati hoc tribuimus, ut tetrametros supra describeremus, tamen id ita tantum fecimus, ut posse tetrametros esse, non ut non posse non esse significaremus. In promptu est enim de altero illo versuum genere cogitare, quod e dimetro cretico et tripodia trochaica catalectica compositum toties in hac scena creticis tetrametris mixtum est. Atque ad hanc formam versum quidem 31 longe adeo probabilius revocaveris:

Quóm me laudás. TR. decet cérte. SI. [*at*] *hercle te:*

nam *habeo* in libris additum nulli usui est: additum ut puto ab interprete, qui hoc a Simone sive dici sive dicendum fuisse significare vellet: *te haud bonum servom habeo.* (Non probabilius hoc tantum, sed necessarium: quando in ultimo pede vix posse mediam syllabam longam defendi Hermannus monuit.) — Nec difficilius eadem forma restitui proximo versui poterit:

Haút bonum téneo servom. [*TR. óbsecro, quid est?*]

de quo tamen prorsus ambiguum iudicium: non item extremo poterit, quia ita vix ullo modo dactylus vitabitur pro trochaeo positus, velut

Dic[edum, te óbsecro, quód solet] quid id est?

Ceterum eo versu supra posuimus quod simplicissimum videbatur. Potueramus etiam: *Dic* [*modo, nisi tibi incómmodumst,*] *quidnam id est?* Nam Camerarii quidem languet inventum: *Dic* [*igitur, quod solet fieri*] *q. i. e.*: nec fert talem repetitionem indoles Plautina. Ceterum *dicedum* habes Rud. IV, 4, 112. — Sunt autem haec omnia suapte natura incerta. Vt rursum dolendum sit in hac quoque Ambrosiani pagina, quae III, 2, 17 ad 34 tenuit, hodie ne unum quidem verbum legi posse.

Digitized by Google

miretur, sed quasi nihil prorsus interciderit, quod inceperit persequatur? An illuc eam ipsam, qua mox utitur, *nunc* particulam spectare putabis? Non male putares, si ulla Simoni caussa esset de reditu Theuropidis cogitandi: de quo quidem reditu versu demum 54 ita eum Tranio edocet, ut nihil eiusmodi Simonem suspicatum esse appareat. — Sed ut paullum declinem orationem, habet sane illud *nunc* aliam dubitationem, cum ea quaestione, quae de Theuropidis interpellatione est, non coniunctam. Nam etsi saepius illa ipsa verba, *quid nunc?*, alteri interrogationi alicui praemittuntur, atque adeo *quid nunc? quam mox* — consociata exstant Cas. III, 6, 16 (*quid nunc? quam mox recreas me?*): tamen non potest profecto illa particula unquam nullam vim habere, sed necessario certae temporis sive condicionis notationi servit. Atqui Simo quid tandem caussae habet cur nunc potissimum imminere poenam credat? quando nihil accidit, quod ille quidem sciat, quo talis suspicio nitatur. Ergo hoc incommodum ut tollatur, mea ipsius commenta aliqua ex parte sic corrigo:

SI. [*at*] *hercle te*
Haút bonum téneo servom. [*TR. éia veró! SI. cave.*]
TR. Quíd nunc? SI. quam móx? e. q. s.

(vel etiam planius: *TR. éia. SI. cave sis tibi:*) aut in alteram illam metri speciem, de qua proxima annotatione dixi,

TR. éia. SI. cave tibi.

Ita quidem Tranio, postquam *eia* particula mirationem cum simulata indignatione significavit tantum, mox *quid nunc* ait *in mentem tibi venit ut increpes, qui antea bene mihi volueris?* deinde divinare se dissimulans quo *quam mox* verba spectent, *quid est* quaerit; postremo,

Digitized by Google

postquam perrexit Simo obscure dictis eum eludere, impatientius urget:

Dic[edum, quód modo exórsus es,] quídnam id est?

nam ita nunc haec quoque in Tranionis sensum convenientius constituerim. — Quae si recte disputavimus, magis etiam perspicitur, quam hic nullus locus Theuropidis interpellationi sit. Praeterea si probabitur *eia*, apparet quomodo propter simile initium huc intrusus versiculus gemina verba exturbaverit.

Superest autem ut, unde tandem huc ille intrusus esse videatur, explicemus. Ac multo certe probabilius is locus in eadem, quam cum Camerario in diversa scena quaeratur. Quid multa? posita illa verba viginti post versibus fuerunt, hoc quidem nexu:

48 *Séd, Simo, ita véntus nunc návem deseruit.*
SI. quid est?
Quó modo? TR. *péssumo.* SI. *quaéne subdúcta erat*
Túto in terram? TR. *hei.* SI. *quid est?*
TH. *Éia, mastigia, ad mé redi.* TR. *iam ísti ero.*
[Heú] me miserum: óccidi, [óccidi.] SI. *qui?*
TR. *quia*
52 *Vénit navis, nóstrae quae návi frangát ratem.**)

Coeperat Tranio iam v. 42 indicare Simoni Theuropidis reditum; pergit id facere placide et pedetentim, imagine utens navis, eademque imagine, quid rei sit, Simoni significat v. 52. Quid est igitur, quod ab illius initii ad huius finis lenitatem transitur per concitatissima tanquam desperantis vel repente perterrefacti verba: *hei — — me miserum, occidi —?* Videlicet appro-

*) Vide Epimetrum.

Digitized by Google

pinquantem Tranio Theuropidem conspiciens, vel certe impatientiam aliquo modo prodentem minitantemve, subito in exclamationem illam erumpit, *hei!*, mox autem, ubi stomachose inclamantem erum his verbis, *iam isti ero*, parumper placavit, non iam sibi temperat quin desperationem palam profiteatur: *heu me miserum, occidi, occidi!* Imprimis autem aptus dimeter necopinato terriculo efferendo rerumque quae aguntur commutationi alicui declarandae. Ceterum bis fuit verborum ordo leniter mutandus: nam in libris v. 48 est *nunc ventus*, v. 52 *navi quae*; alia quaedam vel Acidalius vel Bothius praeiverat. *)

---

*) Quodsi rectius Hermannus statuerit trochaico tetrametro haec verba comprehensa fuisse:

SI. Qui? TR. quia venit návis, nostrae návi quae frangát ratem:

nihil sane nobis aliud relictum sit, nisi ut ei tetrametro praemittantur quidem hi versus:

Quó modo? TR. péssumo. SI. quaéne subducta erat
Tuto in terram? TR. hei. SI. quid est? TR. [hei] me miserum, óccidi:

(nisi quidem hic quoque malueris tripodia trochaica ascita: *Tuto in terram — hei — quid est — mé miserum, occidi:*) subiiciatur autem is de quo agitur: *Eia mastigia* e. q. s. Quae ratio si non tam commoda sit quam supra proposita, tamen habeat qui item defendatur. Ita enim utraque exclamatio, et *hei* et *me miserum, occidi* ad subitum terrorem Tranionis, quippe erum appropinquantem videntis, pertineat: ad Theuropidis autem inclamationem nunc demum interiectam Tranionisque responsum (*iam isti ero*) Simo iis verbis respiciat quae sunt proximo versu: *quid est negoti?* Iambicis enim octonariis in hunc fere modum pergitur:

SI. Velim ut tu velles, Tránio. sed quid est negoti? TR. [ego] éloquar:

Erus péregre venit e. q. s.

De quibus versibus, quorum singularis est in libris mss. condicio nec expedita ratio, quoniam non potest breviter dici, explicatius olim agam, cum hanc scenam universam tractabo: neque enim

Digitized by Google

§. 4.

Transeundum est ad deperditas schedas. Et earum quidem, quas *k* et *l* litteris notavimus, spatia iam cap. I ad calculos vocavimus. Schedae autem *f* eiusque quae eam praecedit paginae (78) cum oporteat quinquaginta septem versus esse, tamen hodie tantum quinque et quinquaginta habentur inter III, 2, 16 et 72. Atque unus quidem ea, quam modo pertexebamus, disputatione accessit inter v. 50 et 52: alterum ubi excidisse credamus, non minus difficile dictu est quam ubi alium, quo plenior Ambrosianus in scheda *c* fuit. Nam cum quinque et triginta versus hodie interpositi sint inter III, 1, 85 et 121, apparet ad plenum numerum duarum paginarum tres deesse. Quorum duos nescio an recte illos fuisse putem, quos cum v. 102 sociari iussi Mantissae §. 1: eosdem ut bis scriptos codex tenuerit: de tertii sede cum omnia in ancipiti coniectura posita sint, tacere quam hariolari malo. Sed revera et hic et illic saltem singulos deesse versus, id quidem controversum esse vix poterit: arguit enim computandi necessitas, quae in haec genera metrorum cadit brevioribus versibus comprehensa. Eaque ipsa de caussa aliquanto incertius de scheda *h* iudicium est. Nam cum trochaici sint, qui inter III, 2, 109 et 141 hodie leguntur numero triginta unus, quidni in duabus

---

prius certius iudicare de singulis licebit, ut quae invicem ex se nexa sint multifariam. Quanta autem in hoc genere cautione opus sit, vel hinc intelligitur, quod minimo negotio ad trochaicum septenarium etiam vv. 48. 49 revocari possunt:

Séd, Simo, ita nunc véntus navem [subito] deseruit. SI. quid est?

Hoc unum iam nunc fateor, de antistrophicis rationibus huius scenae, quas sagax Hermanni ingenium investigavit, mihi non persuasum esse.

Digitized by Google

paginis septem, quos desideramus, potuerint divisim scripti esse, quales statim in proxima pagina (295) revera tres reperimus? Quanquam si demptis vv. 130. 131, quorum cap. I §. 2 mentio facta, adeo novem versuum multitudine hodierni numeri ab Ambrosianorum norma distent, hoc propemodum nimium fuerit et ita comparatum, ut de omissis quibusdam suspicio valde augeatur. Fatendum est tamen nec ab interpolationibus nec a perperam vel iteratis vel transpositis usquequaque liberum esse Ambrosianum: cui generi longius persequendo ipsam quam subiecimus Mantissam destinavimus.

§. 5.

Sed longe gravissimum restat et quod eiusmodi excusationem vel aliquam dubitationem minime admittat. Nam quattuor paginae illae, quae sunt schedarum *o* et *p*, spatium explent sex et septuaginta versuum. Atqui hodie inter IV, 2, 75 et V, 1, 2 non plura sunt quam unius et quinquaginta spatia. E quo necessario consequitur, lacunam nunc esse in una scena IV, 3 viginti quinque versuum: senarii enim sunt, in quo genere numeri versuum nunquam non congruunt numeris spatiorum. Ergo non ullo modo haesitandum, sed inquirendum quo in loco vel quibus in locis illius scenae sive ad sententiam sive ad grammaticam metricamve rationem aliquid deesse videatur. Et eiusmodi sane primum illud est, quod, ubi Theuropides dixerat v. 24:

quod me absente tecum hic filius
Negoti gessit:

Simo sic respondet:

mecum ut ille hic gesserit,
Dum tu hinc abes, negoti? quidnam aut quo die?

Quae structura verborum cum prorsus vitiosa aut potius nulla sit, Bothii quidem satis inscito artificio, quo *negotia*

Digitized by Google

substituit pro *negoti*, nihil hercle proficimus. Accedit autem, quod nullo omnino cum his vinculo proxima continentur Theuropidis verba: *Minas tibi octoginta argenti debeo.* Ergo hic cum aliquid excidisse certum sit, tamen ut cum verborum tum sermonum integritas restituatur, et sufficiunt paucissimi versus nec posse plures ascisci sine concinnitatis detrimento videntur. Nihil enim in hac sermonum continuitate puto desideratum iri:

SI. Quid autem? TH. quod me absente tecum hic filius
Negoti gessit. SI. mecum ut ille hic gesserit,
Dum tu hinc abes, negoti [quidquam? TH. ne nega,
Etsi tibi aegre nunc est.] SI. quidnam? aut quo die?
[TH. Molestus ne sis. rem omnem in pauca conferam:]
Minas tibi octoginta argenti debeo.
SI. Non mihi quidem hercle; verum si debes, cedo:
*Fides servandast: ne ire inficias postules.**)

---

*) Erat cum simili artificio eiusdem scenae his versibus consulendum putarem:

TH. Minas quadraginta accepisti, quas sciam,
A Philolachete. SI. nunquam nummum, quod sciam.
TH. Quid, a Tranione servo? SI. multo id minus.

Quorum potuisse hanc rationem esse suspicabar:

TH. Quid [igitur, quandoquidem ab illoc acceptas negas,]
A Tranione servo?

Sed nec haec interrogandi forma placet, et multo lenius corruptos numeros sic restituas:

TH. Quid? [ain tu] a Tranione? SI. multo [hercle] id minus.

Nam post *multo* (non ante eam vocem) lacunae spatium est in Vetere codice. Nullo autem modo Bothianus versus probabilis:

Digitized by Google

Verumenimvero quae his continuantur:

TH. Profecto non negabo debere, et dabo:
Tu cave quadraginta accepisse hinc ne neges.
SI. Quaeso edepol huc me aspecta et responde mihi.
Te velle uxorem aiebat tuo nato dare:
Ideo aedificare hoc velle aiebat in tuis.
TH. Hic aedificare volui? SI. sic dixit mihi.
TH. Hei mihi, disperii: vocis non habeo satis

e. q. s.: haec igitur longe longeque etiam maiori offensioni sunt. Nam ne in levioribus haeream, omnem ordinem sermonum reique quae agitur explicationem nego a sano poeta sic praecipitari potuisse. Atque acute, ut solet, quid rei esset perspexerat Acidalius, rectissime ille sic commentatus Divin. p. 240 Grut.: *Sequitur scena Perii hercle: in qua de lacuna suspiceris insigni ante istum versum:*

SI. Quaeso edepol huc me specta et responde mihi.

Nam abruptus sermo videtur, et debent alia praecessisse, quibus ab argenti debitione ad aedium inspectionem gradus fiat. Scilicet de aedium emptione alterum contendere, alterum negare prius, aliaque oportuit invicem agere, quam ad extremum hoc delaberen-

---

TH. A Tranione servo? SI. Quid? multo id minus: ac nimis ineptiunt qui de trisyllaba mensura *Tranione* formae somniant. Nam Most. V, 2, 47 pro *Tranioni* pridem *Tranio* dativum Acidalius restituit:

Tranio remitte quaeso hanc noxiam caussa mea:

collato quidem III, 1, 33:

Sed Philolachetis eccum servom Tranium.

Nisi quod ea forma non a *Tranius* nominativo cum Acidalio ducenda videtur, sed a *Tranium* neutro. Nam et Callidamati profecto et magis etiam danistae convenit hypocoristica forma uti: *aber sieh da mein Traniochen, der mir mein Geld nicht bezahlt.*

Digitized by Google

tur. Modo ne retractasset, quod sanissimo iudicio indagaverat; non enim ullam vim persuadendi habent quae subiecit: *An vero de industria Plautus ista dissimulavit? Ita est. Consulto reiecit omnem eam narrationem, ne saepius in scena contra legem comicam et cum spectatorum taedio eadem iterarentur. Atque id ipse in fine innuit:*

TH. Eadem ego opera haec tibi narravero,
Quis me exemplis hodie ille ludificatus est.

Et ex his quidem versibus petitum argumentum facile opera evertas. Necdum enim vel illa Simoni fabula innotuerat, quam de hospite in Theuropidiis aedibus capitali caede necato derelictisque ob id illis aedibus Tranio commentus erat II, 2: vel quae de filii comissationibus emptaque danistae argento amica senex e Callidamatis servis compererat IV, 2. Quae omnia pertinent profecto ad ludificandi exempla illa, quibus se ludibrio habitum esse Theuropides queritur. Et ut haec mittam, quid? si priorem versum, quem non esse integrum metrum arguit, sic suppleveris:

Sume. TH. eádemque opera haec [pórro] tibi
narrávero,
Qúis me hódie exemplis ille ludificátus est *)

(coll. Terent. Heautont. IV, 5, 23)? Ita enim rei summa potuit iam patefacta esse, et tamen Theuropides etiam plenius et explicatius Simoni rem omnem enarrare velle. Quanquam eodem iure *intus* inseras. — Nec vero de taedio spectatorum erat quod

*) Rectius enim sic scripsisse videor quam cum Bothio
Quis méd exemplis hódie ludificátus est.
Nam etsi *ille* non est sane in codicibus, tamen et *e lu dificatus est* uterque Palatinus praebent, et lacunae spatium ante eam vocem Decurtatus habet.

Digitized by Google

vel ab arte poetae vel a re ipsa metueret Acidalius. Aliud est enim bis eandem rem enarrari, aliud a diversis personis, diversissima omnium rerum condicione, rei summam denuo tangi, et ita quidem tangi, ut non ex ipsa re illa quaeratur oblectatio, sed ex affectuum varietate, quos cum illa excitet, tum per altercantium, obiurgantium, male interpretantium, obstupescentium sermones ioculariter poeta persequatur. Quid? quod illa ne potuerunt quidem breviter agi, quando merito a comico poeta hoc requirimus, ut ipsam rerum veritatem tanquam vitae speculo aliquo oculis nostris repraesentet. Vt, si modo vera esset, tamen non hanc vim Acidalii ratiocinatio haberet, ut contrahendam Theuropidis et Simonis expostulationem, sed ut omnino non in ipsa scena coram spectatoribus agendam, verum tanquam ab illis factam tantum narrandam fuisse concederemus. Quae omnia si cui nondum satis esse ad redarguendam Acidalii excusationem videbuntur, gravissima haec reputato ex ipsa lingua nexuque sententiarum petita. Primum enim, quorsum *hoc* et *tuis* spectant v. 34? Deinde, quis tandem est, qui filio velle uxorem dare Theuropidem *aiebat*? Denique quid est, quod *respondere* Simo Theuropidem iubet v. 32, nec quicquam tamen ex eo quaerit? Ergo de lacuna quidem cum dubitari prorsus nequeat, hoc unum facile quispiam ambiguum dixerit, tantane illa videatur esse posse, quanta trium et viginti versuum spatium aequet. Non opus esse tot versibus ad eum quem requirimus nexum redintegrandum, id quidem fortassis largiamur. Contra ubi praeter unum illum locum (et eum quem antea indagavimus) aliquid in hac tota scena excidisse dicam, prorsus non habeo. Haberem, si de proxima ageretur, ubi de lacunis cum alibi cogitari potest, tum non potest non cogitari post v. 2 et post 37: quod longum est

Digitized by Google

nunc pluribus persequi. Nec vero is a quo proxima scena versu orditur:

Qui homo timidus erit in rebus dubiis, nauci non erit,

quippe in eadem in qua versamur Ambrosiani pagina ultimum locum obtinens, eius scenae non fuisse primus videtur. Denique ne integram quidem scenam inter IV, 3 et V, 1 excidisse ullo modo veri est simile. Quod ita esse facile intelliges, si singulas fabulae personas, quid vel egerint vel nunc agere possint, perlustraveris; nec enim quicquam reliquum est, quod vel Theuropides nondum compererit, vel ad rerum quae aguntur ordinem integritatemque nos desideremus.

E tot igitur tantisque dubitationibus ecquo alio modo emergemus, nisi ut eius viae, cuius nobis veritatem necessitatemque prorsus persuaserimus, exemplum proponamus? Certissimum enim esse existimamus, eos qui circa IV, 3, 32 interciderint, versus circiter XXIII in una Theuropidis Simonisque altercatione esse versatos eique rei illud spatium nec parum esse nec nimium. Quod ut ita se reapse habere aliis quoque persuaderemus, explendae lacunae hoc quod infra posuimus periculum fecimus, non hercle illud ullo pacto tale, quod Plautina arte dignum putaremus, sed in quantavis tenuitate ei tamen qua opus est demonstrationi aptum, si nec quicquam inepte moliti esse nec inutilibus ambagibus senum sermonem longius produxisse iudicabimur.

TH. Profécto non negábo debere, ét dabo:
Tu cáve quadraginta áccepisse hinc nè neges.
32 *SI. Quaeso édepol ad me huc spécta et respondè mihi.*
1 *Nam quamóbrem accepisse íd me argentum dictitas?*

Digitized by Google

TH. Quasi véro has aedis hínc esse emptas núscias.
SI. Quas aédis aut a quo émptas dicis, te óbsecro?
TH. Quas véndidisti gnáto Philolachí meo.
SI. Egone út vendiderim? quid quaeso in mentémst tibi?
TH. Frustrá's nunc dissimulándo. scio, iam paénitet
Te has véndidisse: vérum id equidem nón moror.
SI. Satin sánu's? an me lúdificare póstulas?
TH. Etiámne intendis? sério factum hóc negas?
SI. Nego hércle vero fáctum atque adeo pérnego.
*Quin iúsiurandum tibi me polliceór dare,**)
Non mi hic negoti quícquam fuisse cúm tuo.
TH. Qui núnc negas? cur nón negabasántidhac,
*Quom inspícere has me iubébas meas — SI. tanquám tuas.***)

---

*) Cf. V, 1, 36: *Quin iusiurandum pollicitust dare se, si vellem, mihi* et quae sequuntur aperte et lacunosa et aliis modis corrupta atque perturbata. Illo versu parum elegantibus numeris vulgo: *pollícitus ést dare, sí vellem, mihi.* Rasuram inter *dare* et *si* habet Vetus, liquido autem scriptum *dare si si vellem* Decurtatus. — Ceterum haudquaquam necesse est, quae deinceps Theuropides vel se Simoni vel hunc sibi dixisse narrat Tranioni, ea omnia in superiore scena revera locum habuerint. Fieri sane potuit, ut in ius se Simonem vocaturum Theuropides reapse minaretur. Quod quidem etsi nullo negotio potueramus nostris versiculis includere, tamen praetermittere maluimus, quia talis minationis Theuropides in V, 1 iccirco tantum mentionem iniicere visus est, ut transitum sibi pararet ad eos servos commemorandos qui mox prodituri essent: quos cum a Simone petisset vinciendi caedendique Tranionis caussa (IV, 3, 44), ab hoc aliquantisper credi vult quaestioni datos esse a Simone (V, 1, 38 sqq.) Eo autem progressam esse senum altercationem illam, pars eius superstes nostro sensu fidem non facit.

**) Cf III, 2, 122.

Digitized by Google

Qui id tibi negarem, quom ad me servom mitteres,
Meas has ut inspiciundi veniam tibi darem?
TH. *Iccirco eum misi, quia, quae apud te sunt mulieres,* *)
Eis esse molestus nolui adventu meo.
Absque eo esset, haud pol peterem quod erat in manu.
SI. *Longe aliud certe servos memorabat tuus.*
TH. *Dic mi obsecro igitur, quid ille memoravit tibi?*
SI. *Tibi dicam. hic quod gynaeceum in meis aedibust,*
Hinc capere exemplum velle te dixit mihi. **)
TH. *Quo mi autem exemplum? aut quo gynaeceum mihi?*
SI. *Te velle uxorem ille aibat tuo gnato dare:*
Ideo aedificare hoc velle te aibat in tuis.
TH. *Hic aedificare volui? SI. sic dixit mihi.*
TH. *Hei mihi, disperii* e. q. s.

Vides eo quoque rem non acu tetigisse Acidalium, quod lacunam esse ante v. 32 credidit, quae dubitari nequit quin sit post eum versum. — Eo autem quod posuimus exemplo nec *respondet* v. 32, nec *aibat* v. 33, nec v. 34 *tuis* et *hoc* non habent quo referantur: *hic* enim pro *hoc* hodie receptum e Lambini tantum mutatione manavit. Ceterum cur *ad me huc specta* v. 32 scripserim, satis apertum esse arbitror.

Si quis autem XXIIII, non XXIII versibus comprehensum novicium illud supplementum miretur, eius quidem rei hanc esse rationem sciat, ut unius versiculi

*) Cf. III, 1, 150 sqq.
**) Cf. III, 2, 68 sqq.

Digitized by Google

iactura compensetur, quo eandem scenam IV, 3 alio in loco deminuendam suspicor: absque quo esset, facile omitti is quem 19 posuimus versus potuerat. Sic enim vulgo pergit Theuropides:

36 *Hei mihi, disperii: vócis non habeó satis.*
Vicíne, perii, intérii. SI. *numquid Tránio*
Turbávit? TH. *immo mi éxturbavit ómnia.*
Te ludificatus est et me hodie indignis modis.
40 SI. *Quid tú ais?* TH. *haec res sic est ut narró tibi.*
Te ludificatus et me hodie in perpetuum modum.

Quibus in versibus *vicine* scripsimus cum Acidalio, *perii interii* transposuimus cum scriptis libris omnibus, *mi* cum Bothio inseruimus. Eidem vv. 39. 41 haec emendatio debetur:

Deludificatust me hodie { *indignis modis:* / *in perpetuom modum:*

cui quidem emendationi iusta fides e Palatinorum demum scriptura accedit. Sic enim priorem versum Vetus exhibet:

Te ludificatus est :hodie indignis *modis* *dis*

et in margine *:& me*, ita tamen ut e correctura sint *atus est* syllabae. A quo sic Decurtatus discrepat:

Te ludificatust mihi hodie indigni dis

Alter autem versus in Vetere hic est:

t *&*
Deludificatust me hodie in perpetuum modum

hic vero in Decurtato:

Deludificatust me hodie in perpetuum modum

sed ut *me* sit e corr. pro *mi*. Attuli haec, in quibus plane apparet veteris emendatoris manus, quam plenissime propterea, quod ita sperabam fore ut sua sponte unicuique eadem, quam ego non potui procul habere, suspicio nasceretur. Nam vix mihi persuadeo tam brevi

Digitized by Google

intervallo tam similem versum ab eo poeta iteratum, quem longe alium nosse videor: languetque profecto haec iteratio eo magis, quod paucissimis post versibus rursum similia verba idem Theuropides haec subiicit:

Quis me hodie exemplis ille ludificatus est.

Quocirca nescio an illorum haec fuerit pristina species:

Vicine, perii, interii. SI. *numquid Tranio*
38 *Turbavit?* TH. *immo mi exturbavit omnia.*
40 SI. *Quid tu ais?* TH. *haec res sic est ut narro tibi.*
41 *Delúdificatust me hódie in perpetuóm modum.**)
Nunc te óbsecro ut me béne iuves operámque des.

Vt enim v. 41 potius quam 39 servem, illud me movet, quod *indignis modis* potuit e recordatione Plautini versus qui est Rud. I, 2, 59 huc irrepere:

Delúdificavit mé ille homo indignís modis.

Quanquam dissimulare nolo etiam aliam patere corrigendi viam. Potuit enim perperam iteratis verbis, quae sunt *Deludificatust me hodie,* aliquod hemistichium extrudi, velut hoc:

TH. *immo mi exturbavit omnia.*
39 *Delúdificatus ést me hodie indignís modis.*
SI. *Quid tu ais?* TH. *haec res sic est ut narro tibi.*
41 [*Dispérdidit med ille*] *in perpetuóm modum.*

Et fatendum est certe, longe commodius intelligi, quo-

---

*) Nam ut per se illi versus etiam sic invicem sese excipere possint non improbabiliter:

TH. *immo mi exturbavit omnia.*
Deludificatust me hodie in perpetuom modum.
SI. *Quid tu ais?* TH. *haec res sic est ut narro tibi.*
Nunc te obsecro e. q. s.

tamen in hoc certe, ne prorsus vagetur coniectura, praestiterit ab eo quem libri prodidere ordine stare.

Digitized by Google

modo aliquis p c r e a t *in perpetuum modum* (ut est Most. III, 1, 5: *Nunc pol ego perii plane in perpetuum modum*), quam qui se dicat *hodie in perpetuum modum l u d i f i c a t u m esse.*

C a p u t III.

M a n t i s s a e m e n d a t i o n u m.

§. 1.

Persequamur primum quod in commentatione tetigimus tantum p. 438 sq. Etenim Mostellariae III, 2 post versum 129 vulgo hi leguntur:

130 *SI. Vin qui perductet? TH. apage istum perductorem: non placet.*
SI. Quid, quid est? TH. errabo potius, quam perductet quispiam:

inde a v. 157 autem hi:

SI. Eho istum, puer, circumduce hasce aedes et conclavia.
Nam egomet ductarem, nisi mihi esset ad forum negotium.
TH. Apage istum a me perductorem, nihil moror ductarier.
160 *Quidquid est, errabo potius, quam perductet quispiam.*
SI. Aedes dico. TH. ergo intro eo sine perductore. SI. i licet.
TH. Ibo intro igitur. e. q. s.

Digitized by Google

Et priores quidem duos versus ab illo loco alienissimos esse nemo est quem fugiat. Ergo delevit Gruterum secutus Bothius, ut e sola repetitione versuum 159. 160 ortos, quos apparet prorsus suo loco esse positos: parum illud profecto arti convenienter. Nam nec iterata illa sunt: *vin qui* ab initio versus et in fine *placet*, nec videri possunt interpretis esse: ut tam exquisita verba et in sententiam ipsam satis congrua non habeas sane unde irrepsisse dicas. Verum longius etiam progrediendum dubitando: nam ne posteriore quidem loco positi versus 158 sqq. suis difficultatibus iisque gravissimis vacant. *Ductare* et *perductor* voces volunt ambigue dictas esse ambiguitatemque ad id spectare quod sit *scorta ductare:* ut in hanc partem Simonis verba Theuropides per iocum interpretatus ad aedium cogitationem, quo illa valuerint, serio revocetur Simonis responso *aedes dico.* Largiar his satis apte necti Theuropidis verba *ergo intro eo sine perductore;* illud non concedam, non esse importunissime interiectum illum versum *Quidquid est, errabo potius quam perductet quispiam.* Nam si superiore versu *perductorem* nomen Theuropides in lasciviae notionem detorserit, hic autem consimile *perductet* verbum proprio significatu dictum, quippe oppositum *errabo* voci, referat ad aedes; rursum autem tertio versu prior illa interpretatio repellatur a Simone: quid est tandem cur vel hic repellat quod ille iam missum fecerat, vel iam ante Simonis monitionem Theuropides ad simplicem interpretationem a petulantia ipse redeat? In his nec lepos nec ordo nec ratio, sed perversa omnia. Et tamen restant minus etiam tolerabilia. Ineptum est enim, quod volunt in *ductandi* ambiguitate ludi: ineptum propterea quod, si sane amicae et meretrices sunt ductari dictae, id ne potuit quidem vel transferri in viros vel de viris in-

Digitized by Google

telligi. Postremo ipsum illud *perductorem* non modo aliquantum languet post gravius *ductare* verbum, sed etiam iis quae praecesserant minime consentaneum est. Neque enim usus erat Simo' *perducendi* vocabulo: ut recte et concinne *nil moror ductarier* referantur Simonis verbis *nam egomet ductarem*, parum autem congruenter *perductor* nomen post *circumduce* verbum inferatur. Ergo quod exspectatur, non est ut *perductor* commemoretur, sed ut *circumductor*. Nec in lusu verborum aliquo unquam veritus est Plautus vel fingere novum, quod e re esset, vocabulum: si modo illud novum, cuius nos exemplum hodie non legamus. Quo autem spectat circumducendi notio, eandem in partem interpretandum ductandi verbum, ut omissa omni obscenitate de fallendo, decipiendo cogitetur simpliciter, multo id quidem senum personis convenientius: ut est Capt. III, 4, 109 *qui me ut lubitumst ductavit dolis*, itemque *ductitare* Epid. III, 2, 15.

Nunc autem ut, qui horum usus sit quae disputavimus, intelligatur, praeter cetera illud quaerendum, quid tandem libris scriptis proditum sit, quid profectum ab editoribus. Scito igitur in Vetere codice sic scriptos vv. 159, 160 exstare:

TH. *Apage istum me . . . . . nihil moror ductarier.*

Quidquid est . . . . . perductet quispiam.

Nec discrepant reliqui libri, nisi quod in recentioribus, ut Lipsiensi et ed. princ., vacuis spatiis omissis verba continuata sunt. Vides suspectam *perductorem* vocem ne esse quidem in codicibus: quam e v. 130, pariter ut e 131 hic elapsa *errabo potius quam*, huc ascivit Camerarius. Et quod *istum me*, non *istum a me* Palatini libri exhibent, in eo ipso videor *istum c*[*ircum-*

Digitized by Google

ductorem] agnoscere. Quod reliquum est, resectis quae e glossemate orta sunt adiectisque quae interciderunt, in hanc speciem misere discerpta membra redintegranda putamus:

SI. Ĕho istum, puere, circumduce hasce aedis et conclávia.
Nam ĕgomet te ductárem), ni esset mi ad forum negótium.*
159 *TH. 'Apage istum circúmductorem: nil mŏror ductárier.*
161. 130 *SI. Aĕdis dico. vin qui te perdúctet? TH.* *istum perductorem apage, nŏn placet:*
160. 131 *Quicquid est, errábo potius quam perductet quispiam.*
161 [*SI. Face tuo arbitrátu.*] *TH. ergo intro eo sine perductore. SI. ĭ licet.*
162 *TH. 'Ibo intro igitur* e. q. s.

Ita quidem rectissime *perducendi* notio, cuius nulla ambiguitas, non prius infertur, quam perperam accepta a Theuropide *circumducere* et *ductare* verba quo valuerint Simoni explicandum est. Ab interprete autem *apage* voci ascriptum fuit *istum perductorem* ad similitudinem prioris versus. Quo interpretamento interpolata verba quae sunt *Vin qui te perductet* usque ad *placet* una cum proximo versu cum forte a librario neglecta essent et in margine posita, hinc casu sunt post v. 129 delata. Aut simul negligebatur et in marginem, sed hinc non item in alterum illum locum priorem, transiit initium tertii versus, quod esse potuisse *face tuo arbitratu* coniecimus, aut postmodum excidit: quo factum ut in unum versiculum, verum eum misere vacillantem, initium primi et tertii exitus coalescerent:

*) Magis sibi placere *Nam egomet ductarem* Hermannus significavit.

Digitized by Google

Aedis dico. TH. *ergo intro eo sine perductore.* SI. *i licet.* *)

Nihil in Plautinis fabulis frequentius quam eiusmodi corruptelarum concursus et crescentium errorum tanquam nodus quidam: cuius rei exempla alia opportunitate licebit larga manu promere. Vnum hic afferam, cuius simplicior ratio, sed persimile propterea quod traiectorum unus versuum item suo loco resedit. Mostellariae enim III, 2 cum a v. 101 haec legantur:

TH. *Adeo etiam argenti faenus creditum audio?*
TR. *Quattuor quadraginta illi debentur minae. Dic te daturum, ut abeat.* TH. *egon dicam dare?*
TH. *Dic.*

paullo post hos offendimus:

120 TR. *Absolve hunc quaeso vomitum, ne hic nos enecet.*
Quattuor quadraginta illi debentur minae,
Et sors et faenus. DA. *tantumst: nihilo plus peto.*
TR. *Velim quidem hercle ut uno nummo plus petas.*

---

*) Haud scio an praeterea aliquid audendum sit, vel quaerendum certe, num forte versus tertius (*Apage .... ductarier*) et quarti exitus (*apage, non placet*) Tranioni rectius tribuantur, is ut licentius et qua solet esse fidentia pro Theuropide respondeat ante quam in eandem hic ipse sententiam illa dicat *Quicquid est* e. q. s. Namque ita fatendum est et haec ipsa verba longe aptissime necti prioribus, et magis profecto, quam in Theuropidis gravitatem, iocandi genus illud universum cadere in argutam Tranionis cum protervitatem tum consiliorum rationem, quippe e cuius re illud fuerit ut quod maxime, ut sese solo comite Theuropides intraret neve e Simonis aliquo servo rem qualis esset rescisceret. Sed tamen habemus cur dubitanter illud nec nisi in chartarum angulo quodam significarimus. Vix autem dubitamus de recte emendatis numeris versus secundi (*Nam egomet* e. q. s.).

Digitized by Google

TH. *Adulescens, mecum rem habe.* DA. *nempe abs te petam.*

125 TH. *Petito cras.* DA. *abeo: sat habeo, si cras fero.*

Ex hoc loco versus 121 irrepsisse in priorem Osanno videbatur Anal. crit. p. 203. At vero deleto v. 102 qui illud ferri potest, ut, cum v. 101 de faenore Theuropides quaesierit, nihil prorsus servus respondeat? Qui quod *dic te daturum* ait, id ipsum manifesto ad praegressum aliquod responsum refertur, quo faenus quoque esse creditum Tranio affirmarat. Id autem etsi aliquo modo facit sane Tranio, si quattuor et quadraginta minas deberi fatetur, quando sortem esse quadraginta minarum ante dixerat: tamen parum intelligimus, cur apertius id ipsum inferiore tantum loco his verbis declaretur, *quattuor quadraginta illi debentur minae, et sors et faenus,* quo loco omnino nec exspectemus nec desideremus, ut, quantum argenti debeatur, denuo exponatur. Ergo quod sane vel ratiocinando facile assequimur, eodem externis quoque vestigiis sat certa via ducimur: indicio enim iteratus versus est, quinam cum illo coniuncti quo in loco positi fuerint. Hic enim, si quid video, pristinus ordo fuit:

101 TH. *Adeo étiam argenti faénus creditum audio.* *)

102. 121 TR. *Quattuór quadraginta illi debentúr minae,*

122 *Et sórs et faenus.* DA. *tántumst: nihilo plús peto.*

123 TR. *Velim quidem hercle, ut úno nummo plús petas.*

*) Hunc tamen nescio an sic potius poeta scripserit:
Adeo étiam faenus crèditum argenti árbitror.

Digitized by Google

103 *Dic tè daturum, ut dbeat.* TH. *egon dicàm dare?*

Altero autem loco rectissime haec procedunt:

120 TR. *Absólve hunc quaeso, vómitu ne hic nos énicet.*

124 TH. *Adulèscens, mecum rém habe* e. q. s.

Iam enim exposita a Tranione mercimonii ratione, quo alias aedes filius erilis emerit, sat promptus ad pecuniam solvendam senex exstitit. Versu autem 120 cum Bothio scribendum fuit *vomitu ne hic nos enicet* pro eo quod vulgatur *absolve hunc quaeso vomitum, ne h. n. e.* Longissime enim Lucilianum illud distat apud Nonium p. 2, quo Trebellius quidam videtur *febris, senium, vomitus, pus* vocari.

§. 2.

Haec quae tractavimus exempla ita comparata sunt, ut cum iteratione coniuncta sit affinium partim transpositio. Non pertinuit ad vicinos versus iteratio aliis exemplis eiusdem fabulae: neque enim animus est extra ipsius Mostellariae fines evagari. Velut quis potest dubitare, quin errore tantum librariorum in II, 1 versus 64

Clavim cedo atque abi intro atque occlude ostium

repetitus sit post v. 77, deleri iussus posteriore loco ab Acidalio? Vel ut gravius proferam, quin verum idem viderit in III, 1, ubi versibus 26. 30. 31. 32 iterum post v. 18 intrusis illud accidit, ut ne continuae quidem partes traiicerentur. Qui versus cum elegantia suadet tum ratio postulat ut sic scribantur:

17 TR. *Numquíd dixisti de íllo, quod dixi tibi?*

18 TH. *Dixi hércle vero ei ómnia.* TR. *hei miseró mihi:*

Digitized by Google

23 *Metuó ne technae meaé perpetuo périerint.*
24 TH. *Quid túte tecum?* TR. *nihil enim. sed dic mihi,*
25 *Dixístin quaeso?* TH. *dixi, inquam, ordine ómnia.*
19. 26 TR. *Etiám fatetur de hóspite?* TH. *immo pérnegat.*
27 TR. *Negát?* [TH. *negat inquam.* TR. *périi, rem*] *quom cógito.*
28 [*Non cónfitetur?*] TH. *dícam, si conféssus sit.*
29 *Quid núnc faciundum cénses?* TR. *egon quid céenseam?*
20. 30 *Cape, óbsecro hercle te, úna cum eo iúdicem.*
21. 31 *Sed eúm videto ut cápias, qui credát mihi.*
22. 32 *Tam fácile vinces, quám pirum volpés comest.*

V. 18 inserui *ei*, quod pronomen vix credas quoties imprudenter omissum sit: *hei* autem non suscepi codicis Lips. editionisque princ. auctoritate, sed ab Italis criticis, a quibus horum librorum recensio profecta est, recte effectum arbitror e Decurtati scriptura *et* h. e. *ei* omissa de constanti more aspiratione. *Ve* in Vetere repertum e correctura secundae manus manavit, cum a prima esset *vet*. V. 24 pro *tute* libri mss. *tu* exhibent, v. 25 *dixtin* et *dixit in* pro eo quod Bothio debetur. Sed perversissime idem vv. 27. 28, quoniam in codd. et vett. edd. una continuitate scriptum esset *Negat cum cogita* (vel *cogitq*) *dicam si confessus sit*, haec conglutinanda in unius versus ambitum putavit:

TR. *Negat?* TH. *quam rogitas! dicam si confessus sit.*

Nec illud cogitavit Bothius, magna concinnitate ab initio cuiusque versus interrogari, responderi in altera

Digitized by Google

parte, et ita quidem ut eodem utrumque verbo fiat: nec quid tandem in libris esset cognitum habuit quamvis suis oculis usurpato Decurtato codice. Duo et in hoc et in Vetere versus sunt, sed in hanc speciem lacunosi:

Negat . . . . . quom cogita
. . . . . dicam si confessus sit.

Nisi quod *dicam* abest a Vet., *Necat* habet Dec. E quo intelligitur felicissime in his supplendis Camerarium versatum esse, a quo ita tantum recessimus, ut pro vitiosis numeris verborum *perii oppido cum cogito* usitatam Plauto locutionem substituerimus. *cogito* in Vet. supra scriptum est, sed ipsius manu Camerarii: *quin cogita* habet Lips., *quando cogita* ed. princ., illud e correctura, hoc e sigli prava interpretatione. — Denique v. 30 non minus quam v. 18 frustra sunt qui *hercule* formam invexerunt: nos unum *te* inseruimus et *una* transposuimus: nam in Palatinis libris priore quidem loco est *hercle obsecro cum* (vel *com*) *meo una iudicem*, posteriore autem *obsecro hercle cum eo una iudicem*. — Ceterum hoc quoque exemplo Osannus Anal. p. 201 abusus est ad adornandam de duplici recensione opinionem suam.

§. 3.

Nolo exspatiari ad interpolationes nec iteratis poetae verbis ortas nec cum transpositione coniunctas, sed e glossematis natas: verumtamen, quoniam ad hoc genus ex ipsa Mostellaria quaedam rettulerunt immerito, haec quasi praeteriens tutabor. Ita cum I, 1, 52 sqq. in libris sic legatur:

Digitized by Google

O carnuficium cribrum, quod credo fore:
Ita te forabunt patibulatum per vias
Stimulis, si huc reveniat senex:

horum extremum versuum ut interpretis additamentum deleri Bothius iussit. Sed cum in Vetere cod. *stimulis* sit a manu sec., a prima fuerit *stimuliis*, quis est quin in ea scriptura *stimuleis* adiectivum latere perspiciat, quod legitur etiam Milit. II, 6, 31: *Nisi mihi supplicium stimuleum de te datur:* mancosque numeros ascito substantivo supplendos esse concedat? Scribendum ni fallor,

Stimúleis terebris, húc si reveniát senex.

Quemadmodum enim cum *scribendi* verbo iunxit poeta *stilos ulmeos* Pseud. I, 5, 32, cum *bibendi* notione *potionem iunceam* Stich. IV, 2, 56, et si quae alia lusit similiter, ita *stimuleas terebras* rettulit ad *forandi* operam: quo enim alio instrumento forari cribra cogites? Versu autem primo *carnúficium*, pro quo *carnificum* codd., *carnificinum* Scaliger, recte factum ut *pontificius.*

Solius autem interpretationis ope cum alia permulta expedienda sunt, quae in suspicionem temere vocarunt, tum in Mostellaria defendendi I, 2, vv. 10 sqq.:

Atque hóc haud vidétur veri símile vóbis:
At ego id faciam ita ésse ut credátis.
Profécto esse ita, út praedicó, vera víncam
e. q. s.

Quorum medium ubi sustuleris, qui tandem carere adversandi particula potuerimus? Diligenter autem cavendum, ne cum apertis glossematis, quae in versus formam abierunt, ea exempla confundantur, cum similibus verbis, sed iis etiam fortioribus, eadem sententia non repetitur potius quam intenditur et confirmatur: id quod in illum ipsum versum cadit ut quod maxime,

Digitized by Google

minusque etiam offensionis in ea oratione habet, quam non sine verbosa quadam loquacitate, minime illa a Plautino ingenio aliena, Philolaches pertexuit. Vnum hoc addo, non videri de trimetro cum Hermanno Elem. doctr. metr. p. 299 cogitandum, sed facillimo negotio restituendum tetrametrum:

At ego id [facile nunc] faciam ita esse ut credátis.

Ceterum inverso ordine libri *esse ita* praebent priore versu, *ita esse* posteriore: vere utrumque ab Hermanno correctum.

Non magis nexum sermonum, prorsus ad rei quae agitur rationem personarumque et condicionem et sensum accommodatorum perspexerunt, quibus in Most. V, 1 horum, quos infra posui, versuum (30 sqq.) quartus displicuit:

30 TH. *Nóstrum ego hunc vicinum opinor ésse hominem audacem ét malum.*
TR. *Quidum?* TH. *quia negát novisse vós.* TR. *negat?* TH. *nec vós sibi*
Númmum unquam argenti dedisse. TR. *abi, lúdis me credo: haúd negat.*
TH. *Quid iam?* TR. *scio iocaris nunc tu: nam ille quidem haud negat.*
TH. *Immo edepol negát profecto: néque se has aedis Philolachi*
35 *Véndidisse.* TR. *eho: án negavit sibi datum argentum, óbsecro?* e. q. s.

Nam etsi ille quidem versus abest sane a Decurtato iisque qui ex eo fluxerunt exemplis, Lipsiensi cod. et edit. princ., tamen errore librariorum abesse Vetus testatur. Et quid magis potest ad Tranionis confidentiam consciumque fraudis animum appositum esse quam repetita, sed sat eleganter repetita v. 33 sententia?

Digitized by Google

Modo numerorum rationibus rectius quam a Bothio consulatur, cuius pinguius inventum *namque illic quidem haud negat* non dubitabis, credo, huic posthabere:

TH. Quid iam? TR. scio iocáris nunc tu: nam ille quidem haud [edepól] negat.

Antea *credo* dixerat, nunc *scio* ait; *haud negat* dixerat simpliciter, quo fortius et audacius est *haud edepol negat*, similiter atque v. 39 asseveranter *nugas* inquit *nunquam edepol dabit.* Eique *edepol* particulae grata et Plauto usitata concinnitate Theuropidis responsum refertur *immo edepol negat profecto.*

Ceterum miror non etiam Most. IV, 2, 42 et 43 in suspicionis societatem ascitos esse, ut in quibus exigua verborum varietate eadem sententia iteretur. Sed liceat plenius hoc exemplum tractare propter coacervatas depravationes memorabile. Vulgantur ibi inde a v. 40 haece:

TH. Egone. SE. tu. TH. tu ne molestus: sine me cum puero loqui.
PH. Nemo habitat? hem! TH. ita profecto. PH. nam heri et nudius tertius,
Quartus, quintus, sextus usque, postquam hinc peregre eius pater
Abiit, nunquam triduum in unum desitum est esse et bibi.
TH. Quid ais? PH. triduum in unum est haud intermissum hic esse et bibi,
Scorta duci, pergraecari, fidicinas, tibicinas
Ducere. TH. quis istaec faciebat? PH. Philolaches. TH. qui Philolaches?

In his permirum est editores ad unum omnes patienter tulisse hanc constructionem: *desitum est esse et bibi,* itemque paullo post *scorta duci, tibicinas ducere.*

Digitized by Google

Sive enim *esse* passivam formam crediderunt *), sive cum activo strui potuisse *desitum est* putarunt, turpiter lapsi sunt: nedum coniungi utrumque genus verbi possit. Et versum quidem 43 praeclare Ambrosianus codex sanat, in quo est *potarier* pro *esse et bibi*: reliquis versibus quid ille scriptum teneat, discerni nequit, nisi quod v. 41 habet *postquam peregre illius pater*. Quid multa? etiam sine libris non dubitamus pristinam his versibus formam sic restituere:

TH. Égone? SE. tu. TH. ne tú molestú's: sine
me cum puerò loqui.
Némo habitat. PH. habitát profecto: nàm heri
et nudius tértius,
Quártus, quintus, séxtus, usque, póstquam pere-
gre hinc éius pater
'Ábiit, nunquam triduum unum désitumst po-
tárier.
TH. Quíd ais [tandem?] PH. triduum unum haud
ésse intermissum hic bibi,
Scórta duci, pérgraecari, fidicinas, tibícinas
Cónduci. TH. quis illaéc faciebat? c. q. s.

V. 40 *habitat profecto* e Decurtati memoria *haec tat profecto* recte effecerunt Itali, unde in Lips. et ed. princ. transiit: atque etiam in Vetere, e quo *hem ita profecto* affertur, et *em* litterae sunt e correctura et una littera erasa post *ita*. Sed aliter haec ac vulgo, ita quidem ut fecimus, personis distribuenda erant. V. 41 in libris est *hinc peregre*. Pro *eius* quod Ambros. *illius* prodit omisso *hinc*, id usum non habet: ac saepe apud Plautum *hic* et *ille* pronominibus permutatis erratum. V. 42 *unum* Vet. m. sec., Lips. Princ. *in unum* Vet. m. pr., Dec. — *desitum esse et bibi est*

*) Nunc video adeo *essi* suasisse Lambinum.

Digitized by Google

Dec. Lips. Princ., item Vet. m. sec., in quo et *itum est* e correctura et rasura profectum, et *bibiss.* fuit a pr. m. V. 43 *unum* Vet. m. sec., Dec. Lips. Princ. *in unum* Vet. m. pr. — *est haud intermissum hic esse et bibi* in libris est omnibus. Possunt haec interpolata videri e Most. I, 1, 61: *bibite, pergraecamini, este*: quanquam simplicius fuerit de male intellecto *esse* cogitare. Ceterum cur noluerim *haud intermissum esse*, sed *haud esse intermissum*, non fugere peritos arbitror. Ad versus mensuram complendam aptissimum visum *tandem* ante *triduum* insertum. Fidicinas autem et tibicinas consentaneum est non *duci*, sed, ut saepe est apud Plautum, *conduci*: nec probari *ducere* vocis accentus debuerant. E *pergraecari* forma intelligitur etiam active antiquos *pergraecare* ut similia plurima dixisse. Ceterum qui sapiunt, eis non est cur vim ac rationem repetitae vv. 42. 43 sententiae pluribus inculcemus.

§. 4.

Quoniam ab interpolationibus cum versuum transpositione coniunctis supra exorsi sumus, haud abs re fuerit nunc ad ea Mostellariae exempla exspatiari, quae solam passa transpositionem labem contraxerunt. Quam quidem parum adhuc perspectum est non in universam tantum fabulam cadere, sed etiam in singularum scenarum breviores particulas. Atque turbatum ordinem integrae fabulae cum maxima ex parte licuerit praestantissimi libri Ambrosiani auxilio sive emendare sive emendatum confirmare, eo quidem munimento etsi nunc, ubi ad singula transierimus, carendum erit, tamen novo hoc ipsum documento est, plus etiam ad verum et indagandum et vero inveniendum

Digitized by Google

dum rationem valere argumentandique necessitatem quam vel antiquissimorum auctoritatem testimoniorum. Ne quis autem huius potissimum emendandi generis, quod versuum transpositione continetur, nimiam in curis nostris criticis frequentiam stomachetur, fontem illius depravationis facile efficiam ut tanquam oculis intueatur. Exemplo esto ipse Vetus codex Camerarii, in quo sciendum est eam esse scripturae rationem, ut, etsi plerumque simplex versuum ordo a summa ad imam paginam continuatur, tamen nonnunquam etiam binis ordinibus (quos barbare hodie columnas vocant) singulae paginae divisae sint. Hoc ubi fit, cum rursum duplici modo continuari versus possint, ut aut hoc sese ordine excipiant

1	4
2	5
3	6

aut hoc

1	2
3	4
5	6

utrumque genus collocandorum versuum in iis codicis partibus, quae bipertitis paginis constant, usu evenit. Velut in bipertitis paginis initium Rudentis scriptum est in posteriorem speciem, post aliquot autem paginas non bipertitas inde ab I, 3, 35 rursum illis divisis pergitur in priorem speciem ordinatis versibus. Qualis librariorum inconstantia facile intelligitur quantarum turbarum non dicam potuerit fons esse, sed propemodum non potuerit non esse. Multo autem magis memorabile et ut prope fidem superet illud est, quod quibusdam Veteris illius exemplis utrumque genus librarius promiscue in una eademque pagina est secutus. Sic in Menaechmis, quae fabula magna ex parte in bipertitis

Digitized by Google

paginis perscripta est, in media scena prima actus II a priore ordinandi ratione, quae solet usitata esse, inde a v. 29 subitus transitus fit ad alteram, post ter binos autem versus sic perscriptos

29	*Audi*	30	*Viatici*
31	*Ne tu*	32	*Vbi nihil*
33	*Nam ita*	34	*Voluptarii*

rursum ad priorem reditur. E tali igitur fonte in illa ipsa fabula perversus ordo versuum repetendus, qui est II, 2:

37	*Nummum*	39	*Nam tu*
40	*Menaechme*	38	*Iubeas*
41	*Heu hercle*	42	*Solet*
43	*Quamvis*	44	*Quid ais*

Cognatum autem illud genus est, cum non bifariam divisis paginis tamen bini versus constanter in unius continuitatem contrahuntur: quod supra attigimus p. 439: quo quidem fit ut reapse eadem ratio ordinandorum versuum prodeat, atque illa est quam posuimus posteriorem. Nec hic desunt mirae inconstantiae exempla. Velut Mercatoris II, 1 cum ab initio singuli se versus excipiant, inde a v. 12 usque ad 19 contractio fit huiusmodi:

Ait se illius caprā opera atque adventu caprae Flagitium et damnum fecisse haud mediocriter.
Dicit capram quam dederam servandam sibi Suae uxoris dotem ambae dedisse oppido,

eademque ratio obtinet inde a v. 24: sed qui inter hos medii sunt 20 ad 23, subito mutato consilio hac forma exhibuit librarius:

20. 22 *At me domum intro ad uxorem ducturum meam Ast non habere cui commendarem capram.*
21. 23 *Atque oppido hercle bene velle illi visus sum Quod agis quid facerem curā cruciabar miser.*

Digitized by Google

Tali autem inconstantia quid mirum si etiam illud accidit, ut integri versus prorsus omitterentur?

Hinc igitur facile existimabitur, qua confidentia quove iure ad scenam primam actus III, in qua iam aliquantum elaboravimus, nunc etiam simplici versuum transpositione redintegrandam et si fieri possit persanandam accedamus. Ac primum uno verbo moneo, rectissime Acidalium eum versum qui nunc legitur 81:

Calidum hoc est: etsi procul abest, urit male:

e contiguorum societate exemisse, qui hi sunt:

80 DA. *Non edepol nunc me tu istis verbis territas.*

82 TH. *Quod illuc est faenus obsecro, quod illic petit?*

et versui 136 subiunxisse:

Calidum hercle audivi esse optumum mendacium.

Nam hoc solum sanum esse, insanum quod vulgo fertur, res ipsa loquitur.

Sed plus paullo post turbatum est inde a v. 90, ubi haec vulgantur:

90 TH. *Quid illi debetur?* TR. *obsecro hercle iube Obici argentum huic ob os impurae beluae.*
TH. *Iubeam?* TR. *iube homini argento os verberarier.*
DA. *Perfacile ego ictus perpetior argenteos.*
TH. *Quod illud argentum est?* TR. *huic debet Philolaches*
95 *Paulum.* TH. *quantillum?* TR. *quasi quadraginta minas.*
DA. *Ne sane id multum censeas, paulum id quidem est.*
TR. *Audin? videturne obsecro hercle idoneus, Danista qui sit? genus quod improbissumum est.*

Digitized by Google

TH. Non ego istuc curo, qui sit, unde sit:
Id volo mihi dici, id me scire expeto.
Adeo etiam argenti foenus creditum audio.

Intelligisne quid sit, quod sibi dici Theuropides velit? quod se scire expetat? Non hercle ego quidem. Nec profecto se digne Acidalius sic distingui posse iecit potius quam coniecit: *non ego istuc curo, qui sit; unde sit, id volo mihi dici.* Nam nec ullo modo attinebat illum scire, unde esset danista, nec respondet tali quaestioni servus. Vellem tam plana omnia essent, quam hoc est, quod cum v. 190 coniungenda v. 94 verba contendimus: *Quod illud argentum est.* Atque hoc vidit etiam Bothius. Sed videndum plus erat. Quo enim spectare putabis quod v. 97 Tranio dicit: *Audin? videturne obsecro hercle idoneus, danista qui sit? genus quod improbissumumst.* An ad eum qui praecedit versum 96? At eo versu danista id dixerat, quod vel maxime e mente Tranionis esset: paullulum esse nec magni aestimandum, quod aes alienum Philolaches contraxisset. Quo qui potest Tranio in danistam ut improbitatis documento uti? Immo eius quidem opprobrii argumentum ille nequit nisi e danistae verbis v. 93 petere: *Perfacile ego ictus perpetior argenteos.* Solam enim verberandi et ictuum notionem premens hoc dicit Tranio: nonne iste plane natus factusque est ad danisticam vitae condicionem? quippe qui ne verberum quidem ignominiam detrectet, modo pecuniam corradat. Quae cum ita sint, ecquid dubitabis una eaque simplicissima versuum 97. 98. 99. 100 ante 94 transpositione utrique quam exposuimus difficultati occurrere, rectissimoque versuum ordine delectari sic meo suasu reconcinnatorum:

TH. Quid illi debetur? TR. obsecro hercle te,
obici

Digitized by Google

Iube haic argentum ob ós impurae béluae.
TH. *Quid iúbeam?* TR. *ei homini argénto os verberárier.*
93 DA. *Perfácile ego ictus pérpetior argénteos.*
97 TR. *Audin? videturne óbsecro hercle idóneus,*
98 *Danista qui sit, génus quod improbissumumst?*
99 TH. *Non égo pol istuc cúro, qui sit, únde sit;*
100 *Id vólo mi actutum dici, id me scire éxpeto:*
94 *Quod illud argentumst?* TR. *huice debet Philolaches*
95 *Paullúm.* TH. *quantillum?* TR. *quási quadraginta minas.*
96 TH. *Paullum id quidemst?* TR. *ne sáne id multum cénseas.*
101 TH. *Adeo étiam argenti faénus creditum audio?*

De singulis quam potero brevissime dicam. Vv. 90. 91 sic fere scriptos Palatini codices exhibent: *obsecro hercle inbi Obi argentum obosim purae beluae. Obici,* quod est in interpolatis libris, Italorum coniectura redintegratum est. Commode inventum, sed perperam collocatum *huic* ab Camerario ascivimus. — V 92 non videtur Theuropides *Iubeam* interrogare posse. Nondum enim ante audita Tranionis verba, quibus hic ne plane quidem et simpliciter quid iubeat eloquitur, id egi rescierat Theuropides, ut argentum solveretur. Eaque ipsa caussa est, cur suum illud iussum, quod novum et inopinatum ero acciderat, paullum variata oratione servus statim repetat. Vt sic saltem mirabundo seni interrogandum fuerit: *argentum obicere iubeam?* similiter ac v. 103: TR. *dic te daturum.* TH. *egon dicam dare?* quanquam ibi et plane locutus est Tranio nec profecto tam quam hic praeter exspectationem Theuropidis argentum ab hoc petiit. Ergo excidisse ab initio versus *Quid* conieci. *ei homini,* quod sub-

Digitized by Google

ieci, tametsi non est in codicibus, tamen hi ne vulgatam quidem scripturam tuentur: nam *iube in homini* Decurtatus habet, Vetus autem *iube in homine* a prima manu, a secunda *iuben homini*. Hoc autem ipsum cave ulli usui esse putes: non magis enim hic ullus interrogandi formae locus, quam v. 104 Tranio potuit *dicisne* pro *dic* respondere. — V. 93 etsi non vacat offensione —*petior* anapaestus ante vocalem: (nam ineptus sit qui de tribracho cogitet:) tamen patiendum putavi, quia non inveni qui tollerem. (Coniicit Hermannus *perpetiar* a poeta scriptum esse: videri enim *ar* terminationem produxisse Plautum.) — V. 99 *pol* adieci, v. 100 *actutum*. Theuropidis verba *unde sit*, quae negotia interpretibus facessunt, ad Tranionis illa spectant: *genus quod improbissumumst*: luditur enim ambiguitate *genus* vocis. — V. 94 cur *huice* scripserim, alio loco dicam: uberiorem enim hoc disputationem postulat. — Versus 96 hemistichia transposui de elegantissima Acidalii divinatione, qua non videmur supersedere posse. Nihil vel hic vel in reliquis, quos modo tractavimus, versibus Bothius profecit.

Atque hoc quidem traiectorum versuum exemplum satis simplex expeditumque est prae alio quod est in eadem scena. In qua quo longius versus initium regrediare, eo plus turbatum reperias. Multis enim modis depravatum illud est colloquium, quod a v. 41 ad 83 Tranio et danista pertexunt. Sed prius quam id agamus quod professi sumus, de modica lacuna monendum est. Nam versu quidem 59 postquam minabundus danista dixerat *iam hercle ego illunc nominabo*: (temere enim Bothius praeter libros *iam hercle illum ego nominabo*:) cavillatur Tranio contumaciter respondens *euge strenue! beatus vero es nunc quom clamas*. Ergone clamaverat danista? (siquidem illud Tranio, non

Digitized by Google

beatus eris si clamabis dixit.) Quid igitur et quando? An *Philolache* clamaverat extra versum? Non is fuit profecto mos antiquorum, ut aut plura, quam quae ipsis versibus poeta expressisset, fabulae personae loquerentur, aut quae ab his ille pronuntiari vellet, non etiam versibus comprehenderet. Sed acrius etiam instamus. Nam quod v. 88 Theuropides *Quid Philolachetem* ait *gnatum compellat meum**) *Sic et praesenti tibi facit convicium*, illud quo tandem spectare dicamus? Commemoraverat danista Philolachetis nomen secum locutus v. 33: *sed Philolachetis eccum servom Tranium:* item e Tranione v. 46 quaesierat simpliciter *ubi Philolaches est*: illucine igitur respexisse Theuropidem post quadraginta versuum intervallum credibile? Et ut id quidem credas liberaliter, ipsumne *compellat* verbum eo valere potest ut nihil sit nisi nomine dicere, nominatim commemorare, an in eum potius cadit usu prorsus constanti, qui appellans aliquem revera alloquatur? Ex his igitur, nisi vehementer fallimur, consectarium hoc est, ut aliquis inter v. 59 et 60 versiculus interciderit, quem velut hoc exemplo redipisci licebit:

59 DA. *Iam hercle ego illunc nominabo.* TR. *euge euge strenue.*
DA. *Heus Philolache, exi huc intus: faenus reddito.*
60 TR. *Bedtus vero es nunc quom clamas.* DA. *meum peto.*

Vel mea caussa *Heus Philolache, exi: te Misargyrides vocat:* vel *Heus Philolache, exi: argentum redde,*

*) *meum*, quod a codicibus abest, recte addidit Camerarius. Ineptiunt qui *ferox* cum Pylade adiiciunt.

Digitized by Google

Philolache: vel ut simul omittendi caussa quaedam pateat: *Heus Philolache, exi*: *faenus promissum peto.*

Iam vero qui recte aestimare volet, iustone ordine tam prolixa tamque varia Tranionis danistaeque altercatio procedat, ei praeter cetera illud ubique tenendum est, quod et res ipsa postulat et cummaxime ars Plautina suadet, ut pedetentim et tanquam per gradus quosdam a sedatiore affectu ad maiorem animi concitationem Tranio progrediatur: deinde autem ut singulae sermonum illorum partes ita invicem sibi adaptentur continuenturque, ut vero sententiarum vinculo eaque necessitudine, quae ipsi sensui humano consentanea sit, inter se contineantur. Talem autem ordinem, ut nunc res est, desiderari non fugit Pistorem et Bothium: qui quod paucis quibusdam transpositionibus nihil tamen egerunt, eo factum est quod in singulis haeserunt nec cuncta simul tanquam sub unum conspectum subiecerunt. Quod nisi feceris, difficile est non errare: quippe tam brevia concitatae sermocinationis membra fatendum est, ubi per se spectentur, non unum ordinem admittere, sed multis modis non inepte disponi posse. Sed ordiundum quidem nobis quoque est a singulis. Itaque hinc proficiscar, quod v. 57 danista quaerit: *quin vos mihi faenus date? quid nugamini?* At promiserat Tranio datum iri v. 53: ergo non illud potius quaerendum erat simpliciter, quam hoc: cur differtis, nec statim redditis? Sed tamen hoc ad nostram quidem quaestionem levius: nihil enim proclivius quam intruso ab interprete *faenus* nomine illam ipsam notionem, quae est *statim, ilico*, expulsam credere. Gravius est quod post sat placida Tranionis verba v. 58: *hercle ne tu abi modo, ausculta mihi*, danista statim nulloque transitu facto ad nominandum clamabundaque voce compellandum Philolachetem pergit, subiungit autem multo

Digitized by Google

lenius dicta *multos me hoc pacto iam dies frustramini*, quae et quod leniora sunt et quod caussam continent clamandi, praemitti potius oportebat. Quin longius pergit ratiocinando duosque integros versus addit: *molestus si sum, reddite argentum, abiero; responsiones omnes hoc verbum eripit:* qualis verbositas nec in illius mores cadit nec a reliqua horum sermonum concinna aequabilitate commendatur. Et quanquam consentaneum est sane eum molestum esse Tranioni, tamen cur ibi potissimum id commemorat, ubi molestia ei nulla exprobratur, ubi autem exprobratur (*ne sis molestus* v. 72), non commemorat? Permire autem subiicit Tranio v. 64 *sortem accipe*, idque ubi ille detrectavit, sex post versibus denuo profert. Et quomodo profert? ut, cum antea danistam accipere sortem iusserit, nunc nihil nisi polliciturum esse sortem Philolachetem dicat: modo recte de v. 70 capite II, §. 3 statuerimus. Hocine rectum et rationi conveniens an perversum atque adeo praeposterum? Post danistae autem responsum *immo faenus, id primum volo*, quid est cur subito in iracundissima verba Tranio v. 65 sqq. erumpat, quibus misso placandi danistae consilio iam infestum animum palam profitetur et adversarius adversario obsistit? Non illa potius danistae verba exardescendi iusta caussa fuerant, quam quod Philolachetis ille nomen clamaverat: hoc enim non potuit Theuropidem fugere: hanc igitur oportet caussam esse, cur permulcendi amovendique faeneratoris spe omni abiecta a promittendi blanditiis ad denegandi repudiandique contumelias Tranio repente transeat. Progredimur ad v. 73: *tu solus credo faenore argentum datas.* Ei hic non posse suum locum esse pridem perspectum est. Nam saltem praeponi versui 72 (*molestus ne sis: nemo dat: age quid lubet*) debuerat propter eandem rationem quam vv. 61 et 59. 60

Digitized by Google

supra adhibuimus; nec ullo vinculo ei nectitur proximus danistae versus: *cedo faenus* e. q. s. Ipsa autem sententia haud ambigue cum iubet cum affinibus vv. 76. 77 consociari: *faenus illic, faenus hic*: *nescit quidem nisi faenus fabularier*. Porro non videor iusto severior esse, cum displicere interrogandi formam versus 75 censeo mediis quidem imperativis interpositam: *cedo faenus, redde faenus, faenus reddite, date mihi faenus*. Haec prorsus ita comparata sunt, ut diversis responsis videantur imperativi atque interrogatio dispertienda esse. Postremo non est veri simile his rixis finem impositum esse hoc danistae versu: *non edepol nunc me tu istis verbis territas*. Nam nec satis est verbis id pervicacissimae indolis veteratorem profiteri, sed re comprobare oportet: nec poetae arti convenit, non ei potius orationi, in qua reapse faenoris toties petiti mentio fit, quam ei, qua propemodum obmutuit petitoris impudentia, haec continuare Theuropidis nunc primum intervenientis verba: *quod illuc est faenus, obsecro, quod illic petit*.

Has igitur tot tantasque offensiones si non patienter concoquis, sed radicitus *atque adeo eradicitus* summovendas sentis, noli cum ignavorum genere fortiorem medicinam expavescere, sed v. 61 transpone post 58, vv. 62. 63. 64 post 72, v. 73 post 77, v. 75 post 80. Qua ratione ut plenius perspicias quam concinne e singulis singula apta sint et ab iusto initio ad commodum finem recte delabantur, integrum Tranionis cum danista colloquium emendatius infra posui.

TR. *Salvére iubeo té, Misargyrides, bene.*
DA. *Salve ét tu. quid de argéntost?* TR. *abi sis, bélua:*
Continuo adveniens pilum iniecisti mihi.

Digitized by Google

DA. *Hic homost inanis.* TR. *hic homo certest ariolus.*

DA. *Quin tu istas mittis tricas?* TR. *quin quid vis, cedo.*

DA. *Vbi Philolaches est?* TR. *nunquam potuisti mihi*

Magis opportunus advenire quam advenis.

DA. *Quid est?* TR. *concede huc.* DA. *quin mihi faenus redditur?*

TR. *Scio te bona esse voce: ne clama nimis.*

DA. *Ego hercle vero clamo.* TR. *ah, gere morem mihi.*

DA. *Quid tibi ego morem vis geram?* TR. *abi quaeso hinc domum.*

DA. *Abeam?* TR. *redito huc circiter meridie.*

DA. *Reddeturne igitur faenus?* TR. *reddetur: iam abi.*

DA. *Quid ego huc recursem aut operam sumam aut conteram?*

Quid, si hic manebo potius ad meridiem?

TR. *Immo abi domum: verum hercle dico: abi, abi modo.*

DA. *Quin vos mi actutum date? quid hic nugamini?*

TR. *Eu: hercle ne tu hinc abi modo: ausculta mihi.*

DA. *Multos me hoc pacto iam dies frustramini:*

Iam hercle ego illum nominabo. TR. *euge, euge strenue.*

DA. *Heus Philolache, exi: faenus redde, Philolache.*

TR. *Bedtus vero es nunc, quom clamas.* DA. *meum peto:*

* * * * * * * *

Digitized by Google

65 TR. *Quid ais tu? tun, hominum ómnium taetérrume,*
66 *Venisti huc te extentátum? agas quod in manust.*
67 *Non dat, non debet.* DA. *nón debet?* TR. *ne gry quidem*
68 *Ferri hinc potest. an vis aliquo hinc abeat foras?*
69 *Vrbem éxul linquat faénoris caussá tui?*
* * * * * *
70 *Quin sórtem pollicébitur.* DA. *Quin nón peto:*
71 *Reddúndumst faenus, faénus reddundúmst mihi.*
72 TR. *Moléstus ne sis: némo dat, age quid lubet.*
62 DA. *Moléstus si sum, réddite argentum: ábiero.*
63 *Respónsiones ómnis hoc verbum éripit.*
64 TR. *Sortem áccipe.* DA. *immo faénus, id primúm volo.*
74 *Cedo faénus: redde faénus: faénus réddite.*
76 *Daté mihi faenus.* TR. *faénus illic, faénus hic:*
77 *Nescit quidem nisi faénus fabulárier.*
73 *Tu sólus, credo, faénore argentúm datas,*
78 *Veterátor. neque ego taétriorem béluam*
79 *Vidisse me unquam quénquam quam te cénseo.*
80 DA. *Non édepol nunc tu me istis verbis térritas.*
75 *Datúrine estis faénus actutúm mihi?*
82 TR. *Quod illud est faenus, óbsecro, quod illic petit?*

Duas solas dubitationes superesse lacunae notis significavi post v. 60 et 69 positis. Quodsi enim excandescendi v. 65 caussam Tranioni recte dixi hanc fuisse, quod alta voce Philolachetis nomen danista clamasset: neque alia in his sermonibus ulla suppetit: consentaneum est illi ipsi inclamationi Tranionis con-

ASHMOLEAN OXFORD MUSEUM
Digitized by Google

vicia continuari. Atqui Tranio ab initio clamantem irridet tantum v. 60: danistae autem responsum *meum peto* et brevius est nec satis forte, quam quo ita ille exacerbetur, ut iam de placando faeneratore prorsus sibi desperandum intelligat. Ergo altero versiculo quodam addito velut in hunc modum perrexisse danistam arbitror:

meum peto,
Pergamque clamare usque dum hinc accepero.

Deinde autem fieri nequit ut, postquam Tranio *nihil hinc ferre poteris* dixit, paucaque haec adiecit: *an eo progrediere, ut illum exulare cogas,* continuo ac sine ulla caussa in contrariam partem flexo animo, quod modo negavit, ultro offerat, sortem pro faenore sperari iubens v. 70: *quin sortem pollicebitur.* Contra nihil puto desiderabis, si Tranionis interrogationi: *urbem exul linquat faenoris caussa tui?* tale quiddam danista atrociter, ut in eius indolem convenit, reposuerit:

Pol, modo mi argentum reddat, abeat quo velit.

Nunc autem, ubi frustra de Philolachis abitu mentionem se iniecisse Tranio intellexit, ad lenitatem recte redit, aliquid certe flagitanti praestitum iri simulans, sortis solutionem. Id cum ille recusasset et faenus petisset: simulatque v. 62 *reddite argentum* dixit, eius vocis ambiguitate utens Tranio ilico *sortem* ait *accipe* h. e. argentum quidem nihil est cur non accipias, nam sortis redditione iam antea significavi posse tibi satisfieri. Ita quidem iterata aliquo intervallo sortis mentio non modo nihil molestiae, sed multum gratiae et concinnitatis habet.

Atque de his quidem duabus dubitationibus, quas duorum versuum adiectione removisse videmur, quocunque modo iudicabis, tantum persuasum habere poteris (sciens enim affirmo), sola transpositione eorum ver-

Digitized by Google

suum, e quibus haec scena nunc constat, illarum neutram offensionum sublatum iri. — Reliquum est autem, ut singula quae posuimus verba paucis tutemur. V. 41 *Misargyrides* danistae nomen lepidissimum e librorum vestigiis *mi sarcirites* et *misartirites* praeclaro invento eruit Gulielmus Verisim. I, 1. — V. 42 *argentost* praebuit Vetus: *argentos* est in Decurtato, *argento* cum hiatu vulgo. — V. 44 *homo inanis est.* TR. *hic homo est certo* libri. Quod posuimus, et sermonis et numerorum concinnitas postulabat. — V. 47 syllabae quae sunt —*ire quam*, quorum loco lacunae spatium in Palatinis, Italorum coniecturae interpolatorum debentur, qui praeterea *nunc* adiecerunt. Indidem proximo versu haec fluxerunt: DA. *quin mihi argentum red*—: nam *ditur* in Palatinis servatum. Recte illa inventa, nisi quod *faenus* praestat ut v. 53. — V. 49 post *ne* rursum lacuna est in Pall.: *clama* Itali addiderunt, *nimis* Camerarius, quorum neutrum dubium. — V. 53 *iam abi* posui pro *nunc abi*, quod libri tenent. — V. 54 *ac conteram* Bothius, fortasse vere: quanquam de hoc caute iudicandum. Mirum est in Ambrosiano, in cuius hac pagina hinc paucae litterulae quaedam legi posse incipiunt, visum esse *contero* exstare. — V. 56 *verum hercle dico* ad Tranionis verba v. 52. 53 (*reddetur*) spectant nec ullo modo sollicitanda sunt. Eodem versu *abi* geminavi. — V. 57 *hic* vulgo omissum ex libris omnibus accessit: *aetutum* autem pro *faenus* e coniectura positum, cuius caussas supra explicavimus. — V. 58 *hinc* inserui, ut v. 51. — V. 59 *illum* cognosci in Ambr. potuit, quod casu factum ut etiam in interpolatis codd. legatur. *illunc* Dec. et Vet., sed hic *n* e corr. Mox *euge* geminandum fuit. — Vv. 65. 66 restitui partim de coniectura partim codicum fide inter se collatorum. In Ambrosiano haec legi potuerunt:

Digitized by Google

QUIDA . S . . UOMNIUM . OMI . UMTAETERR h. e.: *Quid ais tu* (an *tun?*) *omnium hominum taeterrume.* In Pall. et ed. pr. est *Quid tu hominum omnium t.* (nisi quod Dec. *hominem*, ed. pr. *deterr.*): in Lips. *Quid tu omnium hominum d.* Vides igitur *homo* vulgo praemissum codicum fide destitui: alioqui non incommode scribas: *Quid ais? tun, homo hominum omnium t.* Proximo versu *te* accessit e Pall., pro quo *tu* Lips. *Se extentare* videtur tantundem esse ac *se inflare, sich breit machen.* Cf. tamen Bacch. IV, 2, 2: *alieno vires tuas extentes ostio.* — Vv. 67 sqq. in Ambrosiano prorsus evanidos iam attigimus cap. II, §. 3. Nimis inepta sunt quae e codicibus profecta vulgantur, quam quibus singillatim exagitandis operam perdam. Nec has quidem lacunas supplendi opera Italis successit, qui vacuorum spatiorum intervallis neglectis v. 68 *quod* pro *quo* posuerunt, nihil egerunt v. 69, v. 70 *Quoi* in *Quin* mutato *potius dare* inseruerunt. — V. 63 duarum lectionum optio data est: *hoc verbo eripis* et *hoc verbum eripit.* Illud cum Ambrosiani auctoritate defendi videatur, ut in quo appareant ER . . . S litterae, alterum tamen ratio, si quid video, evincit verum esse, ducimurque eo Palatinorum vestigiis, quorum in Dec. est *hoc verbo eripit*, quod mirere Bothio placuisse, in Vet. *hoc verbo eripite*, sed ut extremum e sit e correctura. — Versus 73, eo quo nunc est loco nec Pistori nec Bothio tolerabilis visus, potuerat quidem etiam ante v. 77 salva sententia collocari: postponere iccirco malui, ut non mediocrem constructionis duritiem lenirem, qua a tertia ad alteram personam *neque* particulae vinculo transiretur: *nescit —, neque te taetriorem vidi.* Quanto enim concinnius haec inter se coeunt: *tu solus — datas, neque te taetriorem vidi?* — V. 78 *veterator neque* e corruptissimis vestigiis Camerarius

Digitized by Google

extricavit: *uetro te neque* Dec., *Vetro tene que* Vet., *uetero* idem in margine, *uerro te neque* Lips., *uento te neque* ed. princ. Mirum est autem quod in Ambr. apparet huius versus initium: UNO . . NEQUE, quas litteras frustra quaesivi qui expedirem. — V. 80 *me tu istis* vulgatur e Decurtato quique ex eo codices pendent: *me istis tu* ed. pr., *me tu tuis* Vet., *me istis* Ambr. Qui et *me* et *tu* servare voluerit, nobiscum transponat *tu me* oportebit, quem ordinem certa loquendi consuetudo efflagitat. Quanquam pro *tu me istis* poteris etiam *med istis* secundum Ambr., vel *tu tuis me* sec. Vet. Post hunc qui vulgo sequitur versus 81: *Calidum hoc est, etsi procul abest, urit male*, de eo p. 490 dictum est. — V. 82 *illud* pro *illuc* revocavimus e Vet. Dec. Ed. princ. — Mox *obsecro quod illic petit* solus Vetus servavit, quocum nunc Ambr. facit: reliqui turpissima perturbatione *et sortem dabit* e v. 84 huc quoque inferciunt. — Ceterum potiora tantum attuli et quorum promptus ad emendandum usus, reliquam scripturae discrepantiam cum eis quorum id interest olim communicaturus.

EPIMETRVM.

Ad p. 445. 461.

De corruptissimis scenis III, 2 et IV, 2, quarum emendatio prope Herculei laboris est, quantivis pretii meletemata sua longe ingeniosissima nobiscum Godofredus Hermannus benevolentissime communicavit.

Digitized by Google

Quae ut communi litterarum commodo hoc loco seorsum proponerentur nullaque earum dubitationum significatione facta, quas de quibusdam locis nobis subnatas esse non diffitemur, deberi et ipsorum praestantiae tantique viri auctoritati et nostrae modestiae visum est. Hoc unum silentio non praetermittendum, versuum III, 2, 34 sqq. in Vetere codice (cuius lacunae in ceteris non suppletae) hanc esse speciem:

SI. Dic . . . . . quid id est
. . . . . TR. loquar
SI. Sic decet . . . . . morem geras
simul
Vita quam sit brevis cogita . . . Quid
Ehem vix tandem percepi super his rebus nostris te loqui—

hanc autem speciem eorum versuum, qui paullo infra sequuntur 53 sqq.:

qd *ar*
Velim ut u . . uelles trannios est negocii TR. eloquere
Erus uenit peregre uenit SI. Tune . . . . . Cor tenditur
Inde ferriterium postea . . . . . eaua obsecro
Ne indicium ero facias meo SI. e me ne quid metuas nihil sciat.

V. 53 *ut tu uelles* correctum est m. sec., item *tranio.ſ* pro *tranioſ.* — En tibi igitur ipsa verba Hermanni.

„In der Stelle IV. 2, 2. ff. glaube ich nicht, dass kretische Verse zu suchen seien. Diese Versart liegt meistens so rein da, dass man für die eine wie für die andere Art kretischer Verse hier doch zu zahlreiche und zu grosse Licenzen annehmen müsste. Vielmehr bin ich völlig überzeugt, dass diese Verse *iambici septenarii* sind, die aber freilich mancher Veränderung bedürfen. Ein Versuch der Berichtigung, den ich folgen lasse, wird sich, wenn ich im Ganzen recht gesehen hätte, leicht aufs Reine bringen lassen.

SE. mane tu atque assiste hic ilico, Phaniſce, et
respice etiam.

Digitized by Google

PH. molestus ne siés mihi. SE. vidé simia ut fastídit.
PH. mihi súm: libet mihi, simia si sum, ésse: quid tu id cúras?
SE. mantésne tu, impure ílico parasite? PH. quì parasítus
sum? SE. tibi ego enim dicám, cibo perdúci poteris quóvis.
ferócem te facis, quia te erus tuus tam amat. PH. vah,
oculi dolent. SE. cur? PH. quia mihi fumus molestus. SE. tace sis,
fabér nugarum plúmbeos qui cúdere soles númmos.
PH. non pól potes tu cógere me, ego út tibi maledícam.
novit me erus. SE. suám quidem pol cúlcitellam opórtet.
PH. si sóbrius siés quidem, pol tú mihi male non dícas.
SE. quaeso hércle, Phanisce, ábstine sermónem de istis rébus.
PH. tibi obtémperem, cum tú mihi nequeás? SE. at mecum i advórsus.
PH. faciam ét iam pultabó fores. heus écquis, ecquis hic est,
qui máxumam his iniúriam foribús defendat? écquis?
nemo hinc quidem huc exít foras: ut esse áddecet nequam hómines,
ita sunt: sed eo magis cauto opust, ne qui illinc male me múlcet.

Die Verse 11. 12 habe ich so umgestellt, weil sonst die Reden nicht auf einander passen. Doch könnte wohl auch der Fehler tiefer liegen.

Digitized by Google

Eine grosse Bedenklichkeit habe ich bei dem Verse *eia mastigia*. Dass er weder da, wo ihn die Handschriften haben, noch da, wo ihn Camerarius hingesetzt hat, stehen kann, muss Ihnen jedermann zugeben. Aber so scharfsinnig auch der von Ihnen eingeschlagene Weg ist, so kann ich mich doch nicht überzeugen, dass er an dem Orte gestanden habe, den Sie ihm anweisen. Tranio will dem Simo das Mährchen aufheften, das er ihm hernach erzählt. Dazu war nichts weiter nöthig als zu sagen, dass sein Herr zurückgekehrt sei. Dass er sich stellen sollte, als erschräke er plötzlich, indem er in der Ferne den Herrn erblickte, ist mir eben deshalb, weil es kein Moment für seinen Zweck abgiebt, nicht glaublich *). Auch ist die Anrede mit *mastigia* im Munde des Simo zu hart, der überdiess auch keinen Grund hat durch das *ad me redi* die Aufmerksamkeit des Tranio in Anspruch zu nehmen, da diesem vielmehr daran liegen muss, dass Simo ihn anhöre. Ich bin daher auf einen andern Gedanken gekommen, indem der Vers von keinem andern als von dem Theuropides scheint gesprochen werden zu können. Da kann er nun, wie ich glaube, sehr passend ganz nahe bei der Stelle, wo ihn die Handschriften haben, angebracht werden. Ich will auch dieses Stück so, wie ich die Metra wahrzunehmen glaube, hersetzen, wenn auch ein ohne kritische Hülfsmittel gemachter Versuch der Berichtigung bedürfen wird.

SI. sálvos sis, Tránio. TR. út vales? SI. nón male.

*) De mea quidem sententia non simulat illud Tranio, sed revera appropinquantem eum conspicit inclamantemque audit, eaque re perterrefactus est. Nec a Simone *mastigiam* appellari Tranionem volui, sed ab ipso Theuropide haec verba pronuntiari.

Digitized by Google

quid agis? TR. hominem optumum teneo. SI. amicè facis,
cùm me laudàs. TR. decet certe. SI. at hercle autem ego
haùt bonum teneo seruòm. TR. quid ita, mi Simo?
SI. quid nunc? quam mòx, TR. quid est? SI. quòd solet fieri.
TR. dic igitur. SI. audias improvisò. TR. quid est?
„eìa, mastigia, ad mè redi: iam istì ero.
quid facitis vòs?" sed, ut vèrum iam, Tranio,
loquàr, sic decèt te: ut hominès sunt, ita màrem
gerès. vita quàm sit brevès, cogìta. TR. hèm te
vix tàndem percèpi super his rebus nòstris
loqui. SI. musice hèrcle agitis aètatem, ita ùt vos
decèt, vìno et victu,
piscàtu probo, èlectili vitam cólitis.
TR. immò vita nòbis antehàc vita erat: nunc
nobis omnia istaec simitu excidèrunt.
SI. quìdum? TR. ita hic òppida accìdimus omnès, Simo.
SI. nòn taces? pròspere vòbis cuncta ùsque adhuc
prócesserùnt. TR. ita ut dicis facta haùt nego.
nós probe ut vòluimus vìximus: sèd, Simo,
mihi ita nunc vèntus navèm deseruit. SI. quid est?
quò modo? TR. pèssumo. SI. quaène subdùcta erat
tùto in terra? TR. heì. SI. quid est? TR. mè miserum, ego òccidi.

Digitized by Google

SI. quí? TR. quia venit návis, nostrae návi quae frangát ratem.

SI. velim út tu velles, Tránio: sed quíd est negoti, elóquere.

TR. herus péregre venit. SI. túnc tibi chorda: índe in ferritérium:

post ín crucem rectá vìa . . . . . .

TR. nunc égo te per genua óbsecro, ne indícium hero meo fácias.

SI. e mé, ne quid metuás, nihil sciét. TR. patrone, sálve.

SI. profécto nil morór mihi istiúsmodi cliéntes.“

Digitized by Google

DISSERTATIO IX.

DE INTERPOLATIONE

TRINVMMI PLAVTINAE.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE INTERPOLATIONE TRINVMMI PLAVTINAE. *)

Caput I.

Plenissimum interpretamentis atque interpolationibus Plautum iam Godofredus Hermannus dixerat praefat. Trin. p. XI. E quo tempore etsi in illis indagandis cum editores, sicubi vel casus vel occasio ferret, elaborarunt, tum singularem operam Osannus Analecton cap. VIII. IX. X consumpsit: tamen quantum sit, quod in hoc genere sit reliquum factum, speramus fore ut non sine aliqua miratione intelligatur. Quam ad rem duplici videtur disputatione opus esse: quarum altera **) rationis diversitate discretae certisque classibus dispositae interpolationes e Plautinis fabulis cunctis proponendae, altera autem hac unius alicuius fabulae integrae euncta exempla secundum versuum ordinem uno in loco componenda sunt. Eam fabulam voluimus Trinummum esse, ut quae Hermanni virtute a pristina integritate propius quam reliquae

*) Edita a. MDCCCXXXIIII.

**) Eam voluimus XIV esse.

Digitized by Google

omnes absit. Quoniam autem hunc, qui est de interpolatione, locum universum pertractare et tanquam exhaurire prope tantundem futurum sit atque totum Plautum emendare, primum quidem id genus interpolationis prorsus nunc praetermittimus, quod ampliorum accessione additamentorum continetur: quales habemus Poenuli scenam extremam, quacum ut simillimum composuimus Andriae Terentianae exitum in paucis codicibus servatum. Non magis autem in singulis vocibus haerebimus brevibusque versuum particulis saepissime extrinsecus intrusis: qualibus vix ullus est veterum scriptorum liber quin mala grammaticorum librariorumve vel sedulitate vel incogitantia manifesto depravatus sit. Quanquam hoc ipsum genus minime nos fugit quantam vim habeat, quo eis, qui in codicum fide salutem omnem veterum scriptorum repositam putant, etiam graviorum ampliorumque interpolationum probabilitas persuadeatur. Quid enim? isti quidem si breviorum glossematum insignem esse multitudinem non profecto alia nisi codicum suorum fide compererint, quo tandem argumento negabunt eiusmodi glossemata complura in uno aliquo loco coalescere in aliquanto amplius additamentum potuisse? Et tamen qui satis esse liberales in illo genere solent, eosdem in altero saepenumero reperias ad concedendum supra quam credas ignavos. Horum igitur potissimum caussa ad eas tantum interpolationes hanc pertinere disputationem voluimus, quae in integris versibus Plauto suppositis cernuntur. Quodsi ne in hoc quidem genere eo munimento destituti videbimur, quod solum esse firmum multumque superare rationis necessitatem et liberi vim iudicii male creduli illi dictitant: id cum ceterorum codicum tractationi paullo diligentiori tum Ambrosiani libri beneficio debetur. Cuius cum par sit prae-

Digitized by Google

stantiae auctoritas, nescio an futurum sit ut tanto praesidio tuti non immerito impugnare etiam eos versus existimemur, qui cum suapte natura certam interpolationis suspicionem moveant, externas tamen novitiae originis notas nullas habeant.

I.

Trinummi I, 2, 32 sqq. haec habes Megaronidis verba:

quid igitur rogitas, tene obiurgitem?
Nisi tute mihi me censes dicturum male.
Nam si in te aegrotant artes antiquae tuae,
Sive immutare vis ingenium moribus,
Aut si demutant mores ingenium tuum,
Neque eos antiquos servas, aut captas novos,
Omnibus amicis morbum tu incuties gravem,
Vt te videre audireque aegroti sient.

Haerebat in his iam Acidalius et optimo quidem iure haerebat, transpositoque v. 35 post 36 et *aut* mutato in *et* putabat et *sententiam vagam necti et ταὐτολογίαν simul castigari*, sic quidem: *Nam si in te aegrotant —, Ac si demutant —, Sive immutare —, Neque eos antiquos —. Bimembris enim* ait *oratio nunc et sensus sic disparatus: sive seculi huius contagio malus evadis, sive sponte a bonis desciscis. Cuius membrum prius priores duo versus, alterum duo posteriores complectuntur.* Sed ne hoc quidem artificio ullo modo nobis satisfit. Inficetissime iteratur *mutare* verbum; languida est locutio *immutare vis*; non exspectatur *sive*, sed *aut* particula de Plautino quidem usu. Deinde quid ista sibi locutio velit, *immutare ingenium moribus*, haud facile expedias; dicendum erat simpliciter aut *immutare mores* aut *immutare in-*

Digitized by Google

genium, ad hoc autem nomen accommodanda proximi versus constructio sic: *neque id antiquum servas*. Denique quattuor illorum versuum primus quid tandem pertinet ad vim perniciosam corrupti saeculi? Nam sic potius, ut contrariorum oppositio qualis esset plane perspiceretur, instituenda oratio erat: *nam si demutant mores ingenium tuum, ut in te aegrotent artes antiquae tuae*. Praeterea nec transpositum quicquam in veteribus libris, et scriptum in omnibus *sin immutare* pro *sive immutare*. Illud *sin* apparet ab imperito interprete *aut si* particulis ascriptum esse, totumque versum nihil esse nisi ineptam explicationem proximi versus. Atque hoc ita esse, si qui rationi nolet, credet certe Ambrosiani testimonio, in quo eiectis glossematis continuantur v. 34. 36: *Nam si in te aegrotant artes antiquae tuae, Aut si demutant mores ingenium tuum*. Et sic quidem eandem nacti sumus bipartitae sententiae conformationem, quam commendabat Acidalius, ita tamen inverso ordine, ut a spontaneo morbo ad vim contagionis transeatur.

Quid autem illud esse dicamus, quod parum profecto concinne uno versu prius sententiae membrum, duobus continetur alterum? Et ut mittamus post *antiquas artes* moleste repetitam *antiquorum morum* notionem, qui tandem illa *ast captas novos* rectius in posterioris conveniunt quam in prioris versus argumentum? Accedit quod, qui v. 36 *mores* dicuntur h. e. communis labes et publica corruptela (prorsus ut IV, 4, 30. 37, alibi), ii caussa morbi cogitantur. Quodsi *eos* proximo versu non antiquos servari Megaronides ait, apparet minime iam eadem significatione *mores* accipi, sed communi potius notione, qua ingenii vel indolis potestatem aequant. Vt sic saltem dicendum poetae fuerit: *Nam si in te aegrotant artes antiquae*

Digitized by Google

tuae, Neque eas ut antehac servas, sed captas novas, Aut si e. q. s. vel simili ratione aliqua. Vides quam omnia disconveniant, quam autem concinne profluant resectis pannis additiciis:

quid tu igitur rógitas, tene obiúrgitem?
Nisi tú me mihimet céuses dicturúm male.
Nam si in te aegrotant ártes antiquaé tuae,
Aut si demutant móres ingeniúm tuum,
Omnibus amicis mórbum tu incutiés gravem,
Vt té videre audireque aegroti sient.

Quorum primo versu *tu* recepimus ex Ambrosiano: altero autem *tu me mihimet* scripsimus pro *tute mihi me*, quia, si e tribus illis pronominibus, *tu*, *me* et *mihi*, unum efferendum est gravius, ipsa oppositionis ratio illud quod suasimus flagitat. Neque enim Callicles cogitatur alii cuiquam oppositus, qui idem censeat, sed opposita sunt sibi male dicere et aliis male dicere. Saepe illae pronominum formae, quae in *met* exeunt, apud Plautum vel oblitteratae sunt, vel in caussa erroris fuerunt. Sic *egomet* forma restituenda Trinummi II, 1, 3:

Egomét me coquo ét macero ét defetigo.

Vbi Hermanno fraudi fuit vulgata scriptura *egomet me concoquo*, ut in suam editionem reciperet *ego me et concoquo*: illa autem etsi in editione principe et Lipsiensi codice est, tamen mero errore prodiit ex *egomet me coquoquo*, id quod in Decurtato Vrsinianoque legitur; *egomet me coquo* soli servarunt Vetus et Ambrosianus. Contra I, 2, 147 reponendum ex Ambrosiano:

Ego mé fecisse cónfiteor, Megarónides

pro vulgato *egomet fecisse;* sed simul haec cum superioribus nectenda sic correctis: *Haec, sive recte seu*

Digitized by Google

pervorse facta sunt, Ego me e. q. s. Mitto alia eiusdem generis longe plurima.

Ceterum noli rariorem *ast* formam mirari ab interpolatore intrusam. Nam in Bacchidum quoque suppositicio versu III, 4, 22 minime vulgaris *sed autem* particularum coniunctio solis debetur grammaticis.*) Cuius quemadmodum duo tantum praeterea exempla in promptu sunt, Rud. II, 5, 15 et Trucul. II, 3, 14, ita etiam *ast* forma, non infrequens ea cum in vetustissima latinitate tum apud posteriores poetas, prorsus autem aliena a Terentio, bis tantum in Plautinis libris hodie exstat, Capt. III, 5, 25 et Merc. II, 1, 22, praetereaque probabiliter in *at* particulae locum metri caussa a Bothio substituta est Merc. V, 3, 4 et Pers. II, 2, 66. Verum enim vero haud scio an ulterius progrediendum ac ne propter grammaticam quidem rationem tralaticio illi in Trinummi versu *ast* fides habenda sit. Etenim in bipertito enuntiato, cuius prius membrum negativum sit, posterius autem non diversum a priore subiectum habeat, non memini alterum membrum ab *at* particula nisi ita ordiri, ut vis quaedam ethica accedat e loquentis animo profecta: velut cum nos *aber wohl, aber allerdings* dicimus. Haec enim vera ratio est eorum quae in Handii Tursell. I, p. 426 congesta habes, ut Tulliani illius: *non cognoscebantur foris, at domi, non alienis, at a suis.* Quodsi simpliciter tantum eius rei; quae modo negabatur, contrarium affirmatur, nec vis omnis sententiae in hac ipsa affirmatione consistit, non est *at* particulae locus, sed usurpandum *sed.* Licet Tullianorum vim verborum hac conformatione sententiae assequi: etsi non foris cognoscebantur, tamen cognoscebantur domi, vel planius

*) De quo supra dictum est p. 423.

Digitized by Google

etiam *sic*: quo minus foris, eo magis cognoscebantur domi: qualis conversio constructionis in Trinummi versum accommodari nequit. Nulla enim gravior vis oppositionis eo sentitur, quod adiicitur *captas novos*, quo idem, quod dictum erat antea, describitur tantum ab altera parte et quodammodo suppletur. E quo intelligitur dicendum fuisse: *neque eos antiquos servas, sed captas novos*, ipsaque illa *ast* particula interpolatoris manum prodi.

II.

Trinummi I, 2, 52 sqq. haec vulgantur:

MEG. *Habén tu amicum aut familiarem quémpiam,*
Cui péctus sapiat? CAL. *édepol haud dicám dolo.*
Sunt quós scio esse amicos, sunt quos súspicor,
Sunt quorum ingenia atque animos non possum nescere,
Ad amici partem an ad inimici perveniant.
Sed tu éx amicis cértis mi es certissumus.

V. 56 Hermannus correxit *pervenant*, ad quod proxime sane accedit Veteris cod. scriptura *pervenat*. Sed quid tandem omnis ista sibi locutio vult: *ad amici an ad inimici partem perveniant?* cuius quot verba, tot propemodum sunt incommoda. Nam primum mire atque insolite dictum est *ad aliquam partem pervenire*. Ac *perveniant* verbum dubitationem iam Acidalio movit, qui *pertineant* potius expetebat: aptissime id quidem ad sententiam, ad numeros importunissime. Ferendum prius illud censerem, si hoc ageretur, ut prorsus pervasisse et penetrasse usque ad certissimorum sive amicorum sive inimicorum partem quispiam dice-

Digitized by Google

retur figurato vocabulo. Atqui hoc non quadrat profecto in eorum genus, quos tertio loco Callicles commemorat. Nam cum tria videatur genera haec significare, eorum quos sciat amicos esse, eorum quos suspicetur tantum h. e. quos magis credat quam non credat, eorum denique de quibus sibi prorsus non constet: nimium est nec rationi conveniens, non pervenire ad verorum dignitatem amicorum eos dici, qui ad eum tanquam gradum voluntatis ne aspirarunt quidem: nam qui quidem aspirarunt, ii ad ipsum genus medium pertinent. Vt hoc potius dicendum fuerit: *sunt, quos scio esse amicos; sunt quos dubito num ad amicorum partem pervenire dicam; sunt, quos in amicorum an inimicorum numerum venire credam, prorsus nescio.* — Atque haec ita disputavimus, ut a tralaticia versus 55 (*Sunt quorum ingenia* e. q. s.) et scriptura et interpretatione proficiscoremur. In cuius locum tametsi satis sane diversam rationem substituendam esse diligentior disquisitio sententiae docebit, nihilo tamen magis illum, a quo exorsi sumus, versum tutari licebit. Omnino enim falsissimum est, quod supra largiebamur tantum, tripertitam esse Calliclis orationem: veroque iudicio *) Camerarium, qui tertium illud *sunt* versui 55 praemissum deleverat, secutus Beckerus de com. Rom. fab. p. 7 duo tantum genera contendit recte cogitari, alterum eorum quos Callicles sciat, alterum, quos suspicetur amicos esse: hos enim eos ipsos esse, quorum ille ingenia atque animos non satis noverit. Quos si nosset, non suspicaretur, sed sciret. — At vero, inquit, etsi quos suspicatur tantum, profecto non pernovit, hincine altera ex parte hoc consequitur, ut quos homi-

*) Cuius miror veritatem non perspectam esse ab C. F. Hermanno Ephem. litt. Hal. a. 1838 m. Ian. p. 130.

Digitized by Google

nes non possit noscere, propterea illico suspicetur amicos esse? — Quid autem? de hominumne generibus sermo est, quorum sane non triplex tantum, si voluntatem spectas, sed quintuplex adeo fieri partitio potest, an de amicorum potius et familiarium, de quibus solis Megaronides quaesierat? Atqui in horum quidem non magis quam in inimicorum numero haberi ullo modo ii possunt, qui ad utram partem pertineant planissimis verbis ignorari dicatur, nec suspicando magis quam sciendo possunt. Ergo igitur duo simul hac argumentatione efficiuntur: ut et *sunt* voculam a v. 55 seiungendam esse, et ineptam esse versus 56 sententiam appareat. Pro qua talis potius, si modo aliquid, exspectatur: *sunt quos suspicor, quorum tamen ingenia atque animos non possum noscere, certine an non satis certi amici sint.* Non sunt enim continuo inimici, qui non satis certi amici. Nec ullo modo *per* praepositionis iam lenita est importunitas, multo etiam magis sanam rationem pervertentis. Cui ita tantum aliquis locus esse possit, ut ad unam amicitiam, similiter ac supra significabamus, velut sic referatur: *ad amicorum partem perveniant an ad inimicorum aliquo modo inclinent.* Quibus omnibus accedit, qui non potest non gravissimae offensioni esse, inauditus ille usus singularis numeri: *ad amici — inimici partem,* pro quo *amicorum* et *inimicorum* requirimus ut quod maxime. Nec verendum videtur, ne *amicam* et *inimicam,* in quod incidere cuiuspiam coniectura possit, vel ab externa similitudine veri placeat vel a loquendi genere satisfaciat, quod a vitae usu communique consuetudine abhorret. Quae cum ita sint: quoniam quae in libris scripta sunt, sanam sententiam non habent, quae autem necessaria est sententia, e librorum scriptura effici nullis machinis potest: nihil iam restat, nisi ut olim explicationis caussa

Digitized by Google

tale quiddam ascriptum esse: *utrum ad amicorum an ad inimicorum partem perveniant*: id autem male seduli inepta mutatione in versiculi speciem redactum putetur.

Quid autem iam coniuncto cum insiticio hoc additamento versu fiat? cui nec servata nec deleta *sunt* vocula metrum constat. Beckero enim cave credas Plauto dignos tam inconditos accentus esse: *quorum ingenia atque animós non possum nóscere*. Qui cum facili negotio emendari aut sic possint:

Quorúm non possum ingénia atque animos nóscere;

aut sic:

Quorum ánimos atque ingénia haud possum nóscere:

(nam hoc ipso ordine eadem nomina collocata habes Bacch. III, 3, 90: *Mnesiloche, hoc tecum oro, ut illius animum atque ingenium regas*:) tamen longe aliam in viam videmur Ambrosiani codicis memoria duci, in quo est ATQ·ANIMOSQ·ONOSCERE. Apparet, una syllaba forte praetermissa, voluisse librarium *animos nequeo noscere*. Idemque pro *non possum* iam proposuerat divinando Acidalius, amplexus est deinde Bentleius in Ter. Adelph. III, 1, 10. Verum his quidem praesto erat ab initio versus *sunt* syllaba, qua omissa ruit metrum. Nihil dicerem proclivius quam e *sunt* eruere *set* particulam ad sententiam longe aptissimam et alibi quoque cum *sunt* vocula permutatam, nisi quidem inelegantissima ita et molesta eiusdem particulae iteratio oriretur: *sunt quos suspicor, sed quorum ingenia atque animos nequeo noscere; sed tu ex amicis* e. q. s., qualis oratio non videtur in Plautinam concinnitatem cadere. Et tamen aliqua adversandi particula, ut *sed* vel *tamen*, aegre caremus: sine qua languidio-

Digitized by Google

rem evadere sermonem sentimus. Expetimus saltem *quidem* particulam: *sunt quos suspicor, quorum quidem indolem perspectam non habeo.* — Harum igitur rationum meditatione fatendum est facile quempiam nec profecto temere in eam suspicionem adduci, ut hunc quoque versum in proximi societatem asciscendum cum eoque una exturbandum arbitretur, quantumvis per se proba singula sint et qualibet offensione vacua. Quam in partem illud ipsum valere potest, quod insolita sane discrepantia *) in aliis libris *non possum*, in aliis est *nequeo*, quod quidem, ut versui consuleretur, pro illo inferri potuit velut ex Asinariae recordatione, in qua est I, 1, 19: *Quid istuc sit, aut ubi istuc sit, nequeo noscere.* Nam cum in poetae lectione satis bene versatos Plautinarum fabularum interpolatores ipsae eorum interpolationes produnt: tum ne Ambrosianum quidem librum ab interpolandi contagione usquequaque liberum esse certissimis exemplis docetur. Tantum autem extra controversiam positum esse putamus, nihil quicquam desideratum iri hoc quidem sententiarum concise et graviter sese excipientium tenore:

Sunt, quos scio esse amicos; sunt, quos suspicor;
Sed tu ex amicis certis mi es certissumus.

Nolui nimis caute dissimulare, quod sensus meus

---

*) Ergo non satis tuto Trin. IV, 2, 75:

nisi nomen patris
Dices, non monstrare possum istos homines, quos tu quaeritas:

lenissima alioqui medicina hac uti licebit: *Dices, nequeo mónstrare istos hómines* e. q. s. Numeris etsi Hermannus *hos* pro *istos* reposito consuluit, tamen nescio an uno transposito vocabulo recte omnia, et sine ulla asperitate quidem, sic procedant:

Dices, non possum istos monstrare hómines, quos tu quaéritas.

Digitized by Google

suadebat: sed idem modeste nec sine dubitationis significatione de hoc versu iudico, qui coniunctum confidentissime damnavi. Quodsi cui languidius, ut nobis visum, additamentum minus quam nobis suspectum sit, vix habebit, quod praeter hanc versus formam cum aliqua probabilitate amplectatur iam supra propositam: *Quorum non possum ingenia atque animos noscere*: qua quidem ratione non poterit non concedere hoc dubitationis relinqui, quod spreta antiquissimi libri fide eiusdemque optimi in recentiorum deteriorumque testimonio acquiescendum sit.

III.

Trinummi II, 2, 24 (304 H.) sqq. elegantissimos habes Philtonis septenarios:

Qui homo cum animo inde ab ineunte aetate depugnat suo,
'Vtrum itane esse mavelit, ut eum animus aequom censeat,
'An ita potius, ut parentes eum esse et cognati velint:
Si animus hominem pepulit, actumst, animo servit, non sibi;
Sin ipse animum pepulit, vivit, victor victorum cluet.
Nimio satiust, ut opust, ita ted esse, quam ut animo lubet.
Qui animum vincunt, quam quos animus, semper probiores cluent.

Emendationum a nobis susceptarum has rationes accipe. Versu 25 *utrum itane* praebuit Ambrosianus; ceteri libri *utrum id itane*, unde olim effecerant *utrum is itane*; Hermannus deleta *ne* particula *utrum is ita*. Ea particula dici nequit quoties in reliquis libris oblit-

Digitized by Google

terata ab solo Ambrosiano servetur: ut, si diligentius inquiras, mirum quantum imminuatur eorum multitudo exemplorum, quibus creditum est vulgari loquendi consuetudine, qualem comoedia imitatur, saepissime interrogativa enuntiata orationis forma non interrogativa fieri. Vnde plurimorum versuum iudicatio pendet. Vt pauca e multis afferam et in ipsa Trinummo subsistam, in II, 2, 75 ex Ambrosiano *scin quid cantari solet* restituendum pro *scis;* ibidem v. 85 *quin' comedit* indidem recipiendum pro *qui;* II, 4, 114 *Tibi egòn rationem réddam* scribendum pro *ego.* Nec recte III, 2, 16 *itane* in *ita* ab Hermanno mutatum; a poeta profectum est

'Itan' tandem hanc maiòres famam trádiderunt tui tibi.

Nam illa quidem *n'* littera constat positionem non fieri; *hanc* autem accessit ex Ambr. — Prorsus obscurata interrogatio est II, 4, 18, ubi pro vulgato *accepisti* in Ambr. est *accepistine,* pro hoc autem scribendum *accepstin'* cum eodemque codice proximo versu sic verba collocanda:

ST. Minàs quadraginta áccepstin' a Cálliole,
Et ille aédis mancupio ábs te accepit? LE. *ádmodum.*

Certa enim *admodum* particula sedes in responsione; nulla autem offensio molossici post caesuram vocabuli. Alia, de quibus non potest breviter dici, nunc omitto atque illuc redeo. Vbi v. 27 et 28 *pepulit* pro *perpulit, servit* pro *servabit, servibit, servivit,* item *sin* pro *si* unus confirmat Ambrosianus. Sed in eundem iam irrepserat v. 28 expulsum ab Hermanno *dum* glossema ante *vivit**) item v. 29 vulgaris collocatio verbo-

*) Hoc glossema vide quam belle Bothius cum *si* forma iunxerit in suavissimorum numerorum venustatem:

Si ipse animum pepulit, dum vivit, victor victorum eluet.

Digitized by Google

rum *Si tu animum:* quae cum relinquenda nuperis editoribus omnibus visa sit, permirum tamen est eos spreta Hermanni inversione *Tu animum si,* quam summa horum versuum concinnitas commendat, maluisse inelegantius *Tu si animum,* quod profecto ad memoriae fidem non propius quam Hermannianum illud accedit. Solo v. 30 ab Hermanno recedendum ipse censeo; facilius enim e librorum, etiam Ambrosiani, scriptura *Nimio satiust ut opust te ita esse* (eo enim valet etiam Palatinorum *satius tui opust*) illud fit quod reposuimus, quam *Nimio satiust, te ita, ut opus est, esse.* Nec oblitteratis *ted* et *med* formis quicquam frequentius.

Postquam de singulis versibus diximus, universorum summa expendenda est. Ac quod verbosius sat simplicem sententiam Philtonis oratio persequitur, id quidem, ut in sene, per se nihil offensionis habet: modo certa ratione rectoque ordine singula se enuntiata excipiant. Nec id negari potest eatenus fieri, ut quinque versibus prioribus generalis sententia quaedam proponatur, quae ad peculiarem Lysitelis condicionem vv. 29. 30 transferatur: ita enim mirum non est eandem hic contrariorum oppositionem iterari. Verum qui ultimo loco versus legitur, eum quid sibi velle dicamus? Quo primum ab eo, de quo cummaxime agitur, exemplo subito ad ipsum genus reditur; praeterea autem nihil prorsus affertur, quod non iisdem notionibus usus et propemodum verbis quoque iisdem sive in loco universo proponendo sive in exemplo explicando iam antea senex pronuntiarit. Nam illa: *qui animum vincunt quam quos animus* iteratio sunt horum: *tu animum si vicisti potius quam animus te;* multo etiam languidius haec: *semper probiores cluent* iterata ex illis: *vivit, victor victorum cluet.* Et ut concedam po-

Digitized by Google

taisse post exempli commemorationem ad locum communem non inepte rediri: at non potuit hoc nisi elocutionis genere longe gravissimo, quo fortius etiam quam ab initio vis sententiae efferretur. Atqui *cluent* verbum, per se quidem sat grave illud, prius iam aderat; pertenuis est et exilis, prae eo quod erat *victor victorum*, *probiores* comparativus; prorsus inanis inutiliter inferta *semper* vocula. Qualem verborum ieiunitatem cum cogitationum inopia coniunctam quis tribuere Plauto animum inducat? Apage igitur nimiam loquacitatem istam. Quod enim perbene, si numeros spectas, factus est versiculus, eo nihil nisi et vetustas interpolationis et exercitatio interpolatoris quaedam probatur. Nam in tanta verborum similitudine repetitae sententiae vix cogitarim de alia caussa depravationis, quae similibus alius vel fabulae vel poetae sententiis in margine appositis, post autem in genuinorum perpetuitatem forte illapsis continetur. Cuius generis in Plautinis libris certissima quaedam eaque valde memorabilia exempla exstant, de quibus suo loco dicetur.

IV.

Trin. II, 4, 23 sqq.:

ST. Trapezitae mille drachumarum Olympicum,
Quas de ratione debuisti, redditae.
LE. Nempe quas spopondi. ST. immo quas dependi, inquito:
Quas sponsione pronuper tu exactus es
Pro illo adulescente, quem tu esse aibas divitem.

Vt rursum a levioribus incipiam, *esse aibas* pro *aiebas esse* ab Hermanno repositum nunc Ambrosianus firmat. In eodem libro paullo maius spatium concessum est versui 24 medio, quam cui explendo quinde-

Digitized by Google

eim litterae, quae sunt *ratione debuisti*, sufficiant. Ergo inserto pronomine, quod librariorum incuria permultis exemplis excidit, sic illa redintegra: *quas de ratione ei debuisti*. Prologi v. 15 cum vulgaretur *Dedi meam gnatam*, recte idem pronomen suo loco Hermannus restituit, nec Ambrosianus tantum nunc illud tuetur, sed monstrare etiam Vetus Palatinus pridem potuerat, in quo est *dediemeã gnatam*. Eiusdem Trinummi IV, 1, 85 libri exhibent: *iamdudum ébriust*: ‖ *Quidvis probare póterit*. Non hoc autem, sed aliud sententiae ratio poscit, quod sentiens Hermannus *probari* scripsit. Sed ne id quidem satis est: confidenter mecum repone, quo ipsa *probare* forma ducimur, *Quidvis probari ei poterit*. Tollendi hiatus caussa I, 2, 121 Hermannus inserebat *illi*; sed credibilius est post *dotem* excidisse *ei*:

Quae mihi mandatast, hábeo, dotem ei únde dem.

Parum bonos accentus idem II, 2, 86 toleravit:

Múlta est opera opús ficturae, qui se fictorém bonum
Vítae agundae esse éxpetit.

In Ambrosiano codice inter *opera* vocem et *t* litteram vocis *ficturae* notavi novem decemve litterarum spatia esse: e quo colligere licet scriptum extitisse *Múltast opera ei ópus ficturae*.*) Nisi quidem ab ipso poeta etiam elegantius sic haec collocata fuere: *Múlta ei opera est ópus ficturae*. Eiusdem pronominis**) etiam

*) Eidem *opus* voci suum accentum etiam II, 4, 83 redde:

De dóte ut videat, quid facto opus sit. I modo.

Vbi vulgatur *quid opus sit facto*.

**) Trinummi II, 2, 83 cum in Ambrosiano libro *quoi tu* pro *quoius* exstet:

Quoi tu egestatém tolerare vis? loquere audactér patri:

consectarium est eiusdem scenae versibus 63 et 96 *eius* in *ei*

Digitized by Google

aliae formae vel exciderunt vel oblitteratae sunt. Velut II, 2, 12 (290 H.) si omnino amplectenda sit Hermanniana ratio versuum disponendorum, saltem adiecta *ea* vocula numeros fulciendos putes:

Lácrumas haec mihi, quóm ea video, eliciunt,
quia ego ad hóc genus — .

Ab ipso Hermanno insertum *is* nominativum etsi per se non improbamus II, 1, 15 (243 H.):

Celátum indagátor. nam quóm quisquam amát
quam,
Quam is éxtemplo sávi sagittis percússust e. q. s.

tamen reliqua cum per se veremur ut defendi possint, tum ab codicum memoria recedunt longissime. In Palatino enim Vetere est *nam quā ad quod damat quam extemplo*, in Decurtato *namq' ad quod clamat quam extemplo*, in Ambrosiano autem *nam qui amat quod amat quam extemplo*. Tentari igitur servato *is* illo possit: *nam qui amat, quom amicae* ‖ *Is éxtemplo* e. q. s. Sed propius etiam ad librorum vestigia accedere posse videmur, si non *is*, sed *eius* excidisse statuerimus, sic quidem:

nam qui amat, quam amát, quom
Eius éxtemplo sávi sagittis percússust.

Vel fortasse etiam sic: *nam qui amat, quom, quám amat,* ‖ *Eius* e. q. s. Ceterum certiore iudicio idem pronomen reiicimus aliis exemplis perperam, ut arbitramur, intrusum. Ac II, 1, 21 (252 H.) omisso *ei* in librorum fide acquiescendum esse ipse Hermannus postea intellexit Elem. doctr. metr. p. 212. Item *id* delendum II, 4, 194:

---

mutato eandem constructionem restitui:

Quid sine omni malitiast, tolerare egestatem ei volo.
An eo egestatem ei tolerabis, si quid ab illo accéperis.

Digitized by Google

Sed si [*id*] *dlienatur, dctumst de collo meo*:

et IV, 2, 115:

Mihi [*id*] *concrederétne, ni me ille ét ego illum nossem ápprobe?*

quo versu multo minus videmur *ne* particula a nobis addita, quam post *ni* adiecta ab Hermanno *et* vocula carere posse; quanquam ab accentuum congruentia haud scio an etiam praestet haec versus forma:

Mihin' concrederét, ni mé ille et égo illum novissem ápprobe.

Additicium *is* habes fortasse etiam II, 3, 7:

Suaé senectuti [*is*] *ácriorem hiemém parat*:

et prologi v. 9 ab Hermanno quidem sic scripto:

Tum mi hánc is esse gnátam voluit 'Inopiam,

a Plauto tamen, nisi fallimur, ita potius:

Tum illánc mihi esse gnátam voluit 'Inopiam.

Sed satis de his dictum: ad quae invitante occasione nos abripi passi sumus intemperantius. Quod enim hic agitur, hoc est, ut de v. 26 statuatur. Eum sic scriptum libri ad unum omnes exhibent:

Qua sponsione pronuper tu exactus es.

Inauditum sanaeque rationis plane expers vocabulum *pronuper* ut tolleret Acidalius proponebat, *qua* simul in *quas* mutato: *Quas sponsione pro nuper tu exactus es*, idque Bothius recepit numerorum emendandorum caussa sic verbis transpositis: *Quas spónsione pró ta exactus núper es*: prava uterque nec ullo pacto tolerabili collocatione praepositionis. Ergo hac audacter expulsa ab hiatu sic cavit Hermannus: *Quas spónsione núper tu illa exáctus es.* Et illud quidem, *quas nuper exactus es*, quid sibi velit et qua ratione dicatur, perspicio: sed idem adiectum *sponsione* ablativum scire pervelim quomodo quis interpretetur, quem vix puto ab ipso nunc Hermanno defendi. Nec rectius gram-

Digitized by Google

maticae scilicet constructioni consuluere, qui olim vel *quam sponsionem* vel *quas sponsiones* suaserunt. His autem omnibus iam illud adde, quod in Ambrosiano codice ea quae disceptamus verba non post versum 25, sed ante eum posita sunt: quales locorum commutationes constat saepe indicio esse interpolationum. — Eo igitur res esse adducta videtur, vix ut a quoquam putem vel tantillum dubitari, quin totus versiculus e tali fere versus 25 explicatione natus sit: *quas pro sponsione* (vel fortasse *pro qua sponsione* potius) *nuper exactus es:* quibus concedendum est non male illa explanari brevius a poeta significata: *Nempe quas spopondi:* — *Immo quas dependi inquito.* Ex illis autem verbis explicandi caussa ascriptis cum versum, quisquis fuit, efficere studeret, factum est ut *pro* praepositione ante *nuper* traiecta barbara prodiret ac monstruosa *pronuper* forma.

V.

Trinummi III, 2, postquam Lysiteles versus 60. 61 (*Tanto meliust* ad *toleres moenia*) pronuntiavit, sequitur Lesbonici oratio, a v. 62 (*Nolo ego mihi te tam prospicere . . .*) incipiens, in haec autem verba desinens:

66 *Quis me improbior pérhibeatur ésse? haec famigerátio*
Té honestet, me autém collutulet, sí sine dote
, dúxeris;
Tíbi sit emolumentum honoris, mihi, quod obiectént, siet.

Respondet Lysiteles v. 69: *Quid? te dictatorem censes fore, si abs te agrum acceperim?* duobus autem Lesbonici versibus interpositis pergit in repudianda huius condicione, orationem pertexens Lesboniceae magna

Digitized by Google

concinnitate exaequatam, quae quidem a v. 72 (*Scio equidem te . . .*) orditur, inde a v. 78 autem hoc exitu in Hermanniano exemplo terminatur:

'Id me commissúrum ut patiar fieri, ne animum induxeris.
Quis me improbior pérhibeatur ésse? haec famigerátio
Té honestet, me autém collutulet, si ego abs te agrum accéperim;
Tíbi sit emoluméntum honoris, mihi, quod obiectént, siet.

Reiecit Hermannus praefationis p. XII eorum opinionem, qui errore tantum librariorum hos versus repetitos putarent; nihil enim librariis imputandum esse, nisi quod perfacili lapsu versu paenultimo *si sine dote duxeris* e priore loco iterassent: quorum cum nullus sensus esset, semet e v. 69 petita verba *si ego abs te agrum acceperim* substituisse. Recte autem istos versus in antiquis libris repeti satis ex proxima Stasimi oratione apparere, cuius singula verba totidem pro ea repetitione argumenta esse. Et Stasimi quidem versus hi sunt:

Nón enim possum quín exclamem: euge eúge, Lysitelés, πάλιν.
Fácile palmam habés: hic victust, vícit tua comoédia.
Hic agit magis ex árgumento et vérsus meliorés facit.
'Etiam ob stultitiám tuam té tuéris? multam abómina.

Argumentorum autem, quae hinc Hermannus peti posse dixerat, unum tantum diligentius persecutus est. Nam *quod* Stasimus, ait, *dicit versus meliores facit, prorsus inficetum foret, nisi in eo ipso lepor et iocus*

Digitized by Google

inesset, quod, cum Lysiteles ipsis Lesbonici verbis usus esset, meliores tamen quam ille versus facere diceretur. Atque ad iocum illum quod attinet, meo quidem sensu friget is potius quam leporem habet, et argutias, non acumen prae se fert. Sed ut largiar potuisse Stasimo poetam hoc quicquid est facetiarum tribuere: at quis eum non potuisse nisi hanc ipsam iocandi rationem solam instituere contendat? Etenim summo animi pervicacissimi fervore incensi uterque, et Lesbonicus et Lysiteles, illuc omni dicendi facultate per totam hanc scenam contenderant, ut suorum vim argumentorum sibi invicem persuaderent; nunc autem eo perventum est, ut Stasimus, cuius valde interest vinci Lesbonicum, iam exsultet laetitia et in clamorem erumpat propter victoriam a Lysitele, ut illi visum, tandem reportatam. Cuius victoriae persuasionem quid est, quaeso, cur Stasimus ex duobus tantum sermonibus illis capere credatur, quos extremos Lesbonicus et Lysiteles a v. 62 sqq. et 72 sqq. pronuntiarunt, nec ex omnibus omnino, quotquot inde ab initio inter se concertarunt? Quodsi certamen illud universum servus spectat, quid tandem in eius verbis est, quod huc non commodissime conveniat? Non serio atque e rerum veritate et πάλιν illud et haec dici: *hic agit magis ex argumento: versus meliores facit:* sed comica libertate in similem tantum rerum condicionem traduci, de eo ne Hermanno quidem nobiscum non convenit: verum indidem nos argumentum petimus, quo magis etiam nostram rationem confirmemus. Comparatur enim praesens adulescentium cum tralaticio poetarum actorumque certamine; atqui hi profecto non iisdem, sed diversis versibus contendunt: e quo consequens est ut, si ad iteratam recitationem eorundem versuum victoriae notio referatur, ipsa vis et veritas comparationis omnis

Digitized by Google

pereat. Atque in eandem fere sententiam contra Hermannum iam Bothius dixit edit. I. p. 754 vol. IV. Sed idem cum eos, quos reiicimus, versus nullo codice ms. proditos, verum ab Angelio demum in Iuntinum exemplar illatos narrat, prorsus fallitur. Nec enim in codicibus tantum ad unum omnibus illa exstant, sed etiam ab editoribus inde a Merula servati sunt usque ad Camerarium, qui eos primus omisit. Quo tamen librorum consensu multum abest ut ullum Hermannianae rationi praesidium paretur. Nam primum non est obliviscendum, non defendi ab Hermanno, quales in libris versus exstant, sed quales suo ingenio conformavit; deinde reputandum, quam sit violenta, si verum volumus fateri, ipsa illa mutatio, qua *si ego abs te agrum acceperim* substituit pro his: *si sine dote duxeris*. Nec ullo pacto haec quidem offensio credenda est ea via tolli, quam Lindemannus iniit. Qui cum in uno Lipsiensi codice*) non illud, quod modo dicebamus, sed hoc potius repperisset: *si cum dote duxerim*, id ut sententiae convenientissimum ambabus manibus amplexus in editionem suam praepropere susoepit. Probaremus fortasse, nisi exploratissimum haberemus eius recensionis, quam Lipsiensis liber exhibet, auctorem alio fonte, nisi Decurtati Vrsinianive codicis simillimo (vel potius prorsus pari), nullo usum esse: e quo consequitur soli eius coniecturae mutationem illam deberi. Et quali quidem coniecturae? Quae nec a litterarum similitudine quicquam probabilitatis habeat, nec eam ipsam quam requirimus sententiam aequet. Nam non illud potius sibi inhonestum esse dicit Lysiteles, uxorem ducere cum dote, quam hoc, uxorem ita ducere ut accepta dote iniuria

*) Nam a reliquorum codicum memoria ne princeps quidem editio nisi eo discrepat, quod *dixeris* praebet pro *duxeris*.

Digitized by Google

fiat, et finitius quidem, Lesbonici sororem ducere cum accepti agri et pessumdati amici contumelia, h. e. sane: *si abs te agrum acceperim.* — Quodsi cui tota hac ratiocinatione nostra nondum satisfactum sit, nunc rem longe gravissimam accipiat, cuius cum nulla apud editores mentio fiat, vis tamen tanta est, ut controversia omnis nostro quidem iudicio prorsus dirimatur. Neque enim ad illos tantum, de quibus egimus, tres versus iteratio pertinet, sed ad eos quoque, qui cum illis priore in loco coniuncti extant 60. 61. 62. 63. 64. 65 (*Tanto meliust . . . . .* usque ad *Sic sine dote . . . .*), partim Lysiteli, partim Lesbonico tributi a poeta. Quos sex versus et suo loco positos et post Stasimi versum 82 (*Non enim possum . . . .*) repetitos optimi antiquissimique libri exhibent, Camerarii uterque cum Vrsiniano. Vnde evidentissimum esse putamus, una eademque perturbatione novem versus continuos (60 ad 68) solo casu librariorumque incuria perperam iteratos esse, quanquam duobus locis dispertitos. Quod ipsum erroris genus non singulis, sed denis aliarum fabularum exemplis commonstrare licet. Nam quod sex illi versus priores (qui altero loco posteriores sunt) in Lipsiensi codice et editione principe non item ut in antiquioribus libris, et ut reliqui tres, iterantur, id facillimum explicatum habet et nostram sententiam confirmat potius quam debilitat. Etenim isti quidem versus et eo, quo iterati legebantur, et quovis alio loco non potuerunt non tam absurdi insanique videri, ut non vel Merula et Italus ille interpolator, cui Lipsiensis codicis recensio debetur, sine ulla dubitatione eos expellerent, quamvis servatis tribus illis alteris, qui aliquo modo tolerabiles videri poterant. Sed utrorumque ut condicio et origo, ita necessario communis condemnatio. Nec quenquam fugere potest, quam nervose hoc versu Ly-

Digitized by Google

sitelis oratio concludatur: *Id me commissurum ut patiar fieri, ne animum induxeris,* quam autem concinne ultimi duo altercantium adulescentium sermones septenorum versuum ambitu exaequentur.

Nihil iam restat, nisi ut de scriptura versus 67 dicatur, parum illa adhuc expedita. Ac primum cum per se levis videatur quae ad *autem* particulam spectat librorum discrepantia, tamen non est immemorabilis propterea, quod certa, eaque plurimorum exemplorum affinium communi, ratione hac continetur, ut perperam iteratorum vera scriptura e neutro loco repeti possit integra, sed promiscue ex utroque sit conflanda. Nam si a Vetere codice recesseris, qui *me autem* et proximo versu *mihi* solus, sed vel is posteriore tantum i. e. non suo loco servavit, reliqui ibi libri omnes bis posita particula *me autem* et *mihi autem* exhibent; suo autem i. e. priore loco *me* et *mihi* sine ulla particula in omnibus exstat, nisi quod in ed. princ. peccatum est *mecum* et *mihi*. — Longe tamen gravior est de *collutulet* verbo quaestio. Quod satis mirari nequeo patientissimo editorum stomacho concoqui potuisse. Quid enim? ullane ratione a *lutum* fieri *lutulare* potest? An cuiquam in mentem veniet hoc tanquam portentum aliquod verbi a *lutulentus* forma ducere? Novimus *lutare* verbum, ab eoque recte atque ordine fit *lutitare*, nec ulla, si modo sapio, esse dubitatio potest, quin non *collutulet*, sed *collutitet* Plautus scripserit. Nec librorum praesidio destituimur. Nam quod princeps editio priore loco praebet *collutet etsi*, id rectius dispestis litteris quid est aliud nisi *collutitet si*? Eodemque spectare videtur Vrsiniani priore loco scriptura *cluc^{vi} etsi*. Hinc demum reliquae discrepantiae ortae omnes: *conlutulet etsi* ed. princ. posteriore loco, *conlutilet etsi* Lips. utroque, *conlutulent etsi* Vet. Dec.

Digitized by Google

utroque, Vrs. posteriore. Minus etiam ambiguis vestigiis frequentativam *lutitare* formam Plautini libri alio loco testantur, item Trinummi II, 2, 14 (292 H.): ubi cum prorsus eadem depravatione haec vulgentur:

Nam hi mores maiorum laudant, eosdem lutulant quos collaudant,

tamen pro barbara *lutulant* forma libris ad unum omnibus, etiam Ambrosiano, id proditum est, quod a vera scriptura unius tantum litterae discrimine distat: *latitant.* Et hic quidem quod Hermannus quoque illud *lutulant* sustulit, id fecit catalectici versus restituendi caussa; sic enim haec non sane leniter immutata una cum proximis conformavit:

Lacrumas haec mihi, quom video, eliciunt, quia
ego ad hoc genus
Hominum duravi. quin prius me ad pluris penetravi? nam ii
Mores maiorum collaudant: eosdem, quos laudant, lutant.

In quibus ne ipsi quidem nunc placere a sua sententia dirempta et superiori versui agglutinata *nam ii* verba suspicor. Nec necessitas catalectici versus efficiendi in hoc liberiore metrorum genere tanta esse videtur, ut non etiam in acatalecto acquiesci possit, qualem sine ulla mutatione nostra optimi libri Ambrosianus et vetus Camerarii prodidere:

Nam ei mores maiorum laudant: eosdem lutitant, quos collaudant.

A quibus libris reliqui in hoc uno discedunt, quod extremae duae voculae *quos collaudant* forte intercederunt. *ei* autem pro *hi* ipse Ambrosianus praebuit. Superioribus versibus duobus quid iam faciendum sit, haeret iudicium. In promptu est servata reliquorum dispositione Hermanniana scribere:

Digitized by Google

Lácrumas haec mihi, quóm ea vídeo, eliciunt,
quia ego ad hóc genus
Hóminum perdurávi. quin me ad plúris penetravi
prius?

Quamquam fortasse etiam alter octonarius praecessit, ad hoc autem genus a septenariis transitus breviore versiculo fiebat:

Lácrumas mi haec, quom vídeo, eliciunt,
Quia ego ad hoc genus dúravi hominum. quín
*prius me ad pluris penetravi?**)

VI.

Trinummi III, 3, 58 sqq. sic scriptos edidit Hermannus:

Sed epistulas quando óbsignatas afferet,
Siquidem óbsignatas túlerit has epístulas,
Nonne árbitraris éum adulescentem ánuli
Patérni signum nóvisse?

Horum versus 60, sive sententiam sive verba spectas, tam futilis ac propemodum taeter est, ut vix habeam quomodo eum a quoquam potuisse defendi dicam. Videntur in hanc partem interpretati esse: *quandoquidem obsignatas eum afferre iubes*, „*wofern er sie anders eben versiegelt bringen soll*“, ut ad v. 45 Callicles respiciat, quo dixerat Megaronides: *ferat epistolas duas: eas nos consignemus, quasi sint a patre*; non ullo modo inepta sententia, sed coniunctivi usu ab illa sententia prorsus alieno. Et cum sane *tulerit* forma multo etiam maiori quam *ferat* offensioni sit, tamen ne praesentis quidem coniunctivus in condicionali

*) Pro *quin prius* Scaliger in Virg. Cop. 6 (Virg. Append. ed. Lindenbr. p. 257) malebat *quam prius*. Sed idem *tolerabilis quidem* inquit *vulgata lectio, non tamen ut veram putem*.

Digitized by Google

enuntiato unquam id potest valere, quod non esse simpliciter, sed esse oportere vel iuberi cogitetur. Vt vel hanc ob caussam frustra sit, qui hoc scribendi genus proposuit: *Siquidem obsignatas dttulat epistulas.* Nolo enim in producta *at* syllaba morari, cuius nulla defensio, quotiescunque ad codicum vitia sustentanda illo *vendidit in Alide* abusi sunt, quod prorsus non dubitamus quin pro *venum dedit* irrepserit. — An hanc potius voluerunt Calliclis sententiam esse: „*aber wenn er die Briefe versiegelt bringen wird* (*angenommen er hat sie versiegelt gebracht* vel *genommen*) —? Atqui, hanc quoque sententiam ut non esse absonam concedam, ita non magis quam supra *tulerit* formam ferimus, sed necessario iteratum indicativum futuri requirimus, in hanc fere speciem: *sed quando obsignatas epistulas afferet, si quidem obsignatas feret.* Ex hoc autem exemplo simul apparet, quid praeter ea, de quibus adhuc diximus, molestum sit. Vtramcunque enim interpretationem amplecteris, ultra modum languet repetitum *has epistulas,* pro quo aut nihil aut solum *eas* pronomen exspectamus. — Ergone, quam nulla ratiocinatio, eum versiculum saltem libri tuentur? Videntur scilicet tueri, si ex silentio editorum iudicatur. Verumenimvero non *attulerit* tantum pro *tulerit has* legitur in omnibus, sed etiam *si quidem* sola est Camerarii coniectura invectum, pro quo in Vetere est *sed quõ,* in Decurtato Vrsinianoque *sed qm̃,* in principe editione *siquando:* quibus evidentiora vestigia interpolationis reperiri posse nego. Quis enim, quaeso, qui secundum ipsos libros mss. hos iuxta se positos versus conspexerit:

Sed epistulas quando obsignatas afferet

Sed $\begin{matrix} quando \\ quom \end{matrix}$ *obsignatas attulerit epistulas:*

Digitized by Google

horum alteri tam hebes sit ut vel tantisper patrocinetur? Quem fortasse ne studio quidem ullo alicuius grammatici conformatum habemus, (quanquam fieri potuit, ut turpissimum senarium sic dimetirentur: *sed quom obsignatas attulerit epistulas*), sed e sola *quando* et *quom* particularum permutatione ascriptaque pro *afferet attulerit* forma casu potius quam industria conflatum. Tam autem manifestum glossema nón est mirum ne Italum quidem illum criticum sustinuisse, e cuius recensione Lipsiensis cum cognatis codicibus flurit, a quibus totus versiculus abest. Eundemque haud dubie etiam in Ambrosiano frustra quaereremus, si hanc fabulae partem superstites illius schedae tenerent.

Caput II.

'Haec quae tractavimus exempla si certis generibus distribuere voluerimus, aut versus eosdem errore iteratos reperimus (V), aut eandem sententiam aliis, sed similibus vel paullum variatis verbis sine iusta caussa certoque consilio repetitam, aut novam sententiam explicandi caussa additam. Et eiusdem sententiae repetitio aut casu magis quam consilio facta esse videri potest (VI), aut lusu potius ingenii quodam (I a. III). Item nova sententia, vel novis certe verbis elata, nunc circumscribendi magis (IV), nunc supplendi amplificandique studio debetur (I b. II). Quibus generibus etsi cunctae partes interpolationis minime comprehenduntur, tamen reliquarum exempla Trinummus quidem nulla suppeditat: quam fabulam praeter commemoratos versus

Digitized by Google

negamus alio additicio ullo interpolatam esse. Nimis enim ridiculum dicam an execrabilem se praestitit, qui recenti memoria cum negligentius licentiusque factam omnem Trinummum opinatus est, adeo ut paullum absit quin eam fabulam a Plauto prorsus adiudicarit, tum interpolationum tantam sibi visus est multitudinem investigare, ut singulos versus quinquaginta, undecim fabulae locis dispertitos, vel secluserit a genuinis vel certe in suspicionem vocarit, inter eosque unum tantum eorum, de quibus nos egimus (IV): nam de reliquis nihil *εὑρινοτάτῳ* critico suboluit. En indicem innocentium versiculorum, in quos tam fortis exstitit insipiens ille (*χάρτ' ὧν ἐπώνυμος*) laudatissimi *Σοφοκλεομάστιγος* Heiglii aemulator: I, 2, 4. 13—28. 169—172. II, 1, 9. 28. II, 4, 11. III, 3, 28—33. 67—69. IV, 1, 10—20. IV, 4, 18—22. Et caussas quidem eius temeritatis illum aut levissimas et prope puerilęs aut perversissimas aut prorsus nullas praeter suum nimirum sensum quendam habuisse facilis nec fallax coniectura est. Quod enim plurimorum, in quos tam effrenata cupiditas saeviit, versuum communis condicio haec est, quod iis carere sine offensione vel sine graviore incommodo possumus, ea profecto talis commendatio est, ut maiore etiam laude dignus videatur, qui *non necessariis* scilicet extrusis omnibus in breviculi argumenti exilitatem integram fabulam redigere animum induxerit. Quae cum ita sint, quoniam tot pravae eiusdemque ignavae libidinis speciminibus singillatim exagitandis operae pretium fieri non putamus, delecta ex illa versuum multitudine exempla quaedam insigniora hic tractabimus, non quo defendamus quae telis infirmissimis petita non egent defensione, sed ut aliis dubitationibus obnoxia partim emendando expoliamus partim interpretando explanemus. Nam haec

Digitized by Google

ipsa, quae aliquid hiulci aut obscuri vel habere viderentur vel haberent, rara cogitandi inertia iudicandique imbecillitas cum tarditate summa inveniendi coniuncta effecit ut miro capiti illi non tutius atque ingeniosius artique et rationi congruentius expediri viderentur, quam ipsa sede difficultatis radicitus eversa ac penitus exstincta. Verum satis dictum esto de intemperantissimo hallucinatore (nam longe etiam intemperantius in ceteris fabulis versatus est), philologae Germaniae dedecore: cuius tamen rationem odorandae interpolationis Plautinae non defuit qui optimam partem diceret curarum huic poetae ab illo impensarum.

I.

Ordior a simplicissimo exemplo. Trinummi II, 4, 11 cum olim legeretur

STAS. Quid, quod ego defraudavi? *LESB. hem ista ratio maxuma est:*

Hermannus, ut versus constaret, delebat *ista*, quo pronomine aegre careas: atque in Ambrosiano adeo *istaec* est. Contra Bothius *ego* tollebat: non sane incommode, quia satis videri potest, ut iusta contrariorum oppositio fiat, opponi defraudatae et honeste impensae pecuniae notiones; sed tamen ut multo significantius simul accedat aliis expensae et a Stasimo ipso suppressae oppositio, quam servat codicum memoria. Quapropter haud scio an sic scripserit poeta:

ST. Quid, quód ego fraudavi? *LE. hém istaec ratio máxumast.*

Inter *fraudavi* et *defraudavi* libri fluctuant Aul. IV, 9, 14, ubi recte se habet compositum verbum:

Quod cústodivi sédulo. egomét me defraudávi.

Digitized by Google

Item Bacch. IV, 4, 84 necessariam *de* syllabam a librariis propter vicinum *te* omissam adiecit Camerarius:

Quid tibi aurum rèddidi et quià nón te defraudáverim.

Male eundem secutus Camerarium Rud. V, 2, 58 Reizius pessimis numeris scripsit *Si fraúdassis, dicito uti te in quaestú tuo.* Revocata librorum scriptura *dic ut* mecum restitue:

Si défraudassis, díc ut in quaestú tuo.

Languet enim a Bothio praemissa *Sed* particula. Ceterum cum Trinummi versu Vetus cod. Cam. servarit *defr u davi*, non sine ratione videtur coniici posse eam scripturam, quae fit *u* littera, etiam ad simplex verbum (*frudare*) pertinuisse, tametsi sine discrepantia *fraudaveris* et *fraúdassis* prodita sunt Asin. III, 2, 15. Rud. V, 2, 58: quemadmodum et *cludere* pro *claudere* frequentatur et pro *claudus* (quod libri tenent Aul. I, 1, 34) ipse Plautus *cludus* praebet Pseud. II, 2, 64. Nam de composito quidem verbo minime dubito, quin hanc formam comoedia solam norit. Quo in genere vel hoc aliquam vim habet, quod apud Terentium, cuius cultior aetas cascas formas plurimas sprevit a Plauto nequaquam alienas, ab optimis libris constanter exhibetur *defrudare* Adelph. II, 2, 38 et Phorm. I, 1, 10. Apud Plautum autem quis ferat duobus versibus continuis sic variatum Men. IV, 3, 12. 13:

Quia commisi ut me defrudes, ad eam rem affectas viam.

ME. *Neque edepol te defraudandi caussa posco: quin tibi —.*

Et utroque loco *u* vocalem testantur Palatini. Vel Asin. I, 1 quis sibi persuadeat vv. 78. 82 *defraudato* et *defraudaveris* scriptum, iis autem, qui sunt medii 80. 81, bis positum fuisse *defrudem*? Nam hanc ibi formam

Digitized by Google

Vetus codex cum editione princ. servarunt, haud cunctanter eam etiam vicinis versibus restituendam. Pseudoli quoque I, 1, 91 *defrudes* Vetus praebet, idemque Bacchidum versu ex uno certe Lambini codice affertur. Vt non ullo modo dubitandum sit, quin recte ea forma etiam sine libris revocetur Aulul. v. c., Asin. II, 2, 99 et Rud. V, 3, 31. 60.

Illuncine igitur Trinummi versum credas cuiquam displicere potuisse? Nimirum non est consentaneum, semet ipsum fraudis quenquam incusare. At vero plumbeus sit oportet, qui propriam vim et venustatem huius incusationis non persentiscat. Dixerat Lesbonicus v. 9, istis rebus, quas v. 5 sqq. Stasimus cumulaverat, non plus sex minis consumptum esse. Addendum esse monet servus, quod scorta acceperint. Id illa pecunia iam comprehensum esse erus respondet. Iam Stasimus, cui haec omnis computatio non potest non permolesta esse, ab eo sermonis argumento adulescentem si modo possit avocaturus, et quousque progredi liceat experturus, callida impudentia et inter iocum seriumque ambigua aliquid ultro confiteri mavult quam continuata Lesbonici quaestione fraudis suae totius convinci. In hanc igitur partem illa valent: *Quid, quod ego frudavi?* Mox tamen non satis tuto hac quidem via procedi sentiens (minaciter enim vel morosius certe respondere dominus *hem istaec ratio maxumast* credendus) simulata honestatis specie et propemodum indignabundus quamvis fraudis suspicionem longissime a se propulsare studet, et tanquam sanctissimus morum castigator culpa dilapidatae pecuniae in ipsum Lesbonicum omni translata rursum hac ratione se posse elabi sperat. Huc enim v. 12 sqq. spectant:

Non tibi illud apparere, si sumas, potest:
Nisi tu immortale rere esse argentum tibi.

Digitized by Google

Sero, atque stulte, prius quod cautum oportuit,
Postquam comedit rem, post rationem putat.

Nondum tamen satisfactum est Lesbonico, qui acrius instans *Ne quaquam* ait *argenti ratio comparet tamen.* Ibi igitur servus nullum iam refugium relictum videns ad rationem singillatim reddendam descendit, quam nullis declinare facetiis potuit, summa autem confidentia exorsus, mox felicissimo casu usus Philtonis adventu interpellatur. — Et hae quidem horum sermonum caussae et successiones quam sint Plautina arte dignae, tam apparere sua sponte puto, ut — verbum non amplius addam.

II.

Praeclara est Trinummi IV, 1 reducis Charmidis gratulatio, gravissimis ea concitatissimisque octonariis perscripta. Quos versus ut penitus sentias quali iudicio *pessime currere* dixerit, qui mire sagax interpolationum vestigator extitit, totam scenam infra posuimus emendatius scriptam.

Sálsipotenti et múltipotenti Ióvis fratri aethereí Neptuno
Laétus lubens laudés ago, gratas grátisque habeo, et flúctibus salsis,
Quós penes mei fuit potestas; bónis meis quid foret ét meae vitae,
Quóm suis me ex locís in patriam usque úrbem incolumem réducem faciunt.
'Átque tibi ego, Neptúne, ante alios déos gratis ago atque hábeo summas.
Nám te omnes saevómque severumque, ávidis moribús commemorant,
Spúrcificum, immanem, íntolerandum, vésanum: ego contra ópera expertus.

Digitized by Google

Nám pol placidum te ét clementem eo usqué modo, ut volui, usús sum in alto.
'Atque tuam hanc apud hómines gloriam aúribus iam accéperam ante:
Paúperibus te párcere solitum, dítis damnare átque domare.
'Abi, laudo: scis órdine, ut aequomst, tráctare homines: hóc dis dignumst,
Sémper mendícis modesti ut sint, secus nobilis apud homines.
Fídus fuisti: infídum esse iterant. Nam ábsque foret te, sát scio, in alto
Distraxissent disque tulissent sátellites tui miserum foede,
Bónaque item omnia úna mecum pássim caeruleós per campos:
'Ita iam quasi canés, haud secus navem circumstabant túrbine venti,
'Imbres fluctusque átque procellae infénsae fremere, frángere malum,
Rúere antennas, scíndere vela: ní pax propitiá foret praesto.
'Apage a me sis: déhinc iam certumst me ótio dare: sátis partum habeo,
Quibus aerumnis déluctavi, fílio dum divítias quaero.
Sét quis hic est, qui in pláteam ingreditur cúm novo ornatú specieque?
Pól, quanquam domi cúpio, opperiar: quam hic rem agat, simul ánimum advortam.

Duo in hanc scenam cadunt a communi usu comoediae aliena: orationis genus supra vulgarem consuetudinem vitae quotidianae assurgens poeticumque colorem sumens, et prosodiacae rationis quaedam licentia,

Digitized by Google

modica quidem illa, sed tamen abhorrens a senariorum septenariorumque severitate ac propria octonariorum anapaesticorumque. Et huc quidem pertinet correptum v. 5 extremo *atque*, bisyllabumque v. 20 *filio*: pro quibus perfacile fuerat substituere *et* et *gnato*. Poetici autem dicendi generis statim ab initio exemplum exstat *aetherei*, palmari Bothii coniectura ex *et nerei* erutum: quando N et H in codicibus tam sunt similes, ut saepe dignosci prorsus nequeant. Nec nunc puto suum illud *aequoreo Neptuno* Antonius Reinius meus tenebit, Quaest. Plaut. (Crefeld. a. 1834) p. 16 propositum. — Item in poeticum genus convenit v. 2 *gratas gratisque habeo*, secundae voci postposita particula: (nam *laudes gratas* cave coniungas:) propius enim ita ad fidem librorum, in quibus est *ago et grates gratiasque habeo*, Bothius accessit quam hanc versus formam commendans Goellerus: *Laetus lubens laudes ago, gratisque habeo gratas fluctibus salsis*, quanquam *et fluctibus* non est sane (quod ille ignorabat) in Palatinis, sed *e fluctibus*. Tantum autem recte uterque sensisse videtur, ferri non posse ab Hermanno receptum *laudes ago ĕt gratis grătas habeo*: nequaquam enim cum correpto *atque* hoc comparandum, quod multo est durius et vel horum versuum licentiam excedens. — Ab eorundem gravitate v. 3 abhorret levium trochaeorum lenissima aequabilitas *quos penes mei potestas*: quapropter servandum *fuit* ab Hermanno additum. Idem autem etsi sine caussa *quid* collocavit ante *bonis meis*, tamen facile dubites num forte recte *meae* deleverit, quo omisso et gratior fieri oratio videri potest nec suo accentu *foret* caret: *bŏnis meis quid fŏret et vitae*. Incredibiliter hunc versum Bothius pervertit, prorsus neglecta bonorum librorum memoria, in quibus nihil discrepantiae praeter *Quŏ* (vel *Qm̃*) *pe-*

Digitized by Google

nes me pro *Quos penes mei*, et *mis* pro *meis*. Quod cum fuissent qui genitivum interpretarentur pro *mei* positum: id recte aspernatus Goellerus pravo tamen iudicio in eo utitur, quod has formas a Plauto omnino alienas dicit: quarum vel in Trinummo certissimum exemplum ex Ambrosiano codice prodiit II, 2, 62:

Vt ita te aliorum miserescat, nè tis alios misereat.

V. 4 e Palatinorum scriptura *urbis cumā* (vel *cumam*), quae syllabae a deterioribus libris absunt, non felicissimo successu alii alia effinxerunt: *urbisque moenia* Camerarius inusitata sententia; *urbis cunam* satis mirabiliter Bothius, *urbem Cumam* is, quem non vigilantem, sed dormitantem somniantemque veteres scriptores tractare hoc ipsum exemplum docet: praeterea asperrimo uterque hiatu; *atque urbem usque in meam* Hermannus. Et *urbem usque* ego quoque in *urb iscu* latuisse puto: sed ex iisdem *cū* litteris cum proxima *mā* syllaba sociatis haud scio an probabiliter *incolumem* iam Gronovius eruerit, in quod Windischmannus quoque incidit Mus. Rhen. I, p. 118, cuius tamen reliqua disputatio fine excidit. Est enim, si quid video, hic locus ex eorum multitudine, in quibus paucularum litterarum reliquiae indicio integrarum vocum sunt. — V. 5 *ego* addidit quidem Camerarius, sed addidit e Palatinis: quorum collocationem verborum *ego Neptune tibi* (nisi quod miro errore *neque* post *ego* Decurtatus inserit) vix dubito quin significantius cum Bothio ita uti fecimus, quam sic corrigas cum Hermanno: *ego tibi Neptune;* quanquam utroque sane modo *tibi*, in quo vis est sententiae, fortius intenditur, sive illud ictu versus acuitur, sive ab initio enuntiati ponitur. Eidem Hermanno *gratis* debetur pro *gratias*. — V. 6 *atque* in libris ante *avidis* insertum cum Bothio sustulimus:

Digitized by Google

quo servato minus probabiliter Hermannus *saevom severum.* — V. 7 ab Hermanno adiectum *ego* prorsus necessarium esse neminem praeteriit. Eiusdem praeclara emendatione proximus versus restitutus: nisi quod e librorum scriptura o m n i u m *Nam pol placido te et clementi meo usque modo ut volui usus sum in a l i o* recte etiam *eo* pronomen Lindemannus servavit, quem in hac una scena rara fortuna usum aliquoties verum vidisse eo magis miror, quo eum compertius habeo per reliquam fabulam universam s u o quidem iudicio vix bis terve aliquid profecisse. Quanquam ne ita quidem potuit non simul in leviore certe re peccare: nam non sic illa pronuntianda sunt: *eo úsque modo ut volui úsus sum in alto*, sed in hanc rationem potius: *eo usqué modo ut volui usús sum in alto.* Nec unquam dactylum dactylus in his versibus excipit. Bothium autem mirere spreto accusativo, quem e *clementimeo* felicissime Hermannus eruit, praetulisse *placido te et clementi*, tulisse autem ineptum *m e o usque modo.* — A v. 9 graviores turbae incipiunt. Tales enim in Vetere codice proximi versus exstant:

Atque hanc tuam gloriam iam ante auribus acceperam et nobilis apra homines,
Pauperibus te parcere solitum, divites damnare atque
Domare . abi laudo scis ordinē ut aequunct
Tractare homines . hoc dis dignunst . semper mendicis modesti sint.
Fidus fuisti infidum esse iterant . nam apsque foret stat scio in alto
Distraxissent disque tulissent satellites tui me miserum foede e. q. s.

A quo exemplo in his tantum Decurtatus discrepat, quod v. 1 habet *nobiles apud*, v. 2 *dampnare*, v. 3

Digitized by Google

ordinem ut aequumst, v. 3 *dignumst* et *sunt,* v. 5 *absque foret te sat,* et a m. pr. *altum.* Primi autem versus verba extrema *et nobilis apud homines* cum intelligi non possent, suscepta Brantii mutatione *nobilem* satis et licenter et invenuste Bothius sic scripsit:

Atque hanc gloriam tuam ante auribus nobilem
iam acceperam ad homines:

spurcissimum autem versum Lindemannus hunc procudit:

Atque ego hanc tuam gloriam iam ante acceperam nobilem apud homines.

Praeterea parum credibile est uno dimetro octonariorum, e quibus haec scena constat, aequabilem continuitatem turbatam esse: id quod in diversissima ceteroqui horum versuum dispositione illis quidem criticis commune est cum Camerario. Is enim cum dimetrum his verbis comprehenderit: *Abi laudo scis ordine ut aequomst,* Bothius absonam prorsus formam hypercatalectam constituit *Semper mendicis modesti sint,* Lindemannus autem sic *certissima* scilicet *coniectura* (ipse enim ait) conglutinatis duobus enuntiatis:

Semper mendicis modestis fidus fuisti, infidum
esse iterant:

dimetrum voluit hunc esse: *Nam absque foret te, sat scio in alto.* Contra praeclare evitato hoc incommodo ingeniosissimam viam Hermannus ingressus verba illa *nobilis apud homines,* ut de sua sede traiecta, ascivit ad inferiora cum iisque in hanc tetrametri structuraeque speciem iunxit:

hoc dis dignumst:
Semper mendicis modesti ut sint, secus nobilis
apud homines.

Ita ne *et* quidem illud neglectum est, ex *ut* corruptum, solum autem *secus* praeter libros additum. Nihil au-

Digitized by Google

tem frequentius quam traiectis versuum particulis simul excidisse aliquid. Et ut aliquid audaculi haec Hermanni ratio habeat: (nam multum habere haud concesserim, quoniam, si a veri similitudine non abhorret quae caussa cogitatur corruptelae, nihil refert, quam late pateat quod e caussa illa consequens sit:) at in tanta depravatione librorum Plautinorum quis nesçit frequenti usu evenire, ut quavis arte sententiae integritati potius numerorumque concinnitati consulendum sit, quam sola emendandi lenitas curanda? Sed vel sic tamen de sententia mea cedam omnemque rationem illam missam faciam, simulatque viam monstraveris, qua eorum quos tractamus versuum primus probabiliter conformetur servato quidem illo additamento quod est *nobilis apud homines:* quod persuasissimum habeo nullis machinis effectum iri. Persanatum autem ne ab Hermanno quidem puto, qui parum gratis incrementis auctum sic constituit:

'Atque ego hanc tuam glóriam auribús quidem
iam accéperam ante.

Mihi talis fuisse hic versus videtur, ut simul caussa appareat, cur huc potissimum a sua sede avulsus exitus ille *nobilis apud homines* illaberetur:

'Atque tuam hanc apud hóminés gloriam aú-
ribus iam accéperam ante.

auribus enim, quod minime supervacaneum, illi opponitur, quod antea dixerat *opera* se expertum. — In proximis Bothius quo longius ab Hermanniano finiendorum versuum exemplo recessit, eo turpius lapsus est: quod taedet persequi uberius. V. 14 *satellites tui* merito defensum est, item merito servatum *miserum*, utrumque contra Hermannum, qui *tui satellités me foede* transposuerat. Vtramque vocem, *me miserum*, codices sociant. — V. 15 *item omnia* Hermannus: li-

Digitized by Google

bri *omnia item.* Eidem v. 16 *turbine* debetur pro *turbines*, quod etiam in Ambrosianum irrepsit, e cuius schedis superstitibus una ab hac ipsa voce incipit. Sed eodem versu etsi sine offensione est *navem* una syllaba pronuntiatum, non potest non displicere accentuum perversio *circúmstabant*: ut aut *navem circumstabant* aut *circúmstant navem* praestet. — V. 17 *fluctus* sine caussa Hermannus: *fluctusque* cum ceteris Ambr. Mancum aliquot syllabis versum Hermannus olim in *confregere* mutato *frangere* supplevit: quod iam non tutabitur. Nihil tam apte ab Lindemanno per totam Trinummum excogitatum quam ante *frangere* insertum *fremere* verbum. Exciderat hoc iam in Ambrosiano.— V. 18 *ni tua propitia pax foret praesto* Ambr., *ni tua pax propitia f. pr.* ceteri. Deletum ab Hermanno *tua* abesse posse negans Lindemannus omisit *foret*: quae omissio vereor ne tam aspera sit, ut ne in hoc quidem liberiore genere ferri queat. Pronomen autem desideraremus sane ut quod maxime, si construendi ratio sententiaeque nexus hic esset: *fregissent —, ruissent —, scidissent —, nisi tu opem tulisses.* At vero tali enuntiato condicionali quis unquam vidit infinitivum historicum adhibitum? qui non notabilis tantum sit, ut ille ait, sed etiam intolerabilis. Hinc igitur hoc potius constructionis genus consequens esse arbitror: *Absque te foret, me distraxissent tempestates*: (*tanta earum vehementia, tam mihi propinquum exitium erat:*) *nisi his discriminibus tandem finis impositus esset.* Videmus enim hic, ut Reisigii verbis utar hoc genus universum docte illustrantis Comm. crit. in Oed. Col. p. 386 sqq., verborum comprehensionem gemina enuntiatione ita cumulatam, ut alterutra loquentis animo in ampliore orationis ambitu paene excidisse videatur. Redundat sane, si severius agas, iterata in fine condicio-

Digitized by Google

malis sententia, cuius iam ab initio facta erat significatio *): sed iterata est uberiore interposita descriptione, qua cum propinqui exitii notio tanquam ante oculos ponatur, facillime et sentiendi veritati satis convenienter ad praestiti auxilii cogitationem animus revocatur. Intelligisne igitur, quam commode post dei mentionem ab initio factam (*absque te foret*) in fine potuerit simpliciter *pax* commemorari non addito *tua* pronomine? — V. 19 non dubiam Acidalii emendationem *Apage a me* confirmat Ambr.: in reliquis libris excidit praepositio. In eorundem scriptura *deinde hinc*, e qua satis per se probabiliter Hermannus effecerat *deinde hic*, Bothius perspexit *dehinc* latere, *dehinc iam* praebuit Ambr. Sed verissime Hermannus *me otio dare*, et discrepant ipsi libri, quorum solus Ambr. *otio dare me*, ceteri *otio me dare*. — V. 20 immerito Hermannus librorum memoriam *Quibus aerumnis deluctavi*, (h. e. *satis partum habeo iis aerumnis, quibus* —: id quod vel Bothius assecutus est) posthabuit fallaci Nonii testimonio p. 468: *Cum hisce aerumnis deluctavi*, mutato quidem *cum* in *dum* (quae particula non *deluctavi*, sed

*) Hic quemadmodum gemina protasis simplici dirimitur apodosi, ita simplici protasi duplex apodosis Aeschyli Sept. 211 sqq.: ἀλλ' ἐπὶ δαιμόνων πρόδρομος ἦλθον ἀρχαῖα βρέτη θεοῖσι πέσυνος, νιφάδος ὅτ' ὀλοᾶς νιφομένας βρόμος ἐν πύλαις, δὴ τότ' ἦρ ἦν φόβῳ πρὸς μαχάρων λιτάς. — Plautini exempli simillimos dicerem prologi Terentiani versus, Phorm. 13 sqq.: *Vetus si poeta non lacessisset, Nullum invenire prologum posset novus Quem diceret, nisi haberet cui malediceret:* nisi horum postremum versuum insiticium esse et e glossematis conflatum Guil. Ihnius Quaest. Terent. p. 42 naviter perspexisse videretur. Cui tam diu obsecundandum intelligimus, quam diu non *dicere*, sed *scribere prologum* poetae esse existimabitur. — Ceterum nuperrime de hoc genere etiam Bergkius dixit Musei philol. III, p. 417.

Digitized by Google

praesens *delucto* requirebat) et proximis *filio dum* in *et filio*. Reliquis libris nunc accedit Ambrosianus. Is codex ea quae consequuntur in hanc formam disposita exhibet:

SETQUISHICESTQUIINPLATEAMINGREDITUR
CUMNOUOORNATUSPECIEMQUESIMUL
POLQUANQUAMDOMICUPIOOPPERIAR
QUAMHIC .. MAGATGERITANIMUMADUORTAM

Mira, sed eadem non indocta versuum distinctione aliquoties Ambrosianus utitur. Velut Stichi initium alibi testatus sum his illum pusillis membris dispescere satis singulariter:

Credo ego miseram
Fuisse Penelopam,
Soror, suo ex animo,
Quae tam diu vidua
Viro suo caruit.
Nam nos eius animum —.

Charmidis autem verba si idem ille sive librarius sive grammaticus trochaicis dimetris decurrere voluerit, parum profecto intelligamus, cur ad hos subito transire, quam binis consociatis maluisse tetrametros continuare poetam dicamus. Sed nisi omnia me fallunt, minime ille pro trochaicis habuit, sed pro systemate potius anapaestico:

Set quis hic est, qui in plateam ingreditur
Cum novo órnatu speciéque simul?
Pol, quánquam domi cupio, ópperiar,
Quam hic rém gerat animum advórtam.

Vltimo enim versu duas scripturas *agat* et *gerat* apparet coaluisse; altero autem *novo*, quemadmodum alibi pro una syllaba est, ita nihil impedit quominus ante vocalem pro nulla sit, ut similia sescentis exemplis. Sed tamen, quantumvis per se boni sint versiculi, dubitare

Digitized by Google

licebit, num non magis hic quam in Sticho et alibi verum metricus ille viderit. Quodsi non viderit, nequaquam dubito quin una sola via ineunda sit, qua trochaicos numeros tutemur. Aliquid enim offensionis fateor mihi subnasci *simul* particula, quae quo tandem spectet non satis apparet. Itaque cum in Vetere codice sic distinctos illos versus repperissent:

Sed quis hic est, qui in planteam ingreditur cum novo ornatus peciaque simul?
Sol quanquam domum cupio operiar hic quam hic rem charmides

(a qua forma eo tantum ceteri libri differunt, quod priorem versum a *Qui in plateam* ordiuntur, praeterea *ornatu specieque* et *Pol*, Lipsiensis autem cum ed. princ. in fine *op(p)eriar quam hic rem gerat* praebent:) inde a Camerario *simul* a priore versu divulsum ultimo praemiserunt, nuperi autem editores cum hoc etiam constructionis vinculo nexuerunt: recte sentientes, ut puto, inepte *ornatu specieque* notiones plane propinquas *simul* particula coniungi vel potius disiungi. Et pessimos quidem versus Bothius cum pedisequo Lindemanno commenti sunt: quorum ille prorsus vitiata prosodia in *sĭmĭtu* formam *simul* illud mutavit: quo potius transposito hunc Hermannus versum conformavit:

Pól simul, quanquám domi cupio, oppériar tamen, hic quám gerat rem.

Bene factum, quod *domi* probavit Donati in Eunuch. IV, 7, 44 testimonio servatum; de elapsis *animum advortam* non potuit suspicari; sed *simul* adverbium cui notioni rettulerit, parum liquet. Simul possunt vel peregrinus ingredi et ingredi Charmides dici, vel uterque opperiri, vel unus sive senex sive peregrinus et ingredi et aliud quid facere: non possunt simul alter ingredi, opperiri alter dici, si commodam volumus co-

Digitized by Google

gitandi rationem esse. Itaque, quoniam in ultimum versum glossema irrepsisse Ambrosianus monstrat, (sive *gerit* sive *agat* ab interprete profectum est:) haud scio an eo ipso glossemate pristina *simul* particula extrusa sit, in margine autem ascripta postea superiorem in versum invaserit. Hae igitur me caussae moverunt, ut supra hanc versus speciem proponerem ut a Plauto profectam:

Pól, quanquam domi cupio, opperiar: quam hic rem agat, simul animum advortam.

Nam simul eundem hominem et opperiri velle et observare, id vero nihil vel absoni habet vel incommodi.

De nexu autem sententiarum per hanc scenam sese excipientium ne quid dubitationis relinquatur, sic habeto. Charmides enim *Praeter ceteros* ait *tibi, Neptune, gratias ago, quem cum communi hominum fama saevum et immisericordem accepissem, in me lenem et benignum sim expertus. Et sane, ne quid celem neve iniuriam tibi faciam; non illud tantum acceperam simpliciter, omnino te et sine ullo discrimine saevum esse, sed certa lege iustoque temperamento modo mitem modo immitem: immitem divitibus, nobilibus, superbis, mitem pauperibus, humilibus, modestis. Vt potius tibi constiteris tantum me quidem servato. Atque hanc agendi rationem non possum quin solam probandam vereque dignam deis dicam.* Iam ab hac generali sententia ad suam se condicionem revocans, summorum quibus obnoxius fuerit periculorum recordatus illuc redit, quod ab initio dixerat, denuo inculcans quod sua maxime interest: *Fidus fuisti, infidum esse iterant.* Quae si paullo plenius explicare volumus ascitaque cogitatione supplere, aut in hanc partem valere possunt: *Sed haec quocanque modo se habent, tantum certum est fidem me tuam expertum esse, cuius perfidiam crepant:*

Digitized by Google

nam — e. q. s., aut fortasse simplicius etiam: *Fides autem illa tua, perfidiae quam vulgo crepant contraria, in me vel primario exemplo enituit, ut quem non e leviore discrimine servaris, sed praeter solitum propitius tanquam praesenti exitio eripueris.* Vtrumque in tanta animi commotione significari ista verborum brevitate potuisse nemo non videt. Nec in eo qui sapiat offendet, quod periculorum illorum, quae modo descripsit, dira recordatione commonitus haec subiicit v. 29: *Apage a me sis,* quorum item duplex potest vis esse, si ad dialecticam severitatem exigere poeticam breviloquentiam volumus, aut haec: *Tanta igitur cum sit maris atrocitas, quid mirum si nihil in posterum voluero mihi tecum rei esse, tametsi nunc me servaris;* aut haec, quae quanquam leviter tantum inverso cogitatorum ordine paene eodem redit, tamen propius ad extrema verba (*ni pax propitia foret praesto*) astringitur: *Sed tamen, quantumvis paratum auxilium tuum expertus sim, ut denuo tibi confidam, in tanta itineris maritimi difficultate non potero a me impetrare.* — Ceterum quod Neptuni deorumque aequitatem praedicans Charmides nunc de *pauperibus* et *divitibus*, nunc de *mendicis* et *nobilibus* loquitur, apparet levi verborum inconstantia usum una notione divites nobilesque itemque pauperes et ignobiles comprehendere. Ad suam autem condicionem cum illam laudem accommodat, non continuo mendicis sese annumerat, sed tantum ditibus et nobilibus opponit. Vt nihil profecto repugnantiae cum insipido interprete in eo quaerendum sit, quod *satis se partum habere, dum filio divitias quaesierit*, v. 19 dicit, vel merces e navi efferri iubet IV, 4, 14, vel re bene gesta se redisse testatur V, 2, 58. Nam cum inter divitum nobiliumque et mendicorum humiliumque condicionem multi tanquam gradus intersint, etsi, quo quis propius ad hanc

Digitized by Google

accedit, eo certiorem habet secundum legem illam divinam spem salutis, tamen consentaneum est aliquam deorum lenitatem etiam ad eum pertinere, qui ab hac condicione aliquo intervallo distans non tamen illico in ipsam contrariam partem venit. Et id quidem prorsus cadere in Charmidis personam apparet, honestum civem et industrium, non carentem aliquo peculio, sed ab opulentia et dignitatis splendore satis remotum, suoque labore rei familiaris incrementum aliquod non sine aerumnis quaerentem.

I nunc et luculentissimis versibus 10—20 praeclaram scenam decurtatam in undecim versiculorum ieiunam exilitatem redige; languidissimo exitu gratiarum testificationem Charmideam hoc termina: *Atque tuam hanc apud homines gloriam auribus iam acceperam ante*; hinc autem asperrimo sententiae hiatu ad illa transi: *Sed quis hic est qui in plateam ingreditur*? denique bonum poetam adeo fac delirantem, ut uno tenore has sociasse sententias credatur: *omnes te crudelem queruntur; ego clementem expertus sum: atque talem te praedicari prius cognoveram.*

III.

Longe graviorem interpolationis speciem illa habent, quae in fine scenae quartae (quae aliis est quinta) actus IV leguntur, sic constituta ab Hermanno:

Hic meo hero amicus solus firmus restitit,
Neque demutavit animum de firma fide.
Sed hic unus, ut ego suspicor, servat fidem.
Quanquam labores multos ob rem heri mei
Et liberum eius eum ego cepisse censeo.

Mitto nunc quaerere, in librorum memoriam haec necne conveniant: de sola sententia quaero, quam recte

Digitized by Google

procedere nego. Et displicuit illorum medius versuum iam Grauerto, adeo ut inducendum diceret in Diar. scholast. a. 1829 p. 31 annot. Quo servato negari nequit valde claudicare, quae laxius sane et languidius subiiciuntur *Quanquam labores* e. q. s.: quae non ex illo potius versu quam e superioribus nectenda erant. Multo etiam aegrius hoc fero, quod primis versibus duobus nec duas sententias enuntiatas video, nec unius bina membra, sed eandem molestissime bis positam: quando post *amicus firmus restitit* nihil profecto novi accedit his adiectis: *neque demutavit de firma fide.* — Ex his, quae breviter significavi, propemodum iam consectaria est, quam ineundam putemus, emendandi ratio. Etenim cum in Vetere codice sic scripti Stasimi versus exstent:

Hic meo ero amico solus firmus restitit
Neque demutavit animum de firma fide
Quanquam labores multos
Sed hic unus ut ego suspicor servat fidem
Ob rem labore meum ego cepisse censeo. Lysitelis:

apparet eum versum, qui quo positus est loco ferri prorsus nequeat, eodem iure nec ullo modo maiore conatu post eum qui consequitur, quam cum Hermanno ante eum qui praecedit collocari. E qua ratione longe diversa vis sententiae haec apta est, ut *Quanquam* cum suo enuntiato ad solum secundum versum pertineat, hic autem molestae et inutilis repetitionis crimen ipsius enuntiati illius accessione effugiat, sic quidem: *Hic meo ero amicus solus firmus restitit, ac ne laboribus quidem summis, quos ei illius caussa sustinendos fuisse censeo, ut animum de firma fide demutaret moveri potuit.* Quibus nunc demum percommode controversus versus ille succedit: *Sed hic unus, ut ego suspi-*

Digitized by Google

cor, servat fidem. Quae verba non eo valent, ut ex omnibus Charmidis familiaribus solus fidus restitisse Callicles iterum dicatur: quae ipsa inutilis sit eiusdem sententiae repetitio; sed ad homines vel cives universos spectat, inter quos, ut pro moribus saeculi, praeter unum Calliclis exemplum fidem a nemine servari Stasimus *suspicari* se ait: nam de familiaribus ne suspicatur quidem, sed scit, idque *fidus restitit* verbis definite dixerat. In mores autem saeculi malamque civium fidem sat acriter idem ille Stasimus ipsa proxima scena invectus erat v. 25 sqq., velut his exemplis:

Nam nunc mores nihili faciunt, quod licet, nisi
quod lubet. —
Neque istis quicquam lege sanctumst: leges mori
serviunt:
Mores autem rapere properant qua sacrum qua
publicum. —
Nam id genus hominum hominibus
Vniversis est advorsum atque omni populo male
facit:
Male fidem servando illis quoque abrogant
etiam fidem,
Qui nil meriti.

Quibus adde eiusdem Stasimi verba III, 1, 20 sq.:

Ninium difficilest reperire amicum ita ut no-
men cluet;
Quoi tuam rem quom tradideris, sine cura omni
dormias.

Quae restant, non magno negotio expedientur. Transposito enim illo versu quae in Palatinis supersunt (cum Vetere enim convenit Decurtato, nisi quod lacunae, ut in continua scriptura, nullum indicium): *quanquam labores multos ob rem labore meum ego cepisse censeo,* ad eorum similitudinem propius quam Hermannus ac-

Digitized by Google

cessisse videbimur, si non duobus locis, sed uno tantum aliquot voculis insertis mutilam et orationem et sententiam et mensuram sic suppleverimus: *quanquam labores multos ob rem et liberos* [*absentis mei eri*] *eum ego cepisse censeo*: nam multo adeo simplicius et in rerum veritatem convenientius *res et liberi eri* concrediti fuisse Callicli dicuntur, quam *res eri et liberorum*. — Ceterum suam versuum collocationem Hermannus ex iis libris hausit, qui e recensione Itala fluxerunt: sed is tamen non se dicipi passus eo, quo decepti Bothius et Lindemannus apertissima vestigia binorum versuum in singulorum speciem contraxerunt. Nam cum mediis quibusdam praetermissis in ed. princ. legatur *quanquam labores multos ob rem eum cepisse censeo*, in Lipsiensi autem cod. brevius etiam *q. l. multos cepisse censeo*, valde exili forma sententiae hos illi versus commenti sunt infelicissime:

Quanquam labores multos cepse censeo:
et *Quamobrem labores eum cepisse censeo.*

Nolo reliquis ineptiis Lindemanni immorari, cum ad satietatem sane exagitatis aliorum erroribus tantum iam bonae et operae et chartae perdiderim: unum hoc non possum quin breviter perstringam, quod incogitanter Camerarium secutus Stasimi orationem non posse non *ironicam* esse dixit: necdum enim scire servum posse, quam revera fidus Callicles fuerit. Ergo unde tandem Charmides scit, cuius cum Callicle sermones omnes Stasimus audiit? Ille enim, cum post suam illam exclamationem v. 2

O Callicles, o Callicles, o Callicles,
Qualine amico mea commendavi bona!

Calliclis hoc responsum tulisset:

Probo et fideli et fido et cum magna fide.
Et salve et salvom te advenisse gaudeo:

Digitized by Google

repente animo mutato

Credo ait *omnia istaec, si itast ut tu praedicas,* et amici fide firmiter sibi persuasa in gratiam cum Callicle rediit. Aut igitur, quam fidelis ille fuerit, neutro loco sciri potest aut utroque: ut corruat, quae uni posteriori adhibita sit argumentatio. Verumenimvero si, quid res ipsa iubeat, quaerimus, non potest mea sententia ullo pacto dubium esse, quin illud neutro loco sciri queat, meritoque in mira illa fiducia suspicacissimae diffidentiae pedisequa Grauertus haeserit. Quae enim tandem sunt *omnia istaec,* quae se credere Charmides affirmat? quando nihil Callicles nisi hoc unum dixit, fidum se esse, id autem ne uno quidem verbo vel explicavit vel comprobavit. Ergo Grauertus cum gravi lacuna scenae initium detruncatum putavit, rem quod aiunt acu tetigit. Nec per se improbabiles proposuit, quo rem exemplo declararet, a se factos hos versiculos:

Probo et fideli et fido et cum magna fide.
Id ita esse ut credas, verbis tribus effecero:
Nam mentem iam tibi quid turbarit, suspicor.
Emi egomet aedes, ut, quem tu olim abiturus hinc
Thesaurum ibi abscondisti, servarem tibi.

Sed hos versus quod excipi ab illo voluit, leviter ab initio mutato,

Sed salve et salvom te advenisse gaudeo,

id probari nequit. Hiant enim haec non mediocriter. Vt paucis complectar, non ante hunc lacuna est, sed post eum, nec divellendi sunt *Probo et fideli* . . . . . *Et salve et* . . . . . Nam, ne quid erres, *Et* illud non iungit hunc cum priore versu, sed proximo *et* refertur. E quibus consequitur, ut aliquanto plus, quam Grauerto

Digitized by Google

visum, interciderit. Credibile est, Calliclis versibus Charmidem in hanc fere sententiam respondisse:

Quid sálve! pol istanc égo salutem nón moror.
Illúd volo scire, tú qui servaris fidem,
Qui méd absente, quaé tibi commendáveram
Tuaéque peregre hinc ábiens credideràm fide,
Bona líberosque, péssum dederis ómnia?

Sed quoniam occepi, pergam ludendo: ita enim facillime, quibus praeterea in rebus Grauerti exemplum non mihi satis faciat, intelligetur. Nam tantum a nemine non concedi puto, si modo de lacuna omnino constet, prorsus nihil interesse quaternos an vicenos versus excidisse statuamus. Sic igitur persequi sensum sermones poeta potuit:

CAL. Pol véterem amicum ré non compertá malis
Verbís obiurgare, haút esse aequom cénseo.
Nam et érras et mihi súmmam facis iniúriam.
CHA. Hascíne tute emisti aédis, unde exís modo,
Meumque éxturbasti hinc Lésbonicum fílium?
Estne hóc quod dico an nón est? respondé mihi.
CAL. Emi égomet aedis, émi ut servarém tibi.
Absque eo ésset, alii véndidisset fílius:
Et hás tu et una thésaurum illum pérderes,
Quem illíc abstrusum fídei mandarás meae.
En sálvas trado: tíbi illas emi, nón mihi.
CHA. Quid ais tu quaeso? pró deum atque hominúm fidem,
Subitó malefacti fácis me dispudeát mei,
Amícum pro benefáctis qui increpáverim.
CAL. Quid ígitur? iamne fídum credis me ét probum?
CHA. Credo, ómnia istaec sí ita sunt ut praédicas.

Nam sic ultimus non haesitanter et scribendus et con-

Digitized by Google

struendus est. Quod e Palatinis libris et ed. princ. vulgatur, *si itast ut praedicas*, e male intellecto *sunt* vocis compendio *st'* ortum est. Et ne versus quidem constabat nisi inserto Hermanni coniectura *tu* pronomine. Nihili autem est sententia: *credo haec, si ita est ut dicis*, nec magis rationi consentanea haec: *credo haec, si ita sunt ut dicis.* Qualis quidem condicionis vis non alia nisi haec sit: *credo hoc verum esse, si verum est.* Dicendum fuerat aut *credo haec ita esse ut dicis*, aut saltem *credo quae ita esse dicis.* Ergo ad aliud quiddam referendum illud *credo* erat, reliqua autem mutata interpungendi ratione coniungenda. — Ceterum si illorum, quos lusimus, versuum similes Callicles pronuntiabat, sat multa restabant, ad quae et proxima eius verba spectarent: *sed narrabo intus tibi et hoc et alia* (v. 9), et initium eius scenae, qua post rationem a Callicle singillatim redditam rursum ex aedibus Charmides prodiens, quam firme sibi Calliclis fidem huius narratio persuaserit, his versibus declarat (V, 2):

Néque fuit neque erit neque esse quenquam hóminum in terra dum árbitror,
Quoi fides fidélitasque amicum erga aequiperét tuam:
Nam éxaedificavisset me ex his aédibus, absque té foret.

Ita enim, *tuam*, medio versu scribendum pro *suum*. Superiore scena nihil nisi hoc Charmides significaverat, credere se, si omnia ita essent ut dixisset Callicles: nunc, quin ita sint, nihil iam dubitationis sibi relictum fatetur.

Nunc ut revertamur, unde digrediendum fuit, satis ab omni parte munita videtur scenae haec forma extremae:

Digitized by Google

Hic méo ero amicus sólus firmus réstitit:
Neque démutavit ánimum de firmá fide,
Quanquám labores múltos ob rem et liberos
Abséntis mei eri eum égo cepisse cénseo.
Set hic únus, ut ego súspicor, servát fidem.

Quos versus me non monente intelligitur a Stasimo dici, dum abitum parat vel potius in ipso iam discessu est, quem fieri erus iusserat: quo genere terminandarum scenarum offendi nequit qui non luscitiosis oculis Plautum attigerit. — Denique, ne quid nugarum praetermittam, Charmides quod praeter Calliclem, si Stasimi verba (*solus firmus restitit*) sequimur, nullum amicum expertus esse fidum credendus est, id etsi ipsa fabula non est dedita opera explicatum, tamen quo iure dici potuerit sine ulla audientium offensione, unumquemque putamus sua sponte perspecturum praeter unum quidem carnificem illum, cui difficilius culpa scilicet illa poetae excusari visa est, quam hi quinque versus cuncti tanquam obtorto collo iugulari. An extitit praeter unum Calliclem, cui ulli curae Charmidis aedes essent a perditissimo adulescente proscriptae? qui argentum de suo daret? malignissimas denique civium criminationes in se ultro reciperet? Sed *in huiusmodi negotio diem sermone terere segnities merast, quamvis sermones possunt longi texier.*

IV.

In suspicionem vocata est etiam illorum pars, quibus de dotanda Charmidis filia Callicles et Megaronides deliberant act. III sc. 3. Praetermissis nunc aliis mendis non paucis, quibus haec scena etiamnunc deformata est, ordior a Megaronidis verbis v. 20:

Digitized by Google

Vide, si hoc utibile magis atque in rem deputas,
Vt adeam Lesbonicum, edoceam ut res se habet.

Sic enim est in Palatinis. Non potest autem Megaronidis esse, adire Lesbonicum, sed Calliclis. Nec enim illi quidem quicquam rei est cum Lesbonico, nec caussa ulla intelligitur cur in semet hoc negotii recipere quam Callicli, ad quem id pertinebat, committere malit, et id omnino agit, ut Callici, non sibi quid faciendum sit comminiscatur. Quo longe gravissimum hoc accedit, quod sic Callicles respondet:

Vt ego nunc adulescenti thesaurum indicem
Indomito, pleno amoris ac lasciviae?

Nam prioribus quidem convenienter necessario dicendum erat aut *ut indices* aut *ut indicari patiar.* Parum enim Plautum norunt, qui tam incongruam orationem ei tribuant. Eamque caussam fuisse apparet, cur in Italam recensionem corrigendi studio *adeas — edoceas* inferretur, quod habet Lipsiensis codex, idemque ex editionis principis scriptura *adeam — edoceas* Pius Saracenusque efficerent, Acidalius autem quamvis pessumdato metro probaret. Idem consequi se posse Bothius putabat durissima invecta hac constructione: *Vt adeam Lesbonicum edoctum ut res se habet.* Veriorem viam Ambrosianus monstrat *Ipsum adeam — edoceam* praebens. Aut fallor aut aliquid audendum est. Quodsi olim scriptum fuerit

Ipsum adi adulescentem, edoce eum uti res se habet,

LESBONICUM

satis perspicitur quomodo ex ADIADULESCENTEM nasci ADEAMLESBONICUM potuerit: unde consequens fuit *edoceeum* ut in *edoceam* transiret. Nisi ab hoc potius corruptela exorsa illuc postmodum serpsit.

Digitized by Google

Pergit deinceps Callicles:

Minumé, minume hercle véro: nam certó scio,
Locúm quoque illum omnem, úbi situst, coméderit.
Quem fódere metuo, sónitum ne ille exaúdiat:
Ne rem ipsam indaget, dótem dare sí dixerim.

Vbi quod vulgabatur *Neu ipsam rem* propter elisionis insolentiam ferri posse negans Hermannus (praef. p. XIV) in *Ne ipsam rem* convertebat: cum posset etiam transponendo illud incommodi sic tollere *Neu rem ipsam*. Quae collocatio verborum cum ex Ambrosiano et Vetere recipienda fuerit, tamen ne sic quidem *neu*, quod libri omnes tenent (nisi quod in Vetere est *Ne urẽ ipsã*), habet qui defendatur. Nam non eo animo metuere se fodere Callicles dicit, ne vel sonitum ille exaudiat vel rem ipsam indaget: quae minime diversae sunt metuendi caussae: sed ne sonitu exaudito rem indaget. Vt in hanc formam Calliclis sententia omnis redigi possit: Nolo eum fodiendi sonitum exaudire, ne, si alterum illud accesserit, quod dotem me dare velle dixerim, rem ille ipsam indaget. Ineptit ut consolet Lindemannus. — Hos versus hi vulgo excipiunt senum sermones:

MEG. *Quo pacto ergo igitur? CAL. clam dos depromi potest,*
Dum occasio huic rei reperiatur; interim
Ab amico alicunde argentum roges.
MEG. *Potin' est ab amico alicunde exorari? CAL. potest.*
MEG. *Gerrae: ne tu illud verbum actutum inveneris:*
Mihi quidem hercle non est quod dem mutuum.
CAL. *Malim hercle ut verum dicas quam ut des mutuum.*
MEG. *Sed vide consilium, sí placet.*

Digitized by Google

In his primum omnium non assequor vim et constructionem *dum* particulae v. 28. Aut enim dictum oportuit *clam dos depromi potest* (*poterit*), *cum* (vel *quando*) *occasio ei rei reperietur*: aut si *dum* voles pro *dummodo* positum esse, *clam depromi potest, dum occasio exspectetur* h. e. si modo aliquantum temporis concessum sit nec nunc statim nobis properato opus esse putemus. Nam *dummodo* (*wofern nur*) *occasio reperiatur* prope eodem redeat, ac si sic loquare: *depromi potest, dummodo possit.* Quodsi non reperitur occasio, non potest dos depromi: ergo nihil dixerit Callicles. E quo efficitur, ut non cum prioribus, sed cum iis quae consequuntur *dum* illud cum suo enuntiato iungendum sit in hanc quidem planissimam sententiam: *Dum* (h. e. *bis dass*) *occasio huic rei reperiatur, mutuandum est argentum.* — Sed restat non minus gravis dubitatio. Quo enim referri Megaronidis verba *quo pacto ergo igitur* dicamus? quando suppresso verbo senex quaerit. Quod enim exspectamus, *facias* vel *rem instituamus* vel eiusmodi quiddam, id ipsum unde tandem huc asciscamus? Quod puto sentientes *igitur* in *agetur* priores inde a Merula editores mutarunt. Nec repente abrupto sermoni ullus in placida et tranquilla consultatione locus. An *dotem dabis* cogitatione repetes e praegressis *dotem dare si dixerim?* At ne hoc quidem ratio patitur, cum illa non in principali enuntiato posita sint, sed in suspenso ex illo. Quo accedit, quod non magis recte ea quae respondentur procedunt: *clam dos depromi potest.* Debuerat Callicles saltem? *clam dos depromenda est.* Quanquam, ut acrius instem, ita quid tandem docet Megaronidem, quod is non antea scierit atque adeo ipse ei Callicles suis illis versibus apertissime significarit, quibus vel fodere se metuere dixerat? Cur enim

Digitized by Google

non audet, nisi hanc ipsam ob caussam, quod clam vult, non palam dotem depromi? Vt iam non hoc potius Megaronidi iterum audiendum sit, clam dotem depromendam esse, quam quomodo possit clam depromi sive audiendum sive interrogandum. Atque eam ipsam in partem tam plane et aperte scriptorum memoria librorum valet, ut permirum sit criticorum nullum perspexisse. Sic enim (certo licet et confidenter loqui) quaerentem Megaronidem poeta fecit:

Quo pácto ergo igitur clám dos depromi potest?

sic autem Calliclem respondentem:

Dum occásio ei rei réperiatur, interim
Ab amico alicunde mútuum argentúm rogem.

Illud igitur cum dicit Megaronides: *sed tu si tanto metu excruciaris, ut ne fodere quidem audeas, quo tandem modo id ipsum quod cupis efficies, ut clam dos depromatur?* non aliud nisi hoc significat: *sed ita quidem omnino non poterit clam dos depromi:* eius ut interrogatio e rhetoricarum magis quam e logicarum genere sit. Respondet autem Callicles in hanc sententiam: *nec ego sane habeo, qui illud nunc statim fieri posse dicam, sed idoneam depromendi occasionem, quam non defuturam confido, exspectandam censeo, interim autem, quoniam argento cummaxime opus habemus, id ab aliquo amico mutuum sumendum.* Nam, ne quid erres, mutuari non vult eo, ut pecuniam sibi pariat, quo nimirum sine amici beneficio careat; praesto est enim ipse Charmidis thesaurus; sed aliquid comminiscendum esse intelligit, unde petitam esse pecuniam dicat, quo nec in civium reprehensionem nec in suspicionem Lesbonici incurrat. Quodsi de suo se dare ob amicitiam patris dixerit simpliciter, talis quidem liberalitas nec populo poterit non suspecta esse (v. 8—15), nec ipsi Lesbonico: cui Lesbonici suspi-

Digitized by Google

cioni si altera haec accesserit, cuius caussa exauditus effossi thesauri sonitus, de thesauro res omnis patefiet (v. 25. 26: *sonitum ne ille exaudiat, ne, si* simul *dotem* de meo *dare dixerim, rem ipsam indaget*). Ergo ut de thesauro nihil permanascat, duplex iniri via potest, aut ut altera saltem suspicionis caussa tollatur, ne duae simul concurrant, aut ut utraque. Et hanc quidem Callicles insistit. Cui vel fodere metuenti cum Megaronides respondisset, ita quidem omne depromendi auri consilium omnino abiiciendum esse, Callicles ne opus quidem esse ait illud ut continuo fiat: posse argentum tantisper mutuum sumi, reperta autem fodiendi opportunitate post aliquando reddi. Mutuum enim si sumitur, hinc autem virginem dotatam esse et Lesbonico innotuit et inter cives percrebruit, simul commenticiae benignitatis suspicionem senex a se amoverit. Nec est cur hoc quidem consilium per se improbetur Megaronidi: unum hoc negat, creditum iri pecuniam. Ergo duarum illarum, quae patebant, viarum alteram amplexus Megaronides satis esse dicit, si altera tantum suspicandi caussa removeatur: effodi sine ullo timore thesaurum posse, nec quicquam Lesbonicum quamvis sonitu exaudito suspicaturum, modo ne a semet dari, verum a patre missam esse dotem Callicles dicat. Atque in hanc partem apertissime illa valent, v. 54 sqq.:

hoc, ubi thesaurum effoderis,
Suspicionem ab adulescente amoveris.

Quibuscum vv. 69—76 contendendi. — Tantae igitur molis erat, a temeraria suspicione innocentissimos versus 28—33 defendere, quorum si paullo reconditior, at eadem sanissima ratio est. Quibus quidem omissis versibusque 27 et 34 continuatis ecquid omnino sani relictum est, nec balbutientis potius pueruli similis sapientissimus poeta existit? Ergo sibi potius hoc laudis

Digitized by Google

habeat, qui loqui summum dicendi artificem docere voluit.

Explicato sententiarum nexu universo restat ut singula quaedam expediantur. Et v. quidem 27 *ergo igitur* particularum consociatio satis auctoritatis ab Appulei exemplis habet, quae Tursellini II, p. 465 Handius commemoravit. — V. 28 *rei*, quod ab libris omnibus, etiam Ambrosiano abest, rectissime addidit Camerarius. — Proximum, longe petitis et ex parte turpissimis coniecturis inde a Camerario vexatum, ex Ambrosiano ascita omnium simplicissima notione *mutuum* redintegravimus. In fine autem versus *roges* non magis ferri potest quam v. 21 *adeam* et *edoceam*: id quod recte Italus corrector perspexit, cui *rogem* debetur in Lips. cod. et ed. princ. exstans. Nec raro personarum formae verbales in libris permutatae, velut in ipso Ambrosiano I, 1, 5 *faciat* legitur pro *faciam*, in Vetere I, 2, 158 *volebat* pro *volebam*, II, 2, 87 *expetis* pro *expetit*, IV, 2, 36 *habitem* pro *habitent*, ibid. 144 *aiebat* pro *aiebas*, IV, 3, 61 *fies* pro *fiet*: ut in his subsistam. — V. 32 cum Hermanno nego non acuta paenultima *mihi* potuisse poni ante *quidem*, nec invenio quod praemissa ab eodem *pol* particula esse aptius dicam. Nam *Ne mihi* etsi facilius etiam restituas, tamen non possit non displicere continuis versibus duobus iterata asseveratio. Nec video cui usui esse Vrsiniani codicis haec scriptura possit: *inveneris mihi* ‖ *Mihi quidem*. — V. 33 egregie negatur Lindemannus, *ut des mutuum* verbis in *mutet fides* perversis. Illud, quod testari etiam Ambrosianus videtur, ex Veteris codicis memoria *uides mutuum* verissime ab Camerario erutum quas depravationis tanquam successiones expertum sit, e ceteris libris patefit: nam *uides mutaui* est in Vrsi-

mutuum

Digitized by Google

niano, *uides mutaui* in Decurtato, *fides mutetur* in interpolatis Lipsiensi et ed. principe. Sed quae librorum vestigia recte interpretatus est Camerarius, non item recte est tutatus. Non Megaronidi haec dici, sed illis referri: *Mihi quidem hercle non est quod dem mutuum*, ut in propatulo est, ita omnes consentiunt. Qua igitur patientia tulerunt, quod non potest non ad solum spectare Megaronidem, *dicas* et *des*? An Furium *Memnona iugulantem* et *cana nive Alpes conspuentem* animum induxerunt in comoediam immittere? Non potest meo iudicio ulla dubitatio esse, quin tertiae personae forma Calliclem utentem fecerit poeta. Atque aliquid huiusmodi sensisse Lambinus videtur: quanquam mirum est solum ab eo *det* propositum esse Gronovium annotare. Sed age adde *dicat* pro *dicas* substitutum: ne sic quidem rationi satisfactum concedo. Nam cum non unus aliquis amicus cogitetur, qui tergiversaturus sit, sed ea infidelitas tribuatur omnibus, consentaneum est ad omnes spectare Calliclis responsum. Vt uno verbo dicam, si, quod ratio efflagitat et uniuscuiusque puto sensus expetit, id scripsit poeta, censendus est *dicant* et *dent* dedisse: hoc ut novum exemplum illi permutationum generi accedat, quod ante tangebamus. Acerbius autem Callicles respondet, quam iis visum est, qui in hanc sententiam interpretantur: „si nolunt mutuum dare, vellem saltem veram detrectandi caussam ne celarent atque nolle se potius quam non posse dare faterentur". Immo tam se illis iratum ostendit, eis ut male precetur: „utinam verum sit, quod dicunt nihil sibi argenti esse" h. e. „utinam ad inopiam redacti sint: hoc iam mihi gratius futurum sit quam accipere argentum ".*) — Summam igitur eorum

*) Nova ratione vulgatam scripturam Kampmannus de *As* praepos.

Digitized by Google

quae disputavimus hanc habeto:

MEG. Quo pácto ergo igitur clám dos depromi potest?

CAL. Dum occásio ei rei réperiatur, ínterim

---

usu Plaut. p. 11 defendere conatus est. Is ipsi sane Megaronidi responderi arbitratus Calliclem ait hoc dicere: *pluris sua interesse ut Megaronides verum sibi dicat, fidum sibi suppeditet consilium, quam ut mutuum det argentum.* At vero in hanc quidem sententiam primum non quadrat *malim: verum* enim illud Megaronides iam dixerat: ut saltem *malo* dicendum fuerit. Deinde non profecto Megaronides is est, a quo argentum Callicles vel petierat vel exspectaverat: qui potius *haud magna cum re* homo cogitandus est. Nam ne id tacito exspectari a Callicle dicas et per ambages significari: reputandum est ita quidem non potuisse ullo modo fieri, ut post auditam Calliclis hanc sententiam: *gratius tu sane mihi facis non celata, sed ingenue pronuntiata veritate, quam commodato argento:* post haec igitur non sine aliquo aculeo dicta ut prorsus conticesceret Megaronides ac ne uno quidem verbo suam vel inopiam excusaret vel voluntatem testificaretur obliquumque Calliclis opprobrium dilueret. — Sed in eo quoque a vero Kampmannus aberravit, quod v. 31 *verbum* in *verum* mutato hoc dici sibi persuasit: „*du wirst folgenden Spruch sogleich wahr (durch die Erfahrung bestätigt) finden*“ Ferri hoc possit, si, ut exemplo utar, tale quiddam sequatur: *Subito pauper fit, si quem rogandi argenti caussa amicum convenis:* vel *Argentum ubi petitur, deficit amicitia.* Vt tribus verbis complectar, generalis sententia aliqua requiritur: quali prorsus caremus, si ipsa recusantis et tergiversantis verba afferuntur. Ac ne nostratium quidem quisquam ea, quae amicum respondentem facit Megaronides, „*einen Spruch*“ vocaverit. Nam quod Kampmannus ait *audiveris* ita dicendum fuisse, non *inveneris*, de eo quoque opinio eum fefellit. Non licet profecto *invenire* verbo simpliciter et quovis pacto uti pro *audire*, sed certa condicione potest licere, et hoc ipso loco ita licet, ut Callicles cogitetur pro argento, quod se inventurum speraverat, verba illa inventurus. — Ceterum nec illud intelligo, qui Kampmannus mutationem suam dicat Calliclis responso (*Malim hercle ut verum dicas*) confirmari, cum utriusque *verum* vocis, ipsam Kampmanni interpretationem si sequimur, diversissima sit relatio.

Digitized by Google

Ab amico alicunde mútuum argentúm rogem.
MEG. Potin' ést ab amico alicúnde éxorarí? CAL. potest.
MEG. Gerraé: ne tu illud vérbum actutum invéneris:
Pol mihi quidem hercle nón est, quod dem mútuum.
CAL. Malim hércle ut verum dícant, quam ut dent mútuum.
MEG. Sed víde consílium, si placet.

Videamus igitur nos quoque: ut tanquam corollarii loco eos versus et expediamus et suppleamus, qui etsi cum interpolatione vel vana interpolationis suspicione nulla coniuncti sunt, tamen et lacunose et turbato pristino ordine sic vulgantur:

Homo conducatur aliquis iam, quantum potest,
Quasi sit peregrinus. CAL. quid is scit facere postea?
MEG. Is homo exornetur graphice in peregrinum modum,
Ignota facies, quae non visitata sit,
Falsidicum, confidentem. CAL. quid tum postea?
MEG. Quasi ad adulescentem a patre ex Seleucia Veniat e. q. s.

Incredibilia Plauti editoribus multa acciderunt: sed nihil incredibilius quam haec potuisse defendi. Nam primum, qui tandem aliquis potest ita conduci, *quasi sit peregrinus*? Deinde, sanane ratio ulla illius potest nominativi excogitari *ignota facies*? Tertio, quonam gentium referri accusativos *falsidicum, confidentem* dicas? quando etiam si abesset versus 39, inaudito loquendi genere *falsidicus confidensque modus* diceretur. Vix vidi tactrioribus vitiis scatentem orationem. Itaque recepta Saraceni emendatione *ignota facie*, quam

Digitized by Google

Acidalius quoque commendaverat, Bothius, ut illa *quasi sit peregrinus* haberent quo referrentur, versum 39 collocabat post 36. Quem in eo secutus Goellerus, sed ita secutus ut simul versum 37 permire collocaret ante 41, nihil tamen offendit in versuum 38. 40 continuitate: quorum posteriorem Bothius quidem inter v. 45 et 46 inserebat loco ineptissimo, deleri autem iusto calidius iubebat Scaliger. Omnium autem primum illud videndum erat, verba quae sunt *quasi sit peregrinus* non alio nisi ad *exornandi modum peregrinum* pertinere. Fidem ipse poeta faciat, cuius haec sunt Persae I, 3, 74 sqq.:

TOX. Lepide hercle dicis. set scin quid facias? cape
Tunicam atque zonam et chlamydem afferto et causiam,
Quam ille habeat, qui hanc lenoni huic vendat.
SAT. eu probe.
TOX. Quasi sit peregrinus. SAT. laudo. TOX. tum et gnatam tuam
Ornatam adduce lepide in peregrinum modum.

Eundemque ordinem postea vidi (nam pridem cum auditoribus meis communicaveram) etiam Scaligerum aliquo tempore suasisse: alio enim tempore Bothianam rationem commendavit: utroque eum versum, qui a miris illis accusativis incipit, expungens. Et tamen non fuerat difficile divinando assequi, e quo fonte mirae illae constructionis salebrae manassent. Etenim hic quoque aliquid excidisse iam non coniicimus tantum, sed Ambrosiani codicis virtute compertum habemus. In quo inter v. 39 et 40 integer versiculus hic accedit:

MENDACILOCUMALIQUEM QUID .. ISCITFACEREPOSTEA

De quo iam olim commonefeci in Diar. antiqu. stud. a. 1837 p. 743. Etsi enim hac ipsa accessione nondum

Digitized by Google

redintegratur constructio verborum, tamen eius redintegrandae via apertissime monstratur. Nam alteram quidem versiculi partem facile intelligit, qui harum rerum usum habet, errore tantum e v. 37 iteratam extrusisse ea, quibus oratio nunc mutila compleretur: plane ut accidit Veteris codicis librario in Trin. V, 2, 50. 51, quos ille versus in hanc speciem perscripsit:

Aperite hoc aperite propere quod cum conuentū
Foras euocate ita subitost propere quod eū conuentū uolo. *)

Ergo licebit arti et rationi convenienter sic luxatos senum sermônes reconcinnare:

MEG. *Homo cónducatur iám aliquis, quantúm potest,*
Ignóta facie, quaé non visitáta sit.
Is homo éxornetur gráphice in peregrinúm modum,
Quasi sít peregrinus. CAL. *quíd is scit facere póstea?*
MEG. *Mendácilocum aliquem* [*esse hóminem oportet dé foro,*]
Falsídicum, confidéntem. CAL. *quid tum póstea?*
MEG. *Quasi ád adulescentem* e. q. s.

Conf. eiusdem scenae v. 86: *Ego sycophantam iam conduco de foro.* — Ceterum vix dubito quin illa: *quid is scit facere postea,* satis eo exemplo defendantur, quod ex ipso Plauto petitum huc accommodarunt, Pers. IV, 6, init.:

DOR. *Probae hic argenti sunt sexaginta minae,*
Duobus nummis minus. SAT. *quid ei nummi sciunt?*

Nam *quid sciunt* illud, h. e. *quid possunt, valent,* pror-

*) Similia exempla tetigi supra p. 237. 472. 477, longe plura olim additurus.

Digitized by Google

sus eodem redit, ac si dicas, quod ipsum exspectamus, *quid eis facere vis.* Atque hoc ipsum Hermannus mutatione quadam sua consequendum putabat: *quid istoc facere postea.* Qui mihi infinitivi usus adeo dubius est, ut, si quid mutandum esse concederem, facilius eum ipsum infinitivum quam verbum finitum cogitatione addi dicerem et de hac cogitarem corrigendi ratione: *quid vis istoc postea: facere* ut ab interprete ascriptum putaretur. In Ambrosiano autem quae inter QUID et ISCIT duae litterae intercedunt, earum altera visa est S esse: ut nihil nisi ISISCIT pro ISSCIT peccasse librarius videatur. Ex eodem libro *iam aliquis* v. 36 pro *aliquis iam* reposui.

Ceterum Scaligerum cum dixi, duo significavi inclutae bibliothecae Leidensis exempla typis expressa, alterum Plantinianum Sambuco editore Anverpiae a. CIↃIↃLXVI vulgatum, in fronte his verbis manu scriptis insignitum: *Omnia quae in libro isto annotata sunt, Scaligeri e libris descripsit Commelinus, aut Gruterus;* alterum Basileense ex editione Camerarii a G. Fabricio a. CIↃIↃLVIII repetita, haec quidem ab initio monita tenens: *Loca multa ad oram manu sua emendavit IOS. SCALIGER* et *Reliqua manu aliena ex eiusdem altero Codice margini apposita.* *) Vtriusque

*) Scaligeranas in Plautum annotationes tenet etiam Regiae bibliothecae codex ms. 8185, de quo quae alieno testimonio confisus olim narravi Mus. phil. Rhen. IV, p. 208, non omni ex parte vera esse meis nuper oculis comperi. Versantur enim illae annotationes cum in explicando poeta tum in emendando: utrumque autem genus ad omnes fabulas viginti pertinet. Mihi etsi inspicere tantum licuit, facile tamen apparuit magnam harum schedarum illorumque exemplorum Leidensium in critico genere consensionem esse. — — — Dum in eo sum, ut hanc plagulam typothetae erroribus correctis remittam, forte fortuna

Digitized by Google

mihi libri usum consolita liberalitas EIVS VIRI concessit, quo et carius caput et clarius exemplum inter philologos nullum habeam, IACOBI GEELII. Cuius tam officiosae amicitiae nunc hoc quoque debeo, quod, quam ab auspicatissimo nomine exorsus sum, non minus auspicato iam concludere disputationem licet.

EPIMETRVM.

De lacunis Trinummi.

De duabus lacunis Trinummi supra p. 560 sqq. 573 sq. egimus. Tertia protracto ab Angelo Maio ex Ambrosiano codice versiculo expleta est, quem iam inter III, 3, 17 et 18 recentiores editiones omnes exhibent. Quartae lacunae eidem libro indicium debemus. Nam II, 4 cum vulgo hi sese versus excipiant 6 sqq.:

Piscator, pistor abstulit, lanii, coqui,
Olitores, myropolae, aucupes. confit cito,
Quam si tu obicias formicis papaverem —,

uno ante ultimum versu integriorem cognovimus Ambrosianum, sed eo tam evanido, ut non nisi has, quas infra posuimus, litteras extricare potuerimus, quarum

---

meum quendam errorem animadverto p. 515 commissum. Ibi enim quod *Nisi tu me mihimet* pro *Nisi tute mihi me* scribendum esse dixi, id cum sane meditando invenissem, nec recordatus sum nec propter neglectam aliquam schedulam vidi in ipso exstare Ambrosiano.

Digitized by Google

quae reliquis incertiores visae sunt, punctis notavimus:

NONHISCLEMINUSNUORS . . . . . CITO

Et ab initio quidem *Non hercle* scriptum extitisse, planissime apparere putamus. Vt non sane iniuria aliquid hinc dubitationis etiam ad illarum quinque litterarum lectionem pertinere suspiceris, quae post *minus* sequuntur. Quodsi, quod et in nexum sententiarum et in spatiorum numerum congruat, quaerimus, quanquam simplicissimum idemque aptissimum omnium aliquid huiusmodi facile videatur:

Obitóres, myropolae, aúcupes: confít vìto.
Non hércle minus [dìripitur argentúm] cito,
Quam sí formicis tu óbicias papáverem.
LES. *Minus hércle in istis rébus sumptumst séx minis: —*

vel *distrahitur argentum cito:* tamen haud scio an strictius etiam ea quae notavi vestigia sic premere liceat:

Non hercle minus [auorsumst argentum] cito:

ut non tam, quae cadit sane in formicas, distrahendi, dispergendi, dissipandi, quam furandi, subripiendi, auferendi notio teneatur, consueto id quidem *avertere* verbi usu. — Nunc demum intelligetur, quid illa *quam* particula sibi velit, pro qua *quasi* Acidalio et Hermanno invehenda videbatur.

Postremo de quinta huius fabulae lacuna neminem non suspicaturum puto, qui aliquanto diligentius hunc ordinem nexumque sententiarum perpenderit act. V sc. 2 a versu 40 sese excipientium:

40 CHA. *'Atqui edepol sunt rés, quas propter tibi tamen suscénsui.*
CAL. *Quid ego feci?* CHA. *meúm corrumpi quia' perpessu's fílium.*
CAL. *Si íd mea voluntáte factumst, ést quod mihi suscénseas.*

Digitized by Google

Sét sine me hoc abs te ímpetrare, quód volo.
CHA. quid id ést? CAL. scies:
Si quid stulte fécit, ut ea mísa facias ómnia.

Quid enim illud esse dicamus, Callicles quod ne negat quidem ullo verbo, sua voluntate filium corruptum esse? Apparet inter v. 42 et 43 aliquid huiusmodi desiderari: *Sed quid ego facerem? qui eum a lascivia prohiberem post argentum pro aedibus, quas venales proscripserat, ei redditum*? et quae cogitari possunt his affinia. Huc enim, non tantum ad priores Lesbonici nequitias quaslibet, ipsum illud *perpessu's* non potest non spectare velle Charmides: alioqui satis fuerat *passu's* dicere. — Atqui huic ipsi Charmidi quid tandem in mentem venit, ut hoc quidem loco Calliclem crimineturomnino? cuius criminationis nunc profecto ne minima caussa cogitari potest, quando, quicquid inter utrumque discidii intercesserat, pridem compositum est. Factum illud antea oportuit, quo tempore in aedes ingressi senes ea transegere, quae IV, 4 (5), 9 Callicles significaverat: *sed narrabo intus tibi et hoc et alia.* Quid enim tandem Charmidi narrasse Callicles existimabitur, si ne hoc quidem illi constiterit, nullam corrupti Lesbonici culpam in se Calliclem admisisse? Et revera haec omnia transacta esse, nec quicquam placato Charmidi suspicionis superesse, cum eoque prorsus in gratiam Calliclem redisse apertissimo testimonio ipsum initium scenae 2 actus V docet: *Neque fuit neque erit neque esse quenquam hominum in terra dum arbitror, Quoi fides fidelitasque amicum erga aequiperet tuam.* — Ergo igitur, ut paucis complectar, inde a v. 40 non *CALLICLEM* vel alloquitur Charmides vel huic respondentem poeta fecit, sed *LYSITELIS* omnes sunt cum Charmide sermones. Lysiteli enim postquam desponsata filia Charmides gratificatus est, sibique satis

Digitized by Google

exoptatum generum futurum esse significavit, nunc aliquid tamen esse subiicit, quod in illo non possit non improbare: quod amicus atque familiaris Lesbonici non impedierit monendo, castigando, obsecrando, quominus eo libidinis pravitatisque is delaberetur. Et satis recte in sodalem convenit, sodali patrem eundemque benevolentissimum sibi ipsi socerum exorare. Nec codicum indicia desunt, quae huic emendationi fidem faciant. Nam cum Decurtatus cum affinibus libris perpaucas personarum notas servarint, Vetus quidem etsi hac in scena saepissime eo in genere peccavit, tamen ipsi versui 41 non Callicli praemisit, sed Lysitelis notam, itemque versui 54, et versus 55 *ego* voci. — Nuncine igitur recte se habet versuum qui vulgo feruntur 42. 43 continuitas? Minime vero. Etsi enim non tanta, quanta Callicli, asseveratione Lysiteli, quo se Charmidi purget, opus esse sentimus, tamen non potuit profecto in eo acquiescere, ut merito sibi, si sua voluntate pessum ire sodalem passus esset, suscenseri diceret. Satis autem esse poterat, si vel duobus versiculis culpam a se segregaret velut hoc exemplo:

Si id mea voluntate factumst, est quod mihi suscenseas.
Verum incendium ubi, quod comedat, sibi paratum invenerit,
Ipsus scis quam sit difficile offusa aqua restinguere.
Set sine me hoc abs te impetrare quod volo.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIO X.

DE GEMINO EXITV

ANDRIAE TERENTIANAE.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE GEMINO EXITV ANDRIAE TERENTIANAE *).

Gratiam haud exiguam ab antiquarum litterarum studiosis vir praestantissimus Ludovicus Doederlinus iniit vulgata anno proximo Lectionum Variarum Triade, cuius extrema particula ad Terentium spectat. Cum enim in Erlangensi quodam codice ms. olim Altorfino, quem saeculo XI. tribuit nitideque scriptum dicit, Andriae, qualis nunc fertur, duodeviginti versus adiectos repperisset, et omisso quidem solenni in fine fabulae *plaudite* adiectos unique Pamphili personae ascriptos: hos et edidit et aliqua ex parte emendare studuit, alteram partem ut *a metro et sententia misere laborantem fideliter descripsisse satis ratus.* Nec de *aetate et conuenientia* totius accessionis illius quicquam iudicavit, nisi quod *sermonem et versus Terentio minime indignos haberi, et ipsa rerum obscuritate nonnihil fidei verbis addi* ait: quorum hoc quo valeat parum nos assequi fatemur. Praeterea non a se primum in lucem illa protrahi monuit: quippe quae pridem legerentur in Chr. Th. de Murrii Memorabilibus bibliothecarum Norimbergensium, part. III. p. 75, quanquam non satis accurate ad fidem

*) Edita a. CIↃIↃCCCXL.

Digitized by Google

codicis expressa. Hinc autem ut ordiamur, licet sane mirari, quid sit cur unum librum Altorfinum Doederlinus testem et fontem protulerit illius additamenti, quod quidem ipse Murrius non tantum annotatione significet item in Ebneriano quodam codice etiam antiquiore exstare, sed ex eo ipso codice plene transcriptum exprompserit eorundem Memorabilium parte II, p. 136 sq. Atque hunc ille librum saeculo X, Altorfinum autem non undecimo sed duodecimo tribuit. Nec tamen his duobus libris memoria istius rei omnis continetur. Eosdem enim versus, quod ipsum Murrium fugit, pridem Franciscus Guyetus posuerat Commentariorum in Terentii Comoedias, qui Argentorati a. MDCLVII prodierunt, p. 54. Et hic quidem eos *in quibusdam exemplaribus legi* dicit, p. 380 autem *ex antiquo codice* a se exhibitos memorat: nec tantum depravatissimos vocat, verum etiam suppositicios et Terentio plane indignos. Sed ne editores quidem Terentiani additiciam illam scenam prorsus ignorarunt. E Guyeti enim commentario repetiit Westerhovius vol. I. p. 217 sq., nec in mss. libris decem, quos ipse consuluerit, nec in impressorum quoquam, quibus uti contigerit, sibi repertam affirmans: ceterum de verbis intricatis et absurdis, immo barbaris querens, quibus intelligendis Oedipo opus esse coniectore. Ex Westerhoviana transiit deinde in Zeunianam editionem. Indidem autem, unde Westerhovius, in Poetarum scenicorum lat. corpus Bothius nostras recepit *appendicem spuriam* inscriptam, sed is quidem a semet nimirum emendatam et ex parte ut ait versificatam: non enim ita malos istos versus esse, ut quibusdam viderentur, tametsi eos Terentio suppositos. Qui quo iure *ex recentioribus quibusdam exemplaribus* a Guyeto protractos dicat, ipse viderit: quanquam *antiquum* illum *codicem* minime negamus potuisse ve-

Digitized by Google

terum aliquam editionum dici. Praeterea fugit Doederlinum copiosa de eadem illa scena G. H. Grauerti disputatio, Analecton hist. et phil. a p. 197 ad 204, qui etiam emendationem quandam suam corruptissimorum sane versuum proposuit propositamque commendavit, de qua quid sit sentiendum posthac apparebit. Postremo ne Donati quidem et Eugraphii Doederlinus mentionem fecit, quos non dubiis testimoniis constat eosdem versiculos ante oculos habuisse.

Sunt autem ipsi versus hi, quos infra posuimus ad exemplum Doederlini repetitos.

P a m p h y l u s.

Te exspectabam. est de tua re quod agere ego tecum volo.
Operam dedi ne me esse oblitum dicas tuae gnatae alterae:
Tibi me opinor invenisse dignum te atque illa. ver̄
Perii Dave de meo amore ac vita sors tollitur:
Non nove istaec mi condicio est si voluissem Pamphile.
Occidi Dave mane perii, id quamobrem non volui eloquar.
Non iccirco quod eum omnino affinem mi nollem hem tace.
Sed amicicia nostra, quae est a patribus nobis tradita.
Non aliquam partem studii adductam tradi liberis.
Nunc cum copia ac fortuna utrique ut obsequeretur dedit.
Detur benefactum abi atque homini age gratias. salves Chremes
Amicorum meorum omnium michi agissime.

Digitized by Google

Quid michi comminus est gaudio quam id quod abste expeto.
Me repperisse ut habitui ante hac fui tibi animum.
Quoadcunque applicaris studium exinde interii tute
Existimaveris. Id ita esse facere coniecturam ex me licet.
Alienus abste tamen. quis tu esses noveram. Ita res est gnatam tibi
Meam Philumenam uxorem et dotis sex talenta spondeo.

Subiungimus scripturae discrepantiam Guyeti (G) et codicis Ebneriani (E), quem ut appareat qua fide videatur Murrius excussisse, lubet etiam de Altorfino diversam a Doederlino Murrii memoriam (A) silentio non praeterire. Et personarum quidem nomina in E praemissa haec sunt: *Pamphilus. Chremes. Carinus. Davus.* Apud G praemissum eiusmodi nihil, sed singuli sermones nominibus distincti ea ratione, quam infra notavimus. V. 1. *P. Te* G *tecum* om. E 2. *Dedi operam* G 3. *atque illa virum* G. *atque illa* EA 4. *CHA. Dave, ah perii* G *vita nunc sors* G 5. *Non nove isthaec* E. *CHR. Non nova istec* G 6. *CH. Occidi Dave, perii. CHR. Sed id* G 7. *idcirco* G *omnino* om. G *mi*] *mihi* EGA. Non dubitamus, quin in codice scriptum sit $\bar{m}$, quo non significatur *mi*, sed ipsa plena forma *mihi*. *P. Hem tace* G 8. *CHR. Sed* G *nobis*] *nostris* EGA 11. *P. Bene. Factum* G *atque age homini gratias* E. *atque age gratias homini* G. *age gratias* A *CHA. Salves* G 12. *mihi agissime* EG. *agissime* A 13. *quod mihi comminus* EG *abste*] *a te*

Digitized by Google

G 14. *reperisse, ut habitus* G *tibi. animum* EA 15. *Quoad cumque* E. *quo adeumque* G *interit*] *ut erit* G 16. *facere ex me coniecturam ex me licet* G 17. *noveras* EG CHR. *Gnatam* G 18. *Philomelam* G Ceterum inde a v. 10 paullo aliter dispositos Guyetus exhibuit, ita ut septendecim tantum efficiantur.

De his igitur versibus ut recte iudicetur, cum quae ratio inter eos intercedat et reliquae fabulae argumentum et dispositionem, quaerendum est, tum ipsa versuum indoles ad artis normam exigenda. Nec vero, qua arte quave inertia facti sint, aestimare prius licebit quam a mendis, quibus laborant, probabili ratione liberati et in eam integritatem, si modo possint, restituti fuerint, qua e manibus poetae, quicunque ille fuit, prodisse credibile sit. Quodsi ea pristina illorum forma fuisset, quam instaurasse sibi Bothius et Grauertus visi sunt, actum sane esset de eorum antiquitate, nec esset quod vel tantillum operae in eis poneretur: tam illi non modo inficetos versiculos procuderunt et vel mediocri poeta indignos, sed a lingua et numeris et sententia vitiosos et ex parte vere barbaros. Quod ne severius quam iustius iudicasse existimemur, (neque enim in exagitandis et redarguendis singulis placet nobis esse putidis:) documento sunto v. 13 sqq. sic scripti a Grauerto:

(CHA.) *Quidquid beatum est, mihi pol minus est gaúdio,*
Quam id quód ego a te expetó me reperisse.
'Vt habitus
Antehác fui tibi animo ád eamque applicávi me,
Studium éxinde ut erit, túte existimáveris.

Hoscine Terentianos versus credi potuisse? quos nec

Digitized by Google

intelligas, nec sine gravissima prosodiacarum metricarumque rationum labe criticus effinxit. Qui quod unumquodque vocabulum a se positum affirmat ipsorum exemplis comicorum defendi posse: pervelim sane exempla promat correptae ultimae syllabae *applicavi* vocis, vel primae *reperisse* perfecti, vel tam dissecti et caesura carentis et misere exeuntis versus, qualis alter est: ut nihil nunc dicam de sententia et dicendi genere. An forte Bothio putas melius rem cessisse? Accipe igitur, is qua modestia quove pulcri et veri sensu in verba librorum fide prodita grassatus sit:

(CH.) *Tam gaúdeo, quod mihi cómmodum est, quam, illúd, quod a ted éxpeto,*
Me réperisse. Vt ávidus antehac fuit tuae animus, quóque me
Ád eam ádplicavi, stúdium exinde item erit. P. Tu existimáveris
Id ita ésse, et facere ex mé coniecturám licet.

Mirare quaeso in his praeter raras hercle sententias et constructiones correptam ultimam in *gaudeo*, Plautinam formam *ted*, accentuum elegantiam in *illúd, exinde item erit*, apte exaequatos cum versuum modulis enuntiatorum fines, denique venustum in media constructione ab octonariis ad senarios transitum. Experiamur igitur ipsi, si quid comminiscamur aliquo modo commendabilius. Ac duo tenenda sunt ita, ut ab iis tanquam a fundamento proficiscare. Primum enim extra dubitationem positum illud est, agi haec revera inter Pamphilum, Charinum, Chremetem et Davum: agi autem hoc, ut a Pamphilo Chremes exoretur, qui Philumenam filiam Charino, cui eam prius negaverit, nunc tandem despondeat. Deinde unicuique praeter Bothium arbitramur hoc patere, versu 12 mutari numerorum genus ita, ut trochaicos septenarios excipiant senarii. Quod

Digitized by Google

quidem ipsa verborum externa continuitas tam manifesto docet, ut mirere Grauertum, qui multis verbis p. 202 sese excuset, quod in continuandis trochaicis frustra elaboraverit, eiusque rei offensionem levare ascitis e Plauto exemplis studeat. Quid enim exemplis opus, ubi res ipsa clamat? Quanquam Bothio sane clamare adeo non est visa, ut a decem trochaicis septenariis uno iambico octonario interruptis per alteros iambicos octonarios quattuor ad quattuor senarios perrexerit. Sed hoc non mirum in eo, qui consimiles turbas patientissimo per sex et viginti comicorum fabulas stomacho concoxerit. Vide autem, num a manu poetae propius haec absint.

PAMPHILVS.

Te exspectabam: est de tua re, quod agere ego tecum volo.
Dedi operam, ne me esse oblitum dicas tuae gnatae alterae:
Tibi me opinor invenisse dignum te atque illa virum.

CHARINVS.

Perii, Dave: de meo amore ac vita [nunc] sors tollitur.

CHREMES.

Non nova istaec mihi condicio est, si voluissem, Pamphile.

CHARINVS.

'Occidi, Dave.

DAVOS.

'Ah mane.

CHARINVS.

Perii.

CHREMES.

Id quamobrem non volui, eloquar.

Digitized by Google

Nón iccirco, quód eum omnino affinem mihi nollem:

CHARINVS.

Hém.

DAVOS.

Tace.

CHREMES.

Séd amicitia nóstra, quae est a pátribus nobis trádita,
Nón [iuberet] áliquam partem sui traduci ad líberos?
Núnc cum copia ác fortuna, utríque ut obsequerér, dedit,
Détur.

PAMPHILVS.

Bene factum.

DAVOS.

'Adi et age homini grátias.

CHARINVS.

Salvé, Chremes,
Meórum amicorum ómnium caríssime:
Quid [dícam? nam illud] mihi non minus est gaúdio,
Quam [mi évenire núnc] id quod ego abs te éxpeto:
Me répperisse, ut hábitus antehac fui tibi,
[Eundém tuum] animum.

PAMPHILVS.

Quom ád eum te applicáveris,
Studium éxinde ut erit, túte existimáveris.

CHREMES.

*Alién*us *abs te, támen qui tu esses nóveram.*

PAMPHILVS.

Id ita ésse, facere cóniecturam ex mé licet.

Digitized by Google

CHREMES.

20 *Ita rés est. Gnatam tibi meam Philúmenam Uxórem et dotis séx talenta spóndeo.*

Horum pleraque non egere vel explicatione vel defensione putamus: ut de paucis videatur singillatim monendum. Ac v. 4 praestat, quod ex utroque codice recepimus, Guyeti scripturae; quae ut toleretur, sic sublevanda interpungendo fuerit: *Perii: ah, Dave, do* —. Mox non latinum est loquendi genus, quod proposuit Doederlinus *vita sors sustollitur.* V. 5 non videtur eiusdem hac distinctione opus esse: *condicio est. Si voluissem, Pamphile* —, ut omissa apodosi oratio insistatur. Nam illa: *non nova istaec mihi condicio est* aequant brevius dictum *istud quidem potuissem* h. e. *istius quidem condicionis accipiendae pridem mihi copia facta esset.* V. 6 in legitimam mensuram graviter cum Grauertus tum Doederlinus peccarunt, quorum ille *'Occidi, Davè, perii. Chr. Sed id* —, hic autem scripsit *'Occidi, Dave. Chr. Mdne — Ch. Perii. Chr. Id* —. Susceptum a nobis ex utroque codice *mane*, cui male v. 4 adiectum *ah* iunximus, eo valet, quod Charinus, qui una cum Davo paullum secesserat, auditis Chremetis verbis desperans animo abitum parabat. Simile quiddam consequi Bothius studuit: *'Occidin', Dave? D. 'Opperire. Chr. Id* —. V. 7 praeclare codices *omnino*, et v. proximo *nobis:* quod suspicamur etiam in E exstare sic pictum *nīs.* Verba *hem tace* recte iam Bothius discrevit; in exclamationem Charinus erumpit, simulac levissima ei spes oboritur. V. 9 incredibilia nec ullis machinis excusabilia moliti sunt Bothius, Grauertus, Doederlinus: quae ab ipsis petant, si qui noscere concupierint. *nostra* est Chremetis et Simonis amicitia: *studii* corruptum e *sui:* ex interpretamento autem orta *adductam*

Digitized by Google

tradi liberis, quibus licebat sane alicui grammatico explicare illa *traduci ad liberos*. Insertum autem *iuberet* vix patitur aliam emendationem sui vicariam. V. 10 *obsequerer* Grauertus et Doederlinus: *obsequar* non inepte Bothius, in reliquis ultra quam credas hariolatus. V. 11 *adi* pro *abi*, quod prorsus hinc alienum, Bothius, hic quoque temere mutatis proximis. Rectius autem haec Davo tribuuntur quam Pamphilo continuantur. *et age homini* Doederlinus: quam collocationem verborum confirmat cod. Ebnerianus. V. 12 *carissime* e *mihi agissime* effecit Zeunius, non ut satisfecerit, sed tamen ut non suppetat quod praestet. V. 13 sqq. frustra fuerunt, qui haec iunxerunt construendo: *quam id, quod abs te expetò, me repperisse*. Nam nec *reperire* dicitur, quod quis precibus ab altero impetrat, nec, si superioribus referantur me *repperisse*, proximis quid fiat facile intelligas. Quapropter et huic incommodo et reliquis difficultatibus verborum longe corruptissimorum, e quibus sana erui sensentia vix posse cuipiam videatur, ita succurrimus, ut nulla propemodum litterula mutata in paribus versuum locis paucula quaedam excidisse suspicaremur: quibus quidem locis communi aliquo casu corruptas fuisse chartas veri simile sit. Atque *evenire* an *evenisse* an *obtigisse* praestet, dubitare licet: *ego* autem pronomen accidit ut suis inventis etiam Grauertus adhibuerit. Sententia ipsa satis in Charini mentem convenit. Nam ille, ambigo, inquit, utrum e duobus, quae nunc mihi eveniunt, gaudiis potius dicam; nam etsi nihil sane exoptatius potuit accidere, quam quod nunc voti mei gnataeque tuae compos fio, tamen non minoris aestimo, quod te, cuius in me voluntatem minus quam olim propensam suspicabar, non mutasse animum cognosco. Quibus auditis Pamphilus, inde, ait, poteris intelligere,

Digitized by Google

quanto de studio, ubi tu quoque ad eius amicitiam dedita opera te applicaveris, sit amplexurus. Chremes autem eidem Charino respondens, etsi, inquit, de filia despondenda aliquamdiu tibi sum adversatus, tamen hoc non impediit, quominus bonam indolem tuam semper perspectam haberem. Ei rei fidem additurus Pamphilus suo ipsius exemplo utitur: nam a se quoque per aliquod tempus alienum Chremetem tamen in veram gratiam sine mora redisse. Quod confirmans senex, ita est, inquit, et Charino filiam cum dote spondet. Atque haec paullo uberius explicavimus, ut simul, cur vv. 18. 19 transposuissemus, appareret. Nam non potest nostra sententia ullo artificio hic ordo versuum defendi:

Studium exinde ut erit, tute existimaveris.
Id ita esse, facere coniecturam ex me licet.
Alienus ab te tamen, qui tu esses, noveram.
Ita res est.

Quos quacunque ratione diversis personis distribueris, sanus et simplex nexus sententiarum desiderabitur. Ut enim secundus ex his versus Pamphilo continuetur, quid tandem id ipsum esse dicamus, quod e Pamphili exemplo colligere Charinus iubeatur? Nimirum fore, ut magno eum studio Chremes amplectatur. Atqui non hoc potius superiore versu dictum erat, quam illud, quod etsi in eandem sententiam valet, tamen cogitandi forma plurimum discrepat, facile, quale tui studium Chremetis futurum sit, existimaveris. Quodsi subiungatur *id ita esse*, hoc tantundem fuerit ac *te existimaturum esse, quale futurum sit studium:* id quod absurdum est. Deinde ut recte tertium versum inferat Chremes, tamen idem quomodo potuit deinceps, si saperet, *ita res est* adiicere? Haec autem verba qui proximis sic iunxit: *Ita res est: gnatam tibi* e. q. s., dici nequit quam et inusitate et inepte loquentem fe-

Digitized by Google

cerit poetam. Fecit id autem Bothius. A quo ita distat Grauerti ratio, ut tertius simul et secundus versus ab uno Pamphilo pronuntientur, qui non a sese Chremetem, sed a Chremete semet alienum fuisse, et tamen eum qualis fuerit novisse significet. At ne sic quidem Chremes potuit eorum confirmandorum caussa, quae dixerat Pamphilus, *ita res est* respondere: unde enim Pamphili in se animum rectius quam ille ipse norat? Praeterea non potuit haec omnis ratio nisi sic institui, ut primus versus continuaretur Charino, isque, quale suum Chremetis studium futurum esset, hunc exspectare iuberet. Atqui hoc quibus machinis efficere tum Bothius tum Grauertus conati sint, supra vidimus. Nos autem, qui nec librorum scripturam *quo adcunque* habeamus qui arti convenientius, quam sic ut fecimus, corrigamus, nec, si Charini potius quam Chremetis *studium* significetur, abesse posse *meum* pronomen concedamus, missa facimus mira ista commenta omnia, et tamdiu nostra inventa tenebimus, donec meliora fortasse aliquis Hermannus nos edocuerit.*)

Quodsi a pristina forma non nimium abesse videbuntur versus a nobis propositi, simul hoc profecisse putabimur, ut iam confidentius de eorum indole iudicium fieri possit. Nam ut breviter dicamus, quicunque idoneum usum comicorum habet, non poterit vel tantillum dubitare, quin in bono et antiquo poeta versemur. Quod qui non, simulac semel pellegerit, persentiscat ac firmiter sibi persuadeat, nec sescentis, quae vel e sermonis genere vel numerorum rationibus peti possunt, argumentis credet, et ut fatear, quod res est, ab hac tota arte ut qui maxime alienus est. Nam cum nihil sit in istis veribus, quod Terentio Plautove

*) Vide Epimetrum.

Digitized by Google

non sit dignum, tum ne uno quidem exemplo ostendi potest, tales unquam versus a posterioris aetatis homine factos esse: quos quantumvis vellent, pridem dedidicissent facere. Accedit externorum vis argumentorum. Ac de fraude Guyeti nec debuerat plurimis de caussis Grauertus p. 203 cogitare, ac multo minus cogitari nunc potest. Commode enim, quod additamentum *fortasse* e vetere editione quadam Guyetus petierat, (quanquam ne eius quidem rei, quod recte comparetur, simile exemplum Grauertus attulit,) nunc prodiit e duobus mss. libris satis antiquis. Idem autem quod nec in vetustissimis Italiae codicibus exstat Bembino, Basilicano, Vaticanis, Ambrosiano, nec in ceteris Faerni, Bentlei, reliquorum editorum, vel in ullo praeterea Germanicarum bibliothecarum libro videtur exstare, id memorabili, sed valde raro documento est, non usquequaque in iis libris, quos omnino praestantissimos antiquissimosque cognoris, fidem omnem scriptoris cuiusque contineri, sed nonnunquam etiam in inferioris notae codicibus et quorum fere nullus praeterea usus, singularia quaedam reperiri, quibus optimorum memoria testium notabili ratione suppleatur. Quanquam illi ipsi codices olim Norimbergenses quanti sint, adhuc parum novimus: neque enim e paucis, quas vel Murrius vel Doederlinus attulerunt, scripturis satis ea de re iudicare licet. Progredimur autem nunc ad antiquius etiam illis codicibus testimonium, quod est Donati. Eum enim in parte certe suorum exemplarium legisse, quos nunc in lucem protractos versus habemus, planissime ex hac annotatione apparet, quam mirum est priorum editorum nullius animum advertisse: *Hi versus usque ad illum, gnatam tibi meam Philumenam uxorem, negantur Terentii esse, adeo ut in pluribus exemplaribus bonis non ferantur.* Sic

Digitized by Google

enim, *ferantur*, recte codex Hulsianus pro vulgato *inferantur*, quod in *inserantur* mutandum cum Wielingio putabat Grauertus. Illa igitur Donati verba ut plane intelligatur ad quem locum Andriae pertineant, ex ea scena, quae nunc ultima fertur eius fabulae, extremos versus infra posuimus. Tenendum est autem, de Pamphili et Glycerii sive Pasibulae nuptiis confecta esse omnia; id narrare Davo Pamphilum; narrata audire Charinum; conspici hunc a Pamphilo et his verbis appellari:

PA. *Charine, in tempore ipso mi advenis.* 10
CH. *Bene factum.* PA. *audisti?* CH. *omnia. age me in tuis secundis respice.*
Tuus est nunc Chremes: facturum quae voles scio esse omnia.
PA. *Memini: atque adeo longumst illum me exspectare dum exeat.*
Sequere hac me: intus apud Glycerium nunc est tu, Dave abi domum:
Propere arcesse, hinc qui auferant eam. quid stas? quid cessas? DA. *eo.* 15
Ne exspectetis dum exeant huc: intus despondebitur:
Intus transigetur, si quid est quod restet. a Plaudite.

V. 13 quod scripsimus *longumst illum me exspectare*, fecimus auctoritate Bembini libri. — Horum igitur versuum ei, qui quartus est a fine, nunc ascripta fertur Donati ista annotatio, ut inter illa verba *tu Dave ubi domum* et haec *propere arcesse* interpositos fuisse eos versus credas, quos a bonis exemplaribus abesse, legi igitur in aliis si non plurimis, at compluribus item bonis Donatus dicat. Atqui illo quidem loco non potuisse eos, quisquis fuit, collocare unusquisque sua

Digitized by Google

sponte perspicit. Erratum igitur in lemmate Donati verbis praemisso, *tu Dave abi domum.* Rectissime autem, quo pertineant, iam Eugraphius significavit, quem vixisse saeculo X. constat. Eius verba, quae non satis recte Grauertus p. 198 sq. interpretatus est, haec sunt: *Age me in tuis secundis*] *Exhortatur Charinus Pamphilum ut auxilium sibi praebeat. In secundis, inquit, rebus tuis respice me, habes in potestate Chremetem, omnia potest facere ille quae tu voles. Post hunc versum sequuntur continentes illam sententiam, quemadmodum itum est ad Chremetem* [*et* inseruit Gr.] *quemadmodum exoratus Charino promiserit filiam. Sed hos tollendos versus esse persuadet quod sequitur: Memini atque adeo longum est illum exspectare dum exeat. Si enim acta sunt ista omnia in publico, quomodo* [*illud* adiice, nisi plura exciderunt] *dici potest, maxime cum sequatur Ne exspectetis, dum exeant huc: intus despondebitur: intus transigetur, si quid est quod restet. Ergo cum legerimus primum, Tuus nunc Chremes: facturum quae voles scio esse omnia, continuo debemus subiungere* [*Memini*] *atque adeo longum est illum exspectare dum huc exeat. Ita enim integritas fiet sensus, sublatis versibus qui intus gesta continebant* (sic Gr. pro vulg. *retinebant.*) Ex his igitur Grauertus sibi visus est hoc posse colligere, repperisse Eugraphium istos versus post v. 11 scriptos. At vero ex postremis Eugraphii verbis luculentissime apparet, collocatos fuisse inter v. 12 et 13: quo solo loco recte continuantur si minus proximis, at certe antecedentibus. Nam initio quidem annotationis etsi non satis ex omni parte accurate Eugraphius locutus est, tamen quid voluerit dicere, non est ullo modo obscurum. Etenim post v. 11 ait

Digitized by Google

eos versus sequi, quibus de nuptiis agatur: atque est hoc sane ita verum, ut, si vellet, potuerit ab v. 12 eam narrationem ordiri. Sed eundem v. 12 non item cogitatione comprehendit deinceps, cum *hos esse versus tollendos* dicit, h. e. eos, quibus repugnent subiuncti v. 12 sqq., illos quidem: *Te exspectabam* usque ad *Vxorem et dotis sex talenta sponděo.*

Non postest iam latere, quae vera ratio sit insertorum post v. 12 versuum illorum, neque fugit ea ratio Grauertum. Etenim duplex olim exitus Andriae exstitit. Eorum brevior alter, quo intus transactum iri de Charini nuptiis significatur, per plurima exemplaria ad nos est propagatus: alter autem, quo de istis nuptiis nova adiecta scena coram spectatoribus a Pamphilo, Chremete et Charino dedita opera agitur, nunc demum denuo innotuit. Nec tamen ullo vestigio eo ducimur, ut in hoc quidem exitu servata fuisse illa verba putemus: *tu, Dave, abi domum: propere arcesse, hinc qui auferant eam. quid stas? quid cessas. D. eo*; quae Grauerti fuisse mens videtur p. 198. Contra, ut ab eo versu qui est *Te exspectabam* e. q. s. nova posset scena ordiri, aliquid adiectum oportebat post Charini verba *facturum quae voles scio esse omnia.* Nam ut nunc haec habentur, et Pamphili responsum desideratur, quo se morem Charino gesturum polliceatur, nec docemur, quod imprimis nostra refert scire, ab initio scenae Chremetem solum cum solo Pamphilo versari, nec ab illo Charinum Davumque conspici. Excidisse igitur aliquos versiculos coniicimus, quibus velut ad hoc exemplum superior scena terminaretur:

(CH.) *Tuus est nunc Chremés: facturum quae voles*
scio esse omnia.
PA. *Memini: atque adeo ut vólui commodum huic*
senex exit foras.

Digitized by Google

Sécede illuc dliquantisper.

CHA. *Dáve, sequere me hác.*

DA. *Sequor.*

ACTVS V. SCENA VII.

PA. *Te éxspectabam: est dé tua re, quód agere ego tecúm volo.*

Quae si probabiliter disputavimus, Donati annotationi lemmatis loco pro istis *tu Dave abi domum* haec potius praeponenda fuerint: *Memini atque adeo ut volui.* Non magis autem in fine integram esse hanc extremam scenam propterea suspicere, quod usitatum eo in loco *Plaudite* desideratur. Itaque fortasse illic quoque aliquid excidit, quod quidem nescio an uno adiecto versiculo recuperari queat:

Vxorem et dotis sex talenta spondeo.
Agatur intus, si quid restet. ω Plaudite.

Ceterum Donatum sciendum est, tametsi hos omnes versus tantum a pluribus exemplaribus bonis abesse dicit, tamen in eos nihil commentatum esse, sed solum esse alterum fabulae exitum interpretatum. Quod quidem diligenter exposuit Grauertus. Etenim ad extremae scenae v. 13 haec exstant annotata: *Atque adeo longum est nos illum exspectare*] *Quia audacter et artificiose binos amores duorum adulescentium et binas nuptias in una fabula machinatus est: et id extra praescriptum Menandri, cuius comoediam transferebat: iccirco aliud in proscenio, aliud post scenam retulit: ne vel iusto longior fieret* (fabula), *vel in eandem* [*καταστροφὴν bini amores*] *propter rerum similitudinem cogerentur.* In quibus *vel in eandem narrationem propter rerum similitudinem cogeretur* scribi iussit Grauertus: parum illud probabiliter. Nos *καταστροφὴν* Schopeni nostri coniecturae debemus, sed addendum *bini amores* putavimus. — Praeterea eodem

ASHMOLEAN OXFORD MUSEUM
Digitized by Google

valent ad v. 14 annotata: *Sequere hac me intus apud Glycerium*] *Iam post scenam itur, quia ulterius in scena nihil agitur.* Et ad v. 17: *Si quid est quod restat*] *Quia narratione dignum non est, quod Charinus rogat.*

Retractatae et integrae scenae accessione auctae fabulae cum non una caussa in promptu sit, tum non est ea res sine exemplo. Sed Plautinae fabulae Mercatoris scenas additicias non debebat huc referre falsissimo Niebuhrii iudicio confisus Grauertus p. 203: non magis enim illae quam eadem pag. collaudatus Aululariae exitus a vetere et antiquo poeta sunt profectae, sed a noviciis hominibus imperitissime confictae*). Non aptius a Guyeto in Phorm. V, 3 p. 380 praeter eandem Aululariam comparantur tres illae scenae futilissimae, quibus lacera fabula Amphitruo ab recentioris aetatis interpolatore est suppleta: multo autem alieniora etiam ea sunt exempla, quae e Cistellaria, Curculione, Phormione peti posse idem sibi Guyetus satis profecto temere persuasit. Nam primum haec cum reliquis illis componi propterea nequeunt, quod a metrica arte et dicendi genere tam sunt tersa et polita, quam novicia ista commenta horrida et insulsa. Deinde ut largiamur, quod quidem nequaquam concedimus, supervacaneas ad argumenti absolutionem esse in Phormione scenas actus quinti tertiam, quintam, septimam, octavam et nonam, in Curculione extremam, in Cistellaria act. I, 3: tamen ex eo, quod sine istis partibus aliquanto melior exstitura fabula sit, minime supposititas eas esse consequatur. Denique maxime utrumque genus eo distat quod, si modo aliquantisper cum Guyeto sentiamus, istae quidem partes cum Cistellaria, Curculione, Phormione ita sint conglutinatae, ut integris servatis reliquis partibus nova accessione fabula quaeque augeatur: contra in

*) Cf. supra p. 399 dicta.

Digitized by Google

Andria binas partes habemus ita iuxta positas, ut non possint inter se ullo pacto conciliari, sed ascita altera aversetur alteram. Verumenimvero tale exemplum Andriae prorsus geminum sola praebet Poenulus Plautina, cuius duae scenae extremae ea sunt argumenti aequalitate, ut alterutra tantum potuerit in scena recitari. Nam ex ipsa antiquitate proditam utramque esse, et verba sententiaeque ostendunt minime illae improbabiles, et numeri docent, quales a nullo unquam grammatico facti sunt: ut contra si quis sentiat, nil sentiat. Eadem autem hac virtute cum illa, in qua indicanda versamur, Andriae scena praestet, apparet cur a Grauerto nobis dissentiendum sit, qui ab ipso Terentio profectam iccirco negavit p. 203, quod ab huius quidem *elegantia et arte* recedant: quibus verbis videtur sane numeros et sermonem voluisse significare. Satis autem diremptu difficilis cuipiam ea quaestio videatur, ut, utrum fabulae exitum poeta primo fecerit, utrum reprobato altero postea adiecerit, exploretur. Vtraque enim opinio potest profecto haud spernendis argumentis ita exornari, ut, quid potissimum sequare, incertus haereas. Quidni enim Terentius, desiderari posse vel adeo desiderari sentiens uberiorem de Charini nuptiis expositionem, reiecto qui nimis brevis videretur exitu, paullo ampliorem in illius locum postea suffecerit? Contra quid obstat, quominus a principio factus uberior exitus ipsi postea poetae displicuerit? praesertim cum in eo sint, quae merito displicuisse et in brevius contrahendae catastrophes iustam caussam praebuisse dicas. Atque hoc ipsum est eiusmodi, ut omnino non de duplici opera unius poetae, sed de duobus poetis cogitandum esse nobis quoque persuaserimus. Sunt autem duo potissimum quae offendant. Nam primum etsi, quae a v. 12 Charinus loquitur, si per se spectantur,

Digitized by Google

satis apte proferri apparet, tamen id ipsum, quod Davus facere Charinum iusserat, non fieri mirum est: neque enim gratiae ullae aguntur. Quam rem si e moribus Romanorum hominum, quales comici repraesentarunt, aestimamus, omitti nullo modo decebat. Alterum hoc est, quod quae tum deinceps aguntur tum ex parte etiam antea, non satis consentanea esse reliquae fabulae argumento videntur. Nam et quod v. 5 non sibi novam esse istam condicionem Chremes ait, et quod amice se antehac esse Chremeti habitum Charinus dicit v. 15, et quod ipse Chremes v. 18 semet testatur etsi alienum a Charino tamen magni semper eum fecisse: horum omnium in ipsa fabula adeo nullum vestigium exstat, ut ne hoc quidem, num omnino noverit Chremes Charinum, vel uno verbo significetur. Quod ipsum non dubitamus inde repetere, quod Charini partes universas latinus poeta non e Graeco exemplo traduxit, sed translatae a se Menandriae fabulae de suo addidit: id quod Donato duce subtiliter persecutus est Grauertus p. 193 sqq. *) Sed ut ea, quorum nullum in ipsa fabula indicium, tanquam omnibus nota in ultima scena commemorarentur, id vero non adducimur ut commisisse Terentium credamus, qui summa arte singulas fabularum partes invicem sibi relatas aptissime nectere soleat. Quapropter cum saepe repetitas Terentianas fabulas etiam mortuo poeta constet, eo potius inclinat animus, ut per eiusmodi occasionem aliquam alius poetae, sed haud multo posterioris, manu resecto pristino fabulae exitu eam scenam adiectam habeamus, qua levius tractari Charini nuptias querentium desiderio satisfieret.

*) Immo, quod Charini partes Terentius non ex Andria Menandria traduxit, sed huic addidit e Perinthia: id quod subtilius etiam contra Grauertum G. Ihnius in Quaest. Terent. demonstravit Bonnae a. 1843 editis.

Digitized by Google

EPIMETRVM.

Pergratum et nobis G. Hermannus fecit et nos facturi aliis videmur proposita hac quam subiecimus Terentianae scenae conformatione non paucis in locis nec levibus in rebus nostrae dissimili. Habebunt igitur, si fas est dicere, quod collata utriusque sententia singulis in locis deligant, si qui in comicorum lectione naviter versati huc volent animum applicare. Vnum tantum quiddam defendere liceat ab Hermanno improbatum: non exaequatam vv. 11. 12 numerorum personarumque mutationem. Etsi enim utriusque mutationis consociatio, ubi fit, sane et commode fit et eleganter, tamen de necessitate dubito. Non adeo raro ad diversum metri genus transitur in unius eiusdemque personae sermonibus et aliquot verbis post quam ea res vel evenit vel commemoratur, quae caussa est numerorum mutandorum. Velut Andriae II, 1, 18:

PA. *Charinum video. sálve.* CH. *o salve, Pámphile:*
Ad te advenio, spém, salutem, cónsilium, auxílium éxpetens.

Andr. IV, 1, 26:

Hábeas. PA. *habeam? ah néscis quantis in malis*
vorsér miser,
Quantásque hic suis consiliis mihi confécit sollicitúdines.

Eunuch. V, 8, 19:

Serva óbsecro haec bona nóbis. PH. *dí vostrám fidem, incredibilia*
Pármeno modo quae narravit. sét ubi est frater?
CH. *praésto adest.*

Digitized by Google

Heaut. II, 2, 15:

Sét eccos video quós volebam. CL. o Iúppiter, ubinam ést fides?
Dum ego própter te èrrans pátria careo dèmens, tu intereá loci —.

Ceterum de metris continuatis loquor, non de scenis promiscua metrorum varietate factis. — Accipe nunc Hermanni verba.

„Was die Stelle des Terenz anlangt, so ist es allerdings möglich, dass bei einer wiederholten Aufführung jene Verse eingeschoben worden wären, um auch den Charinus vollständig zu seinem Ziele zu führen. Indessen liesse sich die Sache wohl auch umgekehrt denken, dass Terenz selbst geglaubt hätte dem Charinus bestimmt die Braut zuführen lassen zu müssen. Er könnte später wohl diess, als nicht zur Hauptsache gehörig, abgeändert haben, oder auch ein andrer nach seinem Tode. Von alten Ausgaben habe ich die von 1478. 1480, zwei von 1483, eine, die ich selbst besitze von 1492, und eine ebenfalls mir gehörige in Quart, die gar *anno virginei partus ante iubileum centesimum* zu Cöln herausgekommen seyn will, nachgesehen, aber in keiner ist etwas von diesen Versen zu finden. Eugraphius muss sie nicht an der rechten Stelle beigeschrieben oder eingeschaltet gefunden haben. Richtig aber setzt sie Donatus zu den Worten *tu, Dave, abi domum*, obgleich sie auf diese Worte nicht gefolgt, oder vielmehr diese Worte ihnen nicht vorhergegangen seyn können. Wer diese Verse setzte, schrieb gewiss den vorhergehenden Vers so:

Sequere hac me intus ad Glycerium nunc. sed eccum ipsum Chremem.

Nun erst konnte Pamphilus fortfahren *te exspectabam*. Was nun die Verse selbst betrifft, so haben Sie die

Digitized by Google

erstern 8 ganz so, wie auch ich, geschrieben, nur dass ich V. 6 das *eh* nicht gesetzt hatte, dessen Hinzufügung jedoch offenbar dem Verse einen bessern Rhythmus giebt. Die vier letzten Tetrameter habe ich so geschrieben:

Sed amicitia nostra, quae est a patribus nobis tradita,
[Eius] non aliquam partem abductam studui tradi liberis.
Nunc quum copia ac fortuna utrique ut obsequerer dedit,
Detur. PA. *bene factum [Chreme.]* DA. *adi [nunc] atque age homini gratias.*

Denn das *Salve Chremes* muss, wie ich glaube, die Trimeter anfangen, indem sich mit der Rede des Charinus der Ton der Scene ändert, wie das eben durch den Wechsel des Versmaasses bezeichnet wird. Von den Trimetern halte ich nur den zweiten für lückenhaft. Die ganze Stelle schien mir am leichtesten so verbessert werden zu können:

CHA. *Salve, Chremes, meorum amicorum omnium*
Mihi [summe et rebus meis patrone] aequissime.
Quid mihi commodiust, quam id quod abs te [ego] expeto
Me repperisse, ut habitus antehac fui tibi?
CHR. *Animum ut tu ad me applicaveris, studium [meum]*
Exinde in te erit. CHA. *tute existimaveris.*
Id ita esse facere coniecturam ex me licet:
Alienus abs te, tamen qui tu esses noveram.
CHR. *Ita res est. gnatam tibi meam Philumenam*
Vxorem et dotis sex talenta spondeo.

Nach diesen Worten, meine ich, geht Chremes mit dem Pamphilus und Charinus in das Haus, Davus aber

Digitized by Google

bleibt auf der Scene, und spricht:

Ne exspectetis dum exeant huc: intus despondebitur,
Intus transigetur, si quid est quod restet. Plaudite."

Digitized by Google

APPENDIX.

SVETONIVS

DE VIRIS ILLVSTRIBVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

SVETONIVS DE VIRIS ILLVSTRIBVS.

I. *)

Was wir unter diesem Titel Biographisches über Grammatiker und Rhetoren haben, ist zugleich mit Tacitus *Germania* und dem *Dialogus de oratoribus* kürzlich von L. Tross (Hamm 1841) nach einem vorher nicht benutzten Leydener Codex herausgegeben worden. Die Vorrede drückt sich über die Art der Benutzung des Codex S. XII so aus: *ita curavi typis exprimenda, ut, ubicunque ab ipsius codicis lectione putaverim recedendum, omnem scripturae varietatem diligentissime annotarem.* Aber dieser Herausgeber muss von dem, was man in der Kritik und namentlich bei Handschriftenvergleichungen *diligentia* nennt, sehr harmlose Vorstellungen haben. Der Codex, durch des trefflichen Geel preiswürdige Gefälligkeit meinem Collegen, Herrn Prof. Ritter, mitgetheilt, kam so auch mir zu näherer Ansicht. Herrn Ritter bleibt es billig überlassen, bei Gelegenheit über den Theil der Trossischen Arbeit, der den Tacitus betrifft, zu berichten;

*) Gedruckt im (N. Rhein.) Mus. f. Phil. II, S. 615 ff. (1843.)

Digitized by Google

hier sei nur die Bemerkung vergönnt, dass er sich von dem auf Sueton bezüglichen nicht wesentlich unterscheidet. Damit auf diesen niemand baue, was gar leicht alles Fundamentes entbehren könnte, gebe ich nachstehend a l l e Abweichungen des Codex von dem Trossischen Texte o d e r den darunter gesetzten angeblichen Lesarten des Codex: wobei denn freilich auch die geringsten orthographischen Kleinigkeiten nicht zu umgehen sind.

S. 99 Z. 3 *diſciplinis* nur von neuerer Hand am Rande; der Text *diſciplis* Z. 7 *docuiſſe at notum est nihil* erste Hand; *d. notum eſt ac n.* zweite. Z. 8 *praelegebant* / *praeallegabant*

S. 100, 2 *cum* 8 *commentandoque et coeteriſ* 9 *ut C. Octauiuſ* 12 *Q Vargunte*$^{i}_{\wedge}$*uſ* 14 *Vectiuſ.* $^{et}_{\wedge}$ *Q. Philocomuſ* 16 *Leneuſ* 17 *L eliuſ lanuinuſ generque elii* 27 *tedio ſece*$^{ſſi}_{\wedge}$*ſſet* S. 101, 5 *ſcolae pretia uero grammaticorum* 7 *Laeneuſ Melliſſuſ* 9 *Catullo* 23 *coeterum* 27 *ne*^{c} 30 *diſtin*^{u}*gant ut Greci* S. 102, 2 *Namque apud* 18 *patrum nr̃orũ quoſdam* 20 *quibuſ* ^{prodi}*poſſit* 22. 27. 28 *Seuiuſ* S. 103, 2 *obiſſe* 4 *deiñ de rhetoricam* 13 *duaſ lr̃aſ effert in paraſthichide,* aber das zweite Wort wieder durchgestrichen. 18 *cum* 20 *unquam* 26 *M.* 27 *pretura* S. 104, 2 *coetera* und so immer. 8 ^{h}*scolam* 10 *ocio* 12 *elencorum millibuſ* 14 *autoriſ* 16 ^{ıter}*pemptorum* 24 *pialogoſ* S. 105, 2 *cum* 14 *A,*^{t}*reiuſ* 15. 20 *Ateiuſ* 22 *ſumã* S. 106, 5 *ſi̇̆gt* d. i. *ſignificat* 7 *co*^{e}*,gimuſ* 14 *cum* 20 *Syllani* 31 *ſecula* S. 107, 1 *sum̃a pauperiẽ et pene inopiam* 2 *geo-gurguſtio,* und a. R. v. n. H. *Γεωρ Γω̃* / *colotrã* 3 *autor* 5 *aſillaſ* 11 *ſumá*

Digitized by Google

16 *fumũ* S. 108, 5 *cum* 6 *prodituſ* aus *probituſ* 12 *obelixi* 13 *utrum ſint τῶν Item* 16 *inprimiſ* 17 *et* aus *ẽt* (d. i. *etiam*) 18 *molliciam* 22 *Magni· pompei· pene* 24 *ſcola* S. 109, 6 *ſurreptiſ* 7 *precium* 9 *Caeciliuſ* 11 *epiſtole* 23 *,claruit* *in* *if* *docentium* *gna* *ingenia equaleſ* S. 110, 2 *tranſiit* 7 *parte circa* *et* *hemiciclum* 13 *hec* 18 *nobileſ in* 20 *comperaretur* *h* 25 *etiam libriſ de* S. 111, 2 *iſpanus* 7 *bybliotecae* 16 *cum* 19 *condicionem* 21 *bybliothecarum* 24 *C.* *h* *et L.* S. 112, 8 *Ateio* 13 *leuam* 15 *Reminiuſ* *ſ* *dum* 16 *textrinũ* 17 *filium comitatuſ* corrigirt in *comitatur* *h* *a* S. 113, 2 *lauaret* *ſcola* 6 *fatiſ conſtet* *cccLxv.* 14 *tedio* 17 *omnino* *cum* 25 *cum* S. 114, 3 *nonnunquam* 11 *Romae non eſſent* 13 *renuntiatum* 17 *adoleſcentuloſ* 22 *et ī iiſ* 24 *confueuerunt* 26 *eam* *x* *h* *et praeſidii* S. 115, 12 *profluit* 19 *uberiuſ* 24 *theſiſ* *et anaſcenaſ et cataſcenaſ* (*n* beidemale e corr. wie es scheint.) S. 116, 1 *hoſtiam* 5 *auri abſoluta obſuta* 6 *cum* 8 *precioſo* 10 *reſcogniti* 11 *graece eaſ appellationeſ* *ax* *ſyntheſiſ* 16 *Lutiuſ* 17 *M.* 19 *cum* 21 *idem mihi* 28 *Lutiuſ* 29 *hoſtiariuſ* S. 117, 5 *Corn.* 9 *Cãnutiuſ* 12 *Epidici* (später c durchstrichen.) 13 *se a C. Epidio* 19 *amicitia M. Antonii* 28 *tuoſ dicere* (ohne *dicta*) 31 *millia* S. 118, 1 *aſſignaſti* 3. 4. *cum* 10 *compationem* 19. 27 *cum* 25 *negocium* S. 119, 3 *autorem pene* 5 *cauſiſ* 6 *abſtinuit cibo* : ∞ *cibo abſtinuit cibo* . . . . . *abſtinuit* (so). Von einem treuen Abdruck des Codex würde man sogar die Bewahrung solcher Abkürzungen wie *ro.* (100, 19) *r. p.* (20) *Aug.* (110, 1)

Digitized by Google

Conſ. (114, 5. 115, 2) *re. p.* (114, 10. 117, 10) *p. con., rei. p., Sex.*(117. 29—31) erwarten.

Genauer, doch ganz genau ebenfalls nicht, ist in der Vorrede S. VII f. die sehr merkwürdige Randbemerkung mitgetheilt, welche am Anfang der *Grammatici illustres* steht und vollständig so lautet:

C. Suetoniuſ ſcripſit de uiriſ illuſtribuſ. cuiuſ exemplum ſecutiſ ſecutuſ hieronymuſ ipſe quoque libellum de ſcriptoribuſ chriſtianiſ edidit. Nuper etiam Bartholomeuſ faciuſ familiariſ noſter de uiriſ illuſtribuſ temporiſ ſui libroſ compoſuit. qui ne hoſ Suetonii illuſtreſ uiroſ uidere poſſet morſ immatura eſſecit. paulo enim poſt eiuſ mortem in lucem redierunt cum multoſ annoſ deſiderati a doctiſ hominibuſ eſſent. Temporibuſ enim Nicolai quinti pontificiſ maxim; Enoc^{E} *Aſculanuſ in Galliam et inde Germaniam proſectuſ conquirendorum librorum gratia hoſ quanquam mendoſoſ et imperfectoſ ad noſ retulit. Cui ſic habenda eſt gratia ut male imprecandum eſt Sicconio polentono patauino. qui cum eam partem que eſt de oratoribuſ ac poetiſ inueniſſet, ita ſuppreſſit ut ne unquam in lucem uenire poſſet. quam ego cum patauii perquirerem, tandem reperi, eam ab illo fuiſſe combuſtam. ipſumque arrogantia ac temeritate impulſum, de uitiſ illuſtrium ſcriptorum loquaciſſime pariter et ineptiſſime ſcripſiſſe:* ⁓

Iou. PONTANVS. VMBER EXCRIPSIT: ⁓

Das *excripsit* der von Tross weggelassenen Unterschrift lässt es zweifelhaft, ob diess wirklich, wie Tross sagt, *verba Pontani* sind, in welchem Falle *excripsit* sich auf den nachfolgenden Text selbst beziehen würde, oder ob dasselbe nur zu der Randbemerkung gehört und diese als eine schon in einem andern Codex vorgefundene bezeichnet. Viel älter wird dieser freilich nicht gewesen sein, sondern selbst nur eine Abschrift des eigentlichen Originalcodex; oder

Digitized by Google

wenn dieser dem Pontanus doch vorlag, so war wenigstens jene Bemerkung erst von neuerer Hand hinzugeschrieben. Denn der hochherzige Nicolaus sass nur von 1447 bis 1455 auf dem päpstlichen Stuhl. Innerhalb dieser neun Jahre wurden also jene Suetonischen Biographien, und zugleich die zwei kleineren Taciteischen Schriften entdeckt. Denn auf der Rückseite des ersten Blattes der Leydener Handschrift heisst es: *Hos libellos Iouianus pontanus excripsit nuper adinuentos et in lucem relatos ab Enoc asculano quanquam satis mendosos,* und auf das hiesige *excripsit* bezieht sich das danebengeschriebene *M.CCCC.LX Martio mense.* Näher könnten wir dem Entdeckungsjahre kommen, wenn wir das Todesjahr des Bartholomäus Facius (der übrigens gerade von Pontanus sehr wohl konnte als *familiaris* bezeichnet werden) mit Sicherheit wüssten. Tiraboschi gibt es zwar Storia della letterat. Ital. (Flor. 1809) VI, 734 f. an, nämlich 1457; das verträgt sich aber nicht mit der Regierungszeit des Nicolaus. Indessen möchte es doch auch dadurch wahrscheinlich werden, dass Enoch von Ascoli nicht gar lange vor dem Tode des Nicolaus seine Entdeckung machte.

Weiter zurück liegt, was Secco Polentone (lateinisch *Siccus, Sico, Sicco, Xicus, Xiccus, Xiccho, Sicconius Polentonus* genannt,) ein angesehener Gelehrter und selbst Kanzler von Padua, an der Schrift des Suetonius verübte. Nach Vossius de hist. lat. S. 804 (Lugd. B. 1651) hätte Polentonus sein eigenes Werk 1433 verfasst*); aus des sorgfältigen Mehus

*) *Item volumen magnum de illustribus scriptoribus Latinis, quod libris constat XXII. Dicavit illud filio suo, Polydoro, an. Christi cIↃcccc xxxiii.* Zwei und zwanzig Bücher gibt auch Jö-

Digitized by Google

Vorrede zu Ambrosii Traversarii Epist. et Orat. S. XL habe ich einmal im Rhein. Mus. f. Phil. IV, S. 154 die Notiz ausgezogen, das Polentonische Werk „*Scriptorum illustrium latinae linguae ad Polydorum filium*" sei vor 1417 geschrieben, ohne jetzt sagen zu können, womit diese Angabe dort begründet wird; beide Ueberlieferungen werden in der dritten bei Tiraboschi S. 765 aufgehen, dass Polentonus 25 Jahre daran arbeitete; jedenfalls also fällt dessen ruchloser Frevel in das erste Drittel des Jahrhunderts.

Durch den Bericht über diesen Frevel wird nun zur Gewissheit, was bisher nur Annahme, obwohl eine für sich selbst sprechende war, dass sowohl die *Grammatici* als die *Rhetores illustres* nur Theile eines grössern litterarhistorischen Werkes des Suetonius (*de viris in litteris illustribus* nach Casaubonus) waren, und dass die anderweitig erhaltenen Suetonischen Biographien des Terentius, Horatius u. a. zu einem verlorenen dritten Theile: *de poetis*, gehörten. Dieser Theil also war es, den Polentone in seinem vollständigen Codex vernichtete. Aber er war es nicht allein, sondern ein vierter Theil des Ganzen, der *de oratoribus* handelte und ohne Zweifel an die *rhetores* sich anschliessend den *poetis* noch voranging, fand in dem barbarischen Autodafé gleichzeitig seinen Untergang. Denn dass „*de oratoribus*" in dem Bericht des Leydener Codex nicht etwa ungenauer Ausdruck statt *de rhetoribus* ist, wird sich alsbald ergeben. Aber nichtsdestoweniger muss doch auch von dem Theile *de rhetoribus* bei jener Gelegenheit we-

---

eher an; dagegen Tiraboschi S. 765 f. gegen Paolo Cortese, der von 20 Büchern spricht, behauptet, es seien nur achtzehn.

Digitized by Google

nigstens ein Stück mit zu Grunde gegangen sein, nämlich die auch jetzt noch fehlende, und zwar bei Weitem grössere zweite Hälfte, worin von den sechzehn in der vorangeschickten Namenliste angekündigten Rhetoren, deren fünf erste in unserm Text allein behandelt sind, auch die elf letzten ihre kurze Biographie fanden; wie es denn mit Beziehung darauf am Schluss des Leydener Codex heisst: *Amplius repertum non est adhuc. desunt rhetores XI.* Denn da der Berichterstatter, sei es Pontanus oder ein anderer, die Polentonische Handschrift selbst in Padua wieder auffand, so würde er ja aus ihr, wenn sie vollständiger als die von Enoch aus (Frankreich oder) Deutschland gebrachte gewesen wäre, das hier Fehlende haben ergänzen können. Zwei verschiedene Originalhandschriften der Suetonischen Viri illustres hat es hiernach im 15. Jahrhundert gegeben, eine absichtlich und eine zufällig verstümmelte. Aus der letztern scheinen unsere jüngern geflossen, die erstere weder in früherer Zeit (von dem mehrerwähnten Berichterstatter) benutzt, noch in neuerer wieder aufgefunden zu sein.

De grammaticis, de rhetoribus, de oratoribus, de poetis handelte das litterarhistorische Werk des Suetonius, und umfasste, wenn nicht Alles täuscht, weder mehr noch weniger. Dass es noch andere Rubriken ausser den dreien der Grammatiker, Rhetoren und Dichter gehabt haben möchte, vermuthete schon Casaubonus, und zwar darum, weil einem bestimmten Citat zufolge Suetonius eine Vita Plinii geschrieben haben müsse, der doch schwerlich sei in eine jener drei Rubriken eingeordnet gewesen. Das letztere ist richtig; aber mit dem Citat hat es eine seltsame Bewandtniss. Wo es stehe oder herstamme, wusste Casaubonus selbst nicht, sondern fand es nur bei dem ältern

Digitized by Google

Commentator Achilles Statius*), der seinerseits auch nichts weiter darüber sagt als: *quod adducitur eiusdem Suetonii in libro de viris illustribus, de Plinio: Dum idem Plinius legiones in Siciliam duceret, eruptione favillarum ab Aetna eructantium praefocatus interiit, anno vitae suae LVI.* Dass nun aber der Inhalt dieses Fragmentes einem Casaubonus kein Bedenken erregte, ist schier unbegreiflich. Keine Frage, dass diess entweder grobes Misverständniss oder plumpe Erdichtung ist, oder dass (und diess ist wohl das Wahrscheinlichere) in dem *idem Plinius* ein ganz anderer Name steckt: worüber man einer glücklichen Aufklärung mit Verlangen entgegensehen muss. Warum begründete aber Casaubonus seine Vermuthung nicht vielmehr mit der noch vorhandenen *Vita Plinii*, die mitten unter den erhaltenen Vitis poetarum des Suetonius steht? Er hielt sie nach Scaliger's Vorgang (zu Eusebius S. 190. Ausg. von 1606) für unächt, weil sie viel zu kurz, ungelehrt und nachlässig für Sueton sei. Das leidet auch keinen Zweifel; darum könnten aber dennoch Excerpte aus der ächten Vita Plinii darin stecken, um so mehr, als sie doch dem Suetonius Tranquillus beigelegt war sowohl in der Toulouser Handschrift, aus der sie Vinetus publicirte, als in der oder denen, woraus sie in alte Ausgaben der Naturalis Historia überging. Indessen bedürfen wir so schwacher Stützen und dürftiger Argumente gar nicht, sondern können aus viel voller fliessender Quelle schöpfen.

---

*) *Scripsisse tamen Tranquillum Plinii huius vitam, testimonio est locus ille, quem ex eius libro de viris illustribus laudatum commemorat Achilles Statius: Dum idem Plinius* u. s. w. (S. 314. Bd. IV bei Wolf.)

Digitized by Google

In den etwa neunzig der römischen Litteraturgeschichte angehörigen Artikeln, mit denen Hieronymus*) in seiner lateinischen Uebersetzung das Chronikon des Eusebius erweiterte, finden wir von den zwanzig Suetonischen Grammatikern fünf wieder, und weiter keinen Grammatiker, desgleichen von den sechzehn Suetonischen Rhetoren elf, und sonst keinen Rhetor; natürlich hat Hieronymus die wichtigsten, oder die ihm die wichtigsten schienen, herausgehoben, und die Grammatiker überhaupt mit Rücksicht auf das allgemeinere Interesse den Rhetoren nachgesetzt. Wie aber für die aufgenommenen Grammatiker und Rhetoren Suetonius wörtlich benutzt ist, so liegen dessen eigene Worte auch den Artikeln über diejenigen Dichter zu Grunde, deren Biographien sich zufällig erhalten haben: Terentius, Horatius, Persius**),

*) Obwohl die Kenntniss, dass diese Zusätze von Hieronymus herrühren, nicht schwer zu erwerben, so liessen sich doch neuere Gelehrte, die dafür den Eusebius citiren, dutzendweise aufzählen.

